
13
11 D
9



PRIVILEGIORUM
IN PERSONA
SANCTI PETRI
ROMANO PONTIFICI
A CHRISTO
DOMINO
COLLATORUM
VINDICIÆ
In duas Partes, & quinque Tomos distributæ

A F. HIEREMIA A BENNETTIS

CAPPUCCINO.

PARS II. TOMUS III.







ROMÆ MDCCLVII.
TYPIS HÆREDUM JO: LAURENTII BARBIELLINI

SUPERIORUM FACULTATE.

APPROBATIONES.

OPus, Cui Titulus: *Privilegiorum in Persona S. Petri Romano Pontifici a Christo Domino collatorum Vindiciæ in duas Partes, ac Tomos quinque distributæ* a R. P. F. Hieremia a Bennettis nostri Ordinis Cappuccinorum Prælectore, ac Guardiano, summa vi, acri ingenio, ordinata methodo, ac luculentissimo stylo elaboratum, attente, nec non jucunde perlegi, jubente Reverendissimo P. Seraphino a Capricolle meritissimo Generali. Et quia nil Catholicæ fidei dissonum, nil Christianis moribus adversum in eo offendi, ideo publicis Typis dandum nedum existimo, imo peropto: in hac etenim sum sententia: Polemicum Armentarium istud esse, quo sive gladios ad feriendum, sive scuta ad hostilia tela retundenda Studiosi cuncti desumere possunt, ac præcipue debent S. Francisci Filii, pro illius nimirum Cathedræ defensione, ac munimine, cujus infallibili veritati, ac concessæ divinitus potestati Seraphicus S. Pater illos subditos esse speciali lege devovit.

Romæ hac die 2. Februar. 1757.

F. Hilarion a Feroleto Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum Ex-Provincialis, ac Definitor Generalis.

QUod de Privilegiis Romani Pontificis a primis usque sæculis sensit, tenuitque ipsa universalis Ecclesia a Reverendo P. Hieremia a Bennettis Concionatore, ac Philosophiæ, & Theologiæ Electore, nec non Guardiano Cappuccino in opere, cui Titulus: *Privilegiorum in Persona S. Petri Romano Pontifici a Christo Domino collatorum Vindiciæ in duas Partes, ac Tomos quinque distributæ*: de mandato Reverendissimi Patris Seraphini a Capricolle totius nostri Ordinis Ministri Generalis, summa animi mei voluptate perlecto, mira eruditione in lucem prolatum, plurimisque undique petitis argumentis confirmatum, constabilitumque sum admiratus. Ea propter quum nihil, quod vel mores, vel fidem lædat, offenderim, quo Romani Pontificatus, vel Heterodoxis Osoribus, vel Orthodoxis Censoribus omne præcludatur effugium, atque ad eorum omnium utilitatem, qui ad capessendam veritatem optime sunt instituti, ac comparati, publica luce dignum censeo.

Romæ apud Immaculatam Conceptionem die 4. Februar. 1757.

F. Josephus Maria à Savorniano Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum Ex-Provincialis, & Definitor Generalis.

NOS F. SERAPHINUS CAPRICOLLENSIS
Totius Ordin. Fratr. Min. S.FRANCISCI Cappuccinorum
Minister Generalis (licet immeritus).

Reverendo in Christo P. F. Hieremiæ a Bennettis Concionatori, & Prælectori nostræ Provinciæ Cappuccinorum Pedemontanæ salutem, & omne bonum.

CUm juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones per duos idoneos, ac Definitores Generales, veluti Theologos Censores revisum fuerit quoddam a te Opus compositum, cui Titulus: *Privilegiorum in Persona Sancti Petri Romano Pontifici a Christo Domino collatorum Vindiciæ in duas Partes, ac Tomos quinque distributæ* &c. Tenore præsentium ad salutaris obedientiæ meritum, facultatem tibi impertimur, quatenus, servatis servandis, pro utilitate publica Typis mandare possis.

Datum in nostro Conventu Urbis die 6. Febr. anno 1757.

F. SERAPHINUS, *qui supra*.

A. M. D. G.

OPus hoc Rev. admodum Patris Hieremiæ de Bennettis ex Ordine Minorum Cappuccinorum jussu Reverendissimi Patris Josephi Augustini Orsi S. P. A. Magistri accurate, cogitateque a me lectum *Omnia Privilegia B. Petro Apostolorum Principi, in ejusque Persona Romano Pontifici a Christo collata* ita copiose, & orthodoxe explicat, ita erudite, solideque confirmat, ut non immerito pulcherrimum, absolutissimumque Opus appellari possit; ac dignum mihi propterea visum sit, quod ad majorem Christianæ Reipublicæ utilitatem Typis edatur; quum in eo nihil offenderim, quod a Fide Catholica, aut bonis moribus abhorreat.

Ex Aracæli 3. Kalen. Maji anno 1757.

F. Johannes de Luca Venetus Episcoporum Examinator.

IMPRIMATUR,

Si vi debitur Rmo Patri Sac. Pal. Apost. Magistro.
F. M. de Rubeis Patr. Constant. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Vincentius Elena Reverendiss. P. Mag. S. P. A. Socius.

ELEN-

ELENCHUS PARTIS SECUNDÆ VINDICIARUM.

Arti-


PRÆ-

PRÆFATIO.

PRofligata Vindiciarum Pars I. vix fuerat, duoque priora vix in lucem volumina prodierant, ut iis fausta, & infausta, pro facili, aut difficili Lectorum ingenio successisse fama deferente percepi. Fuisse nempe frugi quidem, liberalesque, qui lucubrationes illas ex pretio, non quod haberent ex nomine auctoris, sed ex dignitate argumenti, æqui, bonique facere non dedignarentur: neque defuisse vicissim, quibus opus accideret ingratissimum, molestiamque valde quam gravem ingereret. At enim sunt ista nec insolita, nec inopina, ut tam non movear, quod præsensi, quam non morer, quod præoccupavi. Non novum est horum genus hominum asperum, & aspernans, apud quos pervenire nihil injucundius possit, quam Romani Pontificis nomen, nihil invidiosius, quam Romani Pontificis dignitas, nihil intolerabilius, quam Romani Pontificis auctoritas. Quorsum igitur diutius, aut durius, invidia quod ego laborem, injuriis quod ego lacerer, quæram, & conquerar? Video, ac prævidi gratia me utique valere, & flagrare nequire apud eos, qui odio in Romanum Pontificem prævalent, & conflagrant, adeoque improbo, ut ipsos aut ratione inflectere, aut infringere auctoritate tam frustra tentes, quam speres. Atqui si ita res est, jam horum iras nec oportebit, ut deprecer, nec ut deflagrent, optabo: quin hinc probè necessitatem percipio de iis ipsis tractandi, & retractandi, quæ retractata, & tractata illis tam dolent, tam displicent.

Atque tractationem quidem proximè instituere proposueram adversus Franciscum Bruys, hominem nempe, cujus historia a S. Petro ad Benedictum XIII. producta hujusce furfuris hominibus felle plenis eo acceptior evasit, quo

quo conviciis in Romanos Pontifices undique exundat. At enim etsi scelestissimi sychophantæ mendacia, & maledicta excipere passim, prout oportunitas exporrigetur, non parcam, intra hæc tamen disputationem cohibendam haud duco. Quorsum enim iis detegendis, aut detergendis spongia ego totus incumberem, quæ ipse met ad frugem regressus ingenti demum lacrymarum imbre abunde diluit, & delevit? Quem sicut eorum, quæ tam impudenter, quam impie conscripserat, valdequam puduit, ac pœnituit, sic utinam eos, qui scriptiones ejusmodi & avide legunt, & extollunt laudibus, tam pudice, quam pie & par suffigeret pœnitentia, & par suffunderet pudor? Potius itaque fidem, quam principio obligaveram, meam ut liberem, disputationis filum tenere præstabit, perque omnes Pontificii juris partes, quoad ejus fieri poterit, deducere: fiet hinc enim facilius, opinor, ut quam de Romani Pontificis Divinis prærogativis contexere inceperam, telam, si Superis placet, jugo tandem convolvam. Non opus est autem, ut quo in hac Parte 2. ordine, quave meliore procedendum ratione proposui, distincte præmoneam: siquidem in Præfatione ad 1. Partem id abunde, si meus non me fallit amor, dilucideque perfecerim, quod præterea ex adjuncto percipere alioqui licebit Elencho. Non omittendum tamen, quin obiter Lectorem admoneam, ex Typographorum negligentia menda irrepisse nonnulla, quæ ex addendis, & delendis ad calcem adjectis emendari desidero, & obsecro. Mea interest tandem, multumque juvat profiteri me in eo firmiter permanere, quod ab initio patefeci, ac si Deus me adjuvet, permansurum, quoad vixero, proposito, qua religione pro Apostolica Sede ad scribendum me confero, eadem planè me cuncta, quæ scripserim, ejusdem Sedis judicio emendanda, & corrigenda submittere. EX



VINDICIARUM


PARS SECUNDA.

DE PRIVILEGIIS

Romano Pontifici in Persona S. Petri a CHRISTO DOMINO collatis, nimirum

Primatu in Ecclesia, indefectibilitate in Fide, & suprema in Concilia generalia potestate.

PROPOSITIO.



Omano Pontifici in Persona S. Petri Christus Dominus vices suas demandans, & commendans Primatum in Ecclesiam universam contulit honoris, auctoritatis, & jurisdictionis: cujus consectaria ea essent: 1. Ut Ecclesiæ universæ dicens, idest ex Cathedra, ut ajunt, de rebus ad fidem, aut ad mores pertinentibus pronuncians sit falli, & fallere omnino nescius. 2. Ut Ecclesiæ etiam in Concilio universali collectæ ita præsit, ac præemineat, ut eadem Ecclesia, seu Concilio Universali sit omnino superior, atque supra illud suprema potiatur potestate.

Propositio parte 1. probata manet argumentis undique accersitis ex S. Scriptura: Ex Oecumenicis Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis Conciliis: Ex Conciliis iterum particularibus Ecclesiæ cum Græcæ, tum Latinæ: Ex Traditione SS. Patrum Ecclesiæ utriusque: Ex Ecclesiasticis item Scriptoribus, qua Græcis, qua Latinis: Ex testimoniis Imperatorum, Regumque tam Orientis, quam Occidentis: Ex doctrina speciatim veteri, & nova Ecclesiæ Gallicanæ: ac denique ex rationum Theologicarum momentis: quæ viribus, quibus potui, optimo stabilire loco adnixus sum. Eamdem probare hacce parte 2. aggredior modo argumentis petitis ex jure, quo late patet, universo Pontificio, cujus tibi specimen exhibet præfixus operi Elenchus: atque ita argumentum instauratur. Romanorum Pontificum nomina, dicta, gesta, juraque omnia eò collineant, ut omnino evincant Romano Pontifici in persona S. Petri à Christo Domino collatum in Ecclesiam universam Primatum honoris, auctoritatis, & jurisdictionis, cujus ea consectaria essent, 1. ut Ecclesiam de fide, aut moribus edocens, sit falli, & fallere nescius: 2. ut Ecclesia etiam in Concilio œcumenico coadunata Superior sit, & potestate præpolleat. Age jam, si superis placet, ex seqq. Articulis planum id faciam, atque perspicuum.

Ex Titulis, & Testimoniis Romanorum Pontificum.

ARTICULUS I.

De auctoritate Decretalium veterum Summorum Pontificum usque ad S. Siricium.

PROLEGOMENON.

QUI doctrinæ, quam defendimus tanquam pro aris, & focis pugnantes contradicunt, ægre admodum ferunt, quod ad vindicanda Romanorum Pontificum privilegia ex Romanis ipsis Pontificibus in medium effata producantur. Testes eos esse ajunt, quorum testimonium, utpote in propria caussa, suspe-

suspectum esse debeat, minusque idoneum sit reputandum, quod de se ipsis perhibeatur. Ita plane, qui præclara multa Romanorum Pontificum gesta nauci floccique faciunt, pleraque omnia eorumdem dicta explodunt, tanquam quæ fidem præferant omnino fluxam. Sed velint nolint, id juris Principibus, Episcopis, ac proinde Sedis Apostolicæ fuisse Præsulibus, foreque necesse est fateantur, quod de suarum Sedium privilegiis testimonium modo publicum, cui nemo contradixerit, modo authenticum, cui probi omnes consenserint, proferentibus; modo testes iidem idonei fuerint, quibus sit fidendum, ideoque viri ingenuitate, morumque probitate præstantissimi; ingenii, scientiæque præstantia potissimi; postremo veritatis, Religionisque amore probatissimi, utroque, velut ajunt, pollice sit subscribendum. Antequam vero in medium producantur Romanorum Pontificum numero non minus, quam pondere de Sedis Apostolicæ privilegiis invictissima Testimonia, de præclaris, iisque plurimis, quibus cohonestari consueverunt nominibus Romani Pontifices, agendum est: non iccirco tantum, quod ea sit optima agendi ratio, quum prius, quam de re, de nomine agitur, sed imo quod rei, de qua agendum est, ex nomine, eoque multiplicis laudis non modica accessura sit lux.

At in antecessum operæ præsentis est pretium animadvertere, ac diligenter attendere cum Doctissimo Petro Coutantio in præfatione gener. ad Epistolas Roman. Pontif. n. 33, & seq. (quod non modicum conferet ad omnem eluendam suspicionem, qua vel ex præconcepta opinione, vel ex præcipiti consilio, vel ex præpostera agendi ratione aspergi Pontifices MM. possent) in gravioribus Ecclesiarum negotiis, cujus generis expediendis Decretales Epistolæ conscribi, elucubrarique consuebant, ut quanta fieri posset, se gererent prudentia, diligentiaque procederent, Romanis Pontificibus veteri in more positum fuisse, ut nihil inconsulto aut Presbyterorum collegio, aut Episcoporum Concilio, molirentur, decernerent, agerent. Insitum, & intestum ipsis extitisse S. Petri exemplum, qui controversiam de Circumcisione excitatam non ex sua solummodo extemplo sentententia, sed ad Cœtum Jerosolymam Apostolis, ac Presbyteris ac-

cerſitis eam communi voto diremit. Itaque communem, ſuavique regendæ Eccleſiæ rationi apprime congruam conſilii viam incumdam eſse, idoneos, ac domeſticos Apoſtolicæ traditionis teſtes, Romanæ Eccleſiæ Clericos, qui acceptæ a Majoribus doctrinæ, ac diſciplinæ fuerant innutriti, ideoque eo ipſo liquidos magis, quo magis locupletes in operis conſilium, quum oporteret, adhibendos intellexiſse probe Pontifices. Exemplis id fit exploratiſſimum S.Clementis, cujus epiſtola ad Corinthios *Eccleſiæ Romanæ* nomine iccirco inſcripta eſt, quod ex Cleri Romani conſilio fuiſset conſcripta. S. Zephyrini, a quo, uti eſt apud veterem Auctorem libri adverſus Artemonem, Cleri ante votis auditis, NatalisConfeſsor ab hæreſi reverſus ad communionem fuit admiſſus. S. Pontiani, qui teſte S. Hieronymo apud Ruffinum lib. 2, ut in Origenem inquiſitionem inſtitueret, *Senatum*, ideſt Clerum congregavit. S. Cornelii, a quo, ut habetur epiſt. *6*, a Novatiano ſchiſmate reduces contracto *Presbyterio* recepti ſunt, ſacrorumque Chriſtianorum conſortio reſtituti. S.Fabiani, a quo, teſte S. Cornelio epiſt. *9*, nonniſi ex Cleri, populique conſenſu Novatianus ordinatus fuit, ac in Clerum cooptatus. Quid quod S. Dionyſius, ut adnotavit S. Athanaſius lib. de Synod., ex Synodi ſententia litteras ſcripſit ad homonymum S. Dionyſium Alexandrinum? S. Julius nec aliter, niſi ex Epiſcoporum Italiæ ſuffragio Euſebianis reſcripſit: Clero autem coram ad culpam adverſum S. Athanaſium confitendam Valentem, & Urſacium admiſit. Quid autem quod S. Liberius tum epiſt. 4. S. Athanaſii patrocinium ex Cleri perſuaſione cepit; acceptaſque pro, & contra S. Athanaſium ab Ægyptiis, & Euſebianis literas *Eccleſiæ Concilio* epiſt. 5 perlegit? Ex Romanæ Synodi ſententia ſane celeberrima ad Orientales Epiſcopos epiſtola decretalis a S.Damaſo data eſt, de qua ſæpius erit dicendum. Sed & S. Siricius epiſt. 1. ſua decretali auctor eſt liquidus acceptas ab Himerio litteras *in Conventu Fratrum* fuiſse recitatas: ex eodem Conventu perinde epiſtolam 4. fuiſse exaratam; nec aliter niſi *facto Presbyterio* ſeptimam adverſus Jovinianum fuiſse evulgatam. A S. Anaſtaſio I in Synodo damnatum Origenem tradit Juſtinianus Imperator apud Labbeum tom. 5. pag. 658. A S. Innocentio I in *Conſeſſu Pres-*

Presbyterii Hilarius Episcopus Hispanus, & Elpidius Presbyter auditi epist. 3. leguntur. Ad hæc S. Zosimus epist. 8. in *Cætu Sedis Apostolicæ* Cælestium benigne audivisse perhibetur. S. Bonifacii epist. 15, qua Ruffo Thessalonicensi Antistiti vices Apostolicæ confirmabantur, *Universo Presbyterio* perlecta est. Quid plura? S. Leo M. serm. 5. de Jejunio 10. Mensis *residentibus Episcopis*, *&* *Presbyteris* in Manichæos animadvertit, dirisque illos cunctis devovit.

Quamquam hunc Pontificibus MM. sacrum morem eo absit procul accipi sensu, quo suadere, & persuadere vellent, sed perperam, Tillemontius, Launojus, Dupinus, pessimeque feriati alii in Pontificum auctoritatem undique quærentes invidiam, quasi nimirum ita intra orbitam Apostolicæ Sedis auctoritas coarctata sit, ut nonnisi ex accessu Synodi valere possit ubique. Vetus est ista calumnia ab Acacianis, ac Eusebianis olim jactata, ea ratione adversus SS. Felicem III, & Julium I. expostulantes quod eorum caussa in Synodo non fuisset exagitata: quæ quidem ea potissimum ratione dispuncta fuit, quod ad Romanum Clerum, sive ad Episcopos Italos non attineret Orientalium caussis se ingerere, sed id ad unius Pontificis supremum jus pertineret, cujus proinde sententia caussæ omnes finem acciperent. Quam in rem liquida sunt testimonia in Synodis Romanis anno 465. sub S. Hilaro; an. 484 sub S. Felice III; an. 501 sub S. Symmacho; anno 531 sub Bonifacio II; an. 800 sub S. Leone III; an. 877 sub Johanne VIII; an. 1059 sub Nicolao II; an. 1074 sub S. Gregorio VII; de quibus vide dicta tom. 1. art. 6. §. 2. Quamobrem exinde præsumi facile potest ejusmodi Decretales epistolas ex Synodi, aut Cleri sententia non semper editas, quod hac passim nota carent, neque ex prævia Synodi, aut Cleri conscientia elucubratæ memorantur. Quid imo quod editæ in Synodis ipsis uni Pontifici acceptæ potissimum referuntur? Ita S. Melchiadi Donatistarum damnatio a SS. Optato, & Augustino. Ita S. Innocentio I lata adversus Pelagium, Cælestiumque districtio ab Africanis Episcopis in epist. ad S. Zosimum. Ita S. Zosimo tractoria adversus Pelagianos a Mario Mercatore. Ita S. Liberio epistola 15. ad Orientales a S. Basilio epist. 74. ad Occid., & Socrate lib. 4. cap. 12.

Quid

Quid tandem, quod in Synodis cuncta ab se propria auctoritate constituta apertissime professi sunt SS. Gelasius, & Gregorius M.? S. Petrus Chrysologus autem absque conscientia, auctoritateque Pontificis quidpiam ab Episcopis posse constitui expresse pernegavit in epist. ad Eutychetem? Itaque eo dumtaxat sensu ad consilium Episcopi, ac Presbyteri admitti consueverant, quo dicebam, prudentiæ in decernendo gratia, non ut Decretis auctoritas ex Synodi sententia amplior accederet.

Post hæc observare est 1, quandoquidem veteribus Theologis passim absque delectu, atque indiscriminatim vindicandas Pontificum prærogativas ex veteribus Decretalibus Rom. Pontificum depromere solemne fuit, easdem decretales admodum dubiæ esse auctoritatis, ut nos rem tam gravem velimus tam infirmo fundamento fulcire; eo præsertim, quod innumera nobis suppetant certa, inconcussaque ex genuinis Rom. Pontificum operibus monumenta, quibus causam, nostram dixerim an suam, defendamus, atque in tuto collocemus. Ergo controversia est inter Eruditos, num epistolæ decretales veterum Rom. Pontificum ab Ecclesiæ cunis usque ad an. 384, seu à S. Petro usque ad S. Siricium, quæ in perantiqua Cononum collectione Isidori nomen præseferente leguntur, quasque ex Isidori collectione tum Gratianus, tum Conciliorum editores suas in collectiones transtulerunt, genuinæ sint, & germanæ. Sane non est dubium, etsi dubitarit, aut interpolatam dixerit Clericus, quem dissert. 4. hist. Eccl. refellit Berti, epistolam S. Clementis ad Corinth. apud S. Irenæum lib. 3. adversus hæref. cap. 3; Origenem lib. 2. de Princip. cap. 3; Clementem Alex. lib. 1. Strom.; Eusebium lib. 3. hist. Eccles. cap. 16; S. Cyrillum Hierosolym. catech. 18; S. Epiphanium hær. 27. n. 6; S. Hieronymum in catalogo, & lib. 14. Comm. in 52. Isajæ; & Photium in bibl. cod. 113, quam publici juris fecit anno 1633. ex vetustissimo Codice MS. bibliot. Regis Angliæ circa Nicæni I Concilii tempora manu Theclæ nobilis fœminæ Ægyptiæ exarato Patricius Junius, probatam esse, atque legitimam. Alterius quoque ad eosdem Corinthios fragmentum, quod latine vertit Vendelinus, & ex S. Johannis Damasceni parallelis decerptum græce edidit Cotelerius: quamquam apocriphis adnume-

numerentGrabius,& Dupinus.Neque eſt dubium probatiſſimas eſſe epiſtolas tum S.Cornelii apud S.Cyprianum, & apud Euſebium lib. 6.cap.43.hiſt.Eccleſ.; tum S.Julii I apud S.Athanaſium apolog.2 6; tum S. Liberii apud S. Hilarium in fragmentis; tum S. Damaſi ad Paulinum Antiochenum, ſive potius ad Acholium Theſsal., ad Illyrici Epiſcopos apudTheodoretum lib.5.hiſt.Eccl.capp.9,& 10, & lib. 2. cap. 22; alteramque genuinam ejuſdem S. Damaſi apud S. Hieronymum. Uno verbo: Epiſtolas Pontificum, quæ à SS. Patribus, aut veteribus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Auctoribus referuntur. Sed dubitatur jure de aliis epiſtolis, quas refert collectio Iſidoriana, quarum quinque adſcriptæ leguntur S. Clementi; 3. Anacleto; 2. Evariſto; 3. Alexandro; 2. Sixto I; 1. Teleſphoro; 2. Hygino; 4. Pio I; 1. Aniceto; 2. Soteri; 1. Eleuthero; 4. Victori; 2. Zephyrino; 2. Calliſto I; 1. Urbano I; 2. Pontiano; 1. Antero; 3. Fabiano; 2. Cornelio; 1. Lucio; 2. Stephano I; 2. Sixto II; 2. Dionyſio; 3. Felici I; 2. Eutichiano; 1. Cajo; 2. Marcellino; 2. Marcello I; 3. Euſebio; 1. Melchiadi; 1. Silveſtro; 1. Marco; 2. Julio I; 2. Liberio; 2. Felici II; plures Damaſo, nempe ad S. Hieronymum; ad Afros; de Chorepiſcopis; ad Epiſcopos Italiæ; Ad Aurelium &c. De his dubium, inquam, & lis eſt inter doctos, viguitque poſt Johannem Wicleffum diſputatio.

Dixi 1. de Epiſtolis: nam pleraque alia priſcis illis Pontificibus ſuppoſita fuiſſe in confeſſo eſt apud Eruditos; in quorum quidem cenſum veniunt procul dubio libri 2. de paſſione SS. Petri, & Pauli, quos græco ſermone a S. Lino exaratos, atque ad Græcas Eccleſias miſſos referunt Sigebertus de viris illuſtribus cap. 5, & Anonymus auctor actorum SS. Nerei, & Achillei apud Surium ad diem 12. Maj. Libri 10. Recognitionum; Itinerarium S. Petri; ejuſdem Apoſtoli diſputatio cum Appione; Liturgia, & libri 8. Conſtit. Apoſtolic., quæ omnia S. Clementis nomine inſcribuntur. Acta, quæ ſub S. Cornelii, & quæ ſub S. Silveſtri nomine circumferuntur. Decreta pleraque, ac geſta, quæ ſub S. Damaſi nomine complexus eſt Mileſius Sarazanius. Liber Pontificalis, & Catalogus Romanorum Pontificum uſque ad Liberium eidem S. Damaſo adſcripti;
quem

quem quidem abigi loco nolo, quo positus a Bucherio, & Blanchinio est, S. Damaso tamen abjudico. Dixi 2. usque ad S. Siricium: nam plerasque quoque epistolas sequioris ævi Pontificibus fuisse falso adscriptas compertum est. Ita Epistolæ 2. Anastasio. Non secus atque libri 3. de Divitiis, de malis Doctoribus, de Castitate; & liber subnotationum, seu Commonitorium Sixto III. Epistola ad Demetriadem, libri 2. de vocat. gentium, & Capitula de gratia, & libero arbitrio S. Leoni I. a Quesnello. Breviculus historiæ Eutychianistarum S. Gelasio a Vallesio. Epistolæ 2. S. Johanni I; 2. S. Felici IV; 1. ad Eulalium Alexandr. Bonifacio II; 1. ad Valerium Episc. Johanni II; 1. ad Anthimum Constantinopolitanum S. Agapeto; 2. ad Vigilium Papam, & ad Amatorem Augustodunensem Episc. S. Silverio; 1. ad Vigilium Episc. Pelagio I; 2. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, & ad Edaldum Vienn. Episc. Johanni III; Epistolæ tres ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ; ad Benignum Archiepisc.; & ad Episcopos Campaniæ, & Italiæ Pelagio II; expositio in 7. Psalmos pœnit.; (quam tamen genuinum ejus fœtum alii contendunt,) & Commentarii cum in libros Regum, tum in Cant. cantic. S. Gregorio Magno; Epistola 1. ad Edictum Viennen. Episcopum S. Agathoni a Johanne a Bosco; epistola ad Episcopos, & Orthodoxos fideles Gregorio IV, in quo finem facimus: quandoquidem hoc in genere fraudum non adeo frequens post id temporis peccatum est. Confer Berardum tom. 2. observ. in epist. Rom. Pontificum.

Eas ergo veterum Pontificum decretales vindicandas suscepit Franciscus Turrianus: Turrianum acerrime confutavit Blondellus e grege Calvinistarum libro inscripto: *Pseudo-Isidorus, & Turrianus vapulantes*. A Blondello meliorem caussam, etsi non absque injuriis in Pontifices, ut hæreticorum mos est, defensam fuisse eruditi fatentur: atque cum Blondello illas, quamvis doctrina sana redundare adversus Blondellum defendant, explodunt tanquam pseudo-epigraphas Petrus de Marca lib. 3. de concord. cap. 7; Antonius Augustinus Tarrac. Episc. in notis ad Capitula Hadriani; Sirmondus; Petavius; Labbeus; Antonius Pagius in Crit. ad an. 100; Schelestratius par. 2. antiq. illustr. diss. 3; Franciscus Pagius in brev. histor. crit. in S. Anacleto; Lupus par. 4.

par. 4. notar. in Concilia; Cointius tom. 6. annalium Francorum ad an. 785; Johannes Bortonius in differt. Ifagogica ad Decretum Gratiani; Natalis hift. Ecclef. ad Sæcul. I. differt. 21. art. 1, Berti de Theolog. difcipl. lib. 20. cap. 18; & recens Doctiff. Berardus in fuo Gratiano emendato par. 2. Idque probant 1. quod octo priorum fæculorum Auctor nullus earum meminerit; vel qui immenfæ lectionis fuerunt, uti S. Hieronymus, Eufebius, Photius, & Dionyfius exiguus; vel qui de Ecclefiafticis negotiis luculenter egere, atque fcivere, uti Conciliorum Patres, ac Romani Pontifices, Innocentius, Leo, Siricius &c. 2. Quod octo, ac præcipue quatuor prifcis Ecclefiæ fæculis non congruant: quandoquidem de perfecutionibus Ecclefiam exagitantibus alte filent; de exhortatione ad Martyrium; Confefforum confolatione; Lapforumque pœnitentia ne volam quidem habeant: quod hæreticos nec impugnent, fed imo neque nominent: cujufmodi fane moris non fuit fcribendi ratio, quam prifci illi Patres tenuere, quorum opera, quæ fuperfunt, non alius generis ferme argumenta pertractant. 3. Quod fordido, ac barbaro fermone confcriptæ a Sæculi II, quo datæ dicuntur, elegantia, & nitore alienæ penitus fint; quandoquidem in eis Pontifices non abfimili ratione loquuntur, atque homines ex infima plebis fœce. 4. Quod ftyli fimilitudo, & idem fcribendi caracter in omnibus epiftolis occurrat; qui plane non a diverfis Pontificibus confcriptas; fed ab uno eodemque auctore confictas evincit. Quis enim, obfecro, æqui, bonique æftimator fibi perfuadeat, quod cæteroqui Francifcus Counot apud Bailium tom. 2. Concil. in addit. adverfus Blondellum propugnare non dubitavit *indentitatem materiæ, ftyli convenientiam, & fermonis fordes* nequaquam officere, quominus epiftolæ illæ legitimæ habeantur; hoc eft tot Pontifices generis, & eloquii diverfi, ac in tanta rerum Ecclefiafticarum diverfitate cum in eamdem fententiam, tum in eumdem fermonem, ac fordidum quidem, quafi ex condicto confpiraffe? Accedit illud gravius in re Chronologica peccati genus, falfa perfæpe temporum confignatio, ut paffim adnotavit Pagius, quæ fane impofturæ notam præfefert manifeftam. 5. Quod ufurpent frequentiffime Scripturam Sacram juxta vulgatam verfionem a S. Hierony-

mo adornatam, quo fit, ut post S. Hieronymi ætatem illas effictas fuisse oporteat. *6.* Quod, ut observavit Antonius Augustinus, & post ipsum doctiss. Berardus, in illis epistolis usurpantur passim eadem verba, quæ leguntur in Codice Theodosiano, & in Scholiis sub Aniani nomine appositis ad eumdem codicem Theodosianum: unde Blondellus lib. cit. cap. 13, quam etiam provinciam in se suscepere tum Coutantius, tum Pagius, suisque locis perfecere, improbo labore demonstravit sententias, & verba, ex quibus epistolæ contextæ sunt, a quibus Auctoribus decerpta, & expilata. Ratio isthæc etsi doctiss. Berti infirma videatur, quia scilicet pari modo dici posset auctorem collectionis Isidori e veteribus monumentis multa exscripsisse, aut ex decretalibus ipsis potius exscripsisse posteriores Patres, & Pontifices: aliis tamen satis firma videtur, quandoquidem si Patres, & Pontifices dictas epistolas deflorasent, interdum saltem honoris caussa non secus, ac alios, nominasent earumdem Auctores: ultra quod quæ ex posteriorum Patrum, ac Pontificum scriptis in illis epistolis leguntur cum ceteris, nec sibi cohærent, nec illarum stylo conveniunt, unde satis patet illa epistolis hisce pessime asuta fuisse. 7. Quod Photius, quamvis earumdem auctoritatem visus sit admittere, tamen eas ab se visas nunquam in Oriente fuisse testatus sit: & Hincmarus Remensis non nisi epistolis a S. Siricii Papæ tempore editis fidem adhibuerit.

Ad horum cumulum facit, quod S. Leo IV. in epist. ad Episcopos Angliæ tom. 8. Concil. Labb. scripserit regulas, quibus Sedes Apostolica in omnibus judiciis Ecclesiasticis utebatur, esse: *Apostolorum; Nicænorum; Ancyranorum; Neocæsariensium; Gangrensium, Antiochensium; Laodicensium; Chalcedonensium; Sardicensium; Carthaginensium; Africanensium, & cum illis regulas Præsulum Romanorum Silvestri; Siricii; Innocentii; Zosimi; Cælestini; Leonis; Gelasii; Hilarii; Symmachi; Hormisdæ; Simplicii, & Gregorii Junioris. Isti omnes sunt, per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul, & Clerici judicantur.* Hæc circa annum 850. scripsit S. Leo IV, & habetur Cap. *de Libellis* dist. 20, ubi de epistolis decretalibus veterum Pontificum nihil memorat, sed post statuta Silvestri a Siricio inchoat. Petrus

Coutan-

Coutantius existimat non quidem fuisse interpolatam epistolam S. Leonis IV, bene vero additionem fuisse factam codici Canonum Romanæ Ecclesiæ. Verum Baronius testatur extare in Vaticana Bibliotheca tria antiqua exemplaria MSS. Codicis, quo Ecclesia Romana tempore S. Leonis IV. utebatur, in quibus Canones eodem ordine leguntur dispositi, quo refert Leo IV. in epist., quique post Concilia inchoant a Siricio: & Johannes Wendelstinus in præfat. testatur extare in Monasterio Erbachensi tria alia MSS. antiquissima, quæ Canonum a Romanis Pontificibus editorum seriem inchoant a Siricio. Pagius etiam in Anacleto refert post Garziam Loaisam in præfat. Concil. Hisp., quod in codice Vigilano, sic dicto a Vigila Monacho, qui illum anno 876. compilavit, epistolæ decretales 101. contiuentur, quæ incipiunt a Damaso, quemadmodum in Codic. MSS. Bellovac., & Laudun., ut observat Harduinus, & finiunt ad Gregorium I: & quod in Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ edito Moguntiæ anno 1525. ad hæresim Lutheranam retundendam, qui Codex, uti titulus præfert, ex tribus vetustissimis exemplaribus transcriptus est, epistolæ dumtaxat decretales a Siricio usque ad Gregorium Magnum exhibentur. Petrus de Marca tamen, & Bortonius epistolæ Leonis IV. superinductum fuisse censent nomen Silvestri, quod in Codicibus mox laudatis non legitur. Blondellus loco *Silvestri Siricii* &c. legi vult: *Scilicet Siricii*. Sed verisimilius est, quod subdit, Leonem IV. respexisse acta Romanæ Synodi concinnata jam sub Silvestro, ac conficta, nam illorum jam meminerant Gelasius in Synodo Romana, & Synodus VII. annis 60. amplius ante Leonem IV, quum idem Leo epistolæ initio S. Silvestri, & Synodi acta Romanæ satis indicet.

Observare est 2. quod præfatas Epistolas nihilominus laudarunt, citaruntque Concilium Aquisgranense sub Gregorio IV; Benedictus Levita circa annum 850. compilator Capitularium Caroli Magni, & Ludovici Pii; Hincmarus Laudunensis circa annum 870. in libello apud Hincmarum Rem. opusc. 55. cap. 43; Concilia anno 887. Coloniense cap. 3; anno 888. Moguntinum cap. 2; anno 895. Triburiense cap. 21; annum circa 887. Metense cap. 5; anno 992. Remense adversus Arnulphum Archiep; circa annum 950

Luitprandus Ticinensis lib. de Vit. Pontif.; Ordo Romanus conscriptus a Bertoldo Constantiensi circa 1079, quo & Micrologus capp. 10, & 41; Auctor apologiæ pro S. Gregorio VII. cap. 3. circa idem tempus; Anselmus Lucensis lib. 1. adversus Guibertum Antipapam, & in Collect. canonum ab se adornata circa annum 1080; Burchardus Wormatiensis in collect. Canon. circa annum 1008; Ivo Carnotensis in sua collect. Canonum circa annum 1114; Gratianus in sua collectione Canonum anno 1151. absoluta: Concilium Later. sub Callixto II. cap. 4. citans epistolam 2. Stephani I, & epist. 2. Callixti I: Pontifices quoque Romani easdem laudarunt, citaruntque, uti SS. Leo M. epist. 1. ad Episcopos Campaniæ &c; Gelasius in Synodo Romana; Nicolaus I. epist. 42. ad Galliar. Episcopos, & habetur Cap. *Si Romanorum Pontificum* dist. 19: unde cum juris Pontificii interpretes, tum universim Theologi ab annis 400. ad usque tempora Concilii Constantiensis eas usu consecrarunt, commentariisque illustrarunt: ut proinde in Synodo Constant. sess. 8. damnata fuerit 38. propositio Wicleffi: *Decretales epistolæ sunt apocryphæ: seducunt a Christi fide, & Clerici sunt stulti, qui student eis.* Quamobrem Decretales illæ, quemadmodum Blondellus, & ei adhærentes Novatores fecere, injuria, ac conviciis non sunt excipiendæ, neque temere respuendæ uti sanæ doctrinæ adversæ: nam illas ex mox dictis in Ecclesia obtinuisse longo tempore patescit, Ecclesiarum usu consecratas fuisse, Scholis acceptissimas quoque, sacra doctrina moribus informandis, fidei articulis confirmandis, & juribus Ecclesiarum dirimendis satis apta refertissimas, ideoque conflatas magnam partem ex sequentium temporum Pontificum, Scriptorum, & Conciliorum sententiis, atque denique ab Ecclesia Gallicana, ut primum prodiere, fuisse receptas constat ex Hincmaro Remensi opusc. 55. cap. 43, & testis est Petrus de Marca lib. 3. Concord. cap. 6.

Quamquam hæc nequaquam prohibent, quominus epistolæ illæ ad adulterinas amandentur: neque enim tanti sunt, ut nostrum assensum extorqueant; atque in Turriani manibus, pedibusque abire sententiam vel invitos cogant. Neque etiam nos urgent laudata ex Conciliis, Scriptoribus, & Pontificibus testimonia,

monia, ex quibus nullum testimonium ante annum 830. proferri poterit, quo decretales illæ Pontificibus S. Siricio decessoribus adscribantur. Nam illis hacce in re deneganda est fides, quam veritati litari potius frugi quilibet æqui, bonique faciet: vel illorum hacce in re decepta est fides honesto Isidori nomine, sub quo prodiit larvatus impostor, & male feriatus epistolarum harum consarcinator, existimantium collectorem huncce fuisse S. Isidorum Hispalensem: vel illis, Ivoni præsertim, Anselmo, Burchardo, & Gratiano, (quem emendavit Antonius Augustinus, emendatum hoc opus, notisque illustratum rursus edidit Baluzius, nuperque castigationibus, & observationibus locupletavit Berardus,) anteponendum ducimus Dionysium exiguum, qui sub Justiniani Imperio collectionem suam Canonum adornavit, quam Ecclesia Romana magis, quam posteriores probavit, usuque consecravit, teste Cassiodoro auctore coævo cap. 23. divinar. lect.; qui tamen etsi veterum Pontificum epistolas accuratione summa collegerit, collectionis suæ initium nonnisi ab epistolis S. Siricii fecit: vel ab illis iccirco laudatas illas epistolas, quod usu jam receptæ essent in Ecclesia, & ab Ecclesia Romana probatæ, disciplinæque Ecclesiasticæ instituendæ essent aptissimæ, ut conjicit Baronius ad annum 865. SS. Leonem, & Gelasium quod spectat, quamvis indistinctim decretales suorum decessorum recipiendas jusserint, nomine tamen suorum decessorum intellexisse, & quidem S. Leonem decretales Siricii, Cælestini, Zosimi, Bonifacii, Sixti III.: Gelasium vero intellexisse decretales Siricii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cælestini, Sixti III, Leonis, Hilarii, Simplicii, & Felicis III. decessorum suorum, non vero decretales Pontificum Siricio antiquiorum contendo: nam S. Leo eadem in epistola cap. 5. suorum decessorum decreta commendans ab Innocentio I. inchoat, cui solus anteierat Siricius: inchoasset vero dubio procul a Clemente; Anacleti dein, Hygini postea, Pii quoque, Aniceti præterea, aliorumque decretales commemorans, si tunc aliquæ extitissent. S. Gelasio vero erudito Pontifici id argumenti satis occurrebat a nullo suorum decessorum fuisse decretales illas laudatas, sed & satis compertum fuerat illas in collectione Canonum Ecclesiæ Romanæ minime extare, ut proin-

proinde decretalium suorum decessorum nomine non alias intellexerit, nisi quas intellexerat S. Leo. S. Nicolaum I. quod attinet Pontificem eruditione eximia spectatissimum, duo adversus Gallos Episcopos in sua epistola propugnasse adparet: nimirum 1. Gallicanos Antistites decretalium auctoritatem inefficaci ratione impetivisse, quod in codice Canonum illæ non extarent; ex qua argumentatione inferebat Pontifex, tum quod pari modo nec S. Gregorii, nec aliorum, qui ante, nec post ipsum fuere, decretum ullum foret recipiendum, eo quod in codice Canonum non sit relatum, quasi quod decretorum auctoritas pendeat a collectione Auctorum: tum quod pari modo non alia ratione vetus, & novum Testamentum foret recipiendum, nisi quia S. Innocentii I. decreto in codicem Canonum relato libros illos recipiendos fore statutum sit; quasi quod libros S. Scripturæ auctoritatem ex Innocentii decreto nonnisi precariam consequi certum esset. 2. Probasse Gallicanos Episcopos debere illas recipere, non quod genuinas omnes esse putaret, sed quod vim legis Ecclesiasticæ illas habere affirmaret, quod Gallicani Antistites præfracte ibant inficias. Gallicanis ab Episcopis tandem decretales veterum Pontificum epistolas receptas fuisse cum ex Synodis in Ecclesia Gallicana habitis, aut receptis; tum ex Hincmaro, Ivone, & Petro de Marca paullo superius commemoratis fit exploratum.

Observare 3. est incertum esse harum epistolarum consarcinatorem, editoremque, quæ sub ementito Isidori Mercatoris nomine fabricatæ, ac Pontificibus antiquis suppositæ fuere. Non enim Auctor earum fuit S. Isidorus Hispalensis, ut putarunt Hincmarus, Trithemius, & alii, qui mortem obiit anno *636.* testibus Redempto ejus Diacono in illius vita; S. Braulione Cæsaraugust. in catalog. oper. S. Isidori; Luca Tudensi lib. 3; & Mariana lib. *6.* cap. 7. At auctor collectionis veterum decretalium commemorat monumenta S. Isidori ætate posteriora, nimirum Concilium Toletanum XI. anno *675.* celebratum; Concilium Oecumenicum VI. anno *681.* habitum; epistolas SS. Gregorii II, & III; nec non Zachariæ, & Bonifacii Moguntini Archiepiscopi, qui post annum 700. floruerunt. Sed nec S. Braulio Cæsaraugust. Episc. S. Isidoro coævus in catalogo ejus operum; nec S. Ilde-
phon-

phonsus Toletanus hanc collectionem S. Isidoro adjudicarunt; cujus neque meminerunt. Quinimo vero absimile fit S. Isidorum impostoris personam agere voluisse: id de illo putare illius prohibent sanctitas, & doctrina. Quod si lib. 5. ethymologiarum S. Isidori pleraque legantur, quæ leguntur in præfatione collectionis hujusce, id non efficit, ut S. Isidoro adscribatur collectio illa; nam libros etymolog. a S. Braulione Cæsaraugustano post S. Isidori obitum editos fuisse testatur Braulio ipse. Neque auctor fuit Isidorus Asturicensis, cujus nomen scriptum legitur ad finem Concilii III. Bracarensis anno 675. celebrato. Neque fuit alter Isidorus Setabiensis, qui subscriptus reperitur in Conciliis Toletanis XII. anno 681, XV. anno 688, & XVI. anno 693; nam auctor hujus collectionis posterior quum fuerit anno 700, quippe ex S. Bonifacii Moguntini Archiep. epistola ad Ethelbaldum Regem, quæ post annum 744. data est; & ex epistola Abbatissæ Cangyth celeberrimæ post annum 724. ad eumdem Bonifacium scripta plurimas lacinias expilavit, uterque vero Isidorus ævo anteriori vivebat. Quamobrem nulla fides adhibenda est Chronico Juliani Toletani referenti Isidorum Mercatorem Setabiensem Episcopum ope Monachi cujusdam hanc collectionem elucubrasse, & objisse anno 805: quum aliunde Chronicon hocce suspectæ admodum fidei sit, & S. Juliano suppositum existiment eruditi.

Verisimillimum itaque videtur ab Isidoro Mercatore, vel Peccatore collectionem hancce fuisse fabricatam, ut censent Schelestratius, Natalis, Pagius, Coutantius, aliique communiter Recentiores: nam Riculphus Moguntinus Episcopus, qui circa sæculi VIII. exitum, & IX. initium floruit, librum collectarum ab Isidoro epistolarum ex Hispania in Gallias allatum primus Gallorum accepit, ac publicavit, ut refert Hincmarus Remensis opusc. contra Nepotem cap. 24; a quo tempore Episcoporum, & Fidelium erga illas epistolas obtinere cœpit obsequium. Præterea in vetusto codice S. Mariæ super Minervam legitur præfationis initio: *Isidorus Mercator servus Christi, lectori conservo suo*. In codicibus Vaticanis ita quoque habetur: sed in impressis loco *Mercator* legitur *Isidorus Peccator*. Incertum autem est quisnam fuerit Isidorus iste Mercator, aut Peccator. Quidam Isidorum hunc-

huncce magni nominis Monachum suspicantur, qui se peccatorem nuncuparet, ex peccatore vero Mercatorem fecerint scribæ oscitantes. Ita Morinus. Quidam Isidorum istum Episcopum volunt, qui se peccatorem subscriberet juxta morem Sanctorum Episcoporum, ut constat ex Conciliis Turonensi I, Parisiensi III, Turonensi II, & Matisconensi I: ita Petrus de Marca. Isidorum istum fuisse Episcopum aliquem Germanico-Francum, non autem Hispanum censet Blondellus; eo quod verisimile non sit Hispanos tunc sub Maurorum jugo gementes compilandis, seu confingendis hisce epistolis animum intendisse; cumque plurimæ harum epistolæ qua ad Gallos, qua ad Germanos, qua ad Italos inscriptæ legantur, quinque solummodo ad Hispanos, id commissurus non visus fuerit Hispanus, ut gentis suæ gloriæ minus consuleret. Accedit his styli impuritas, quæ Germano-Gallum magis, quam Hispanum redoleat; quodque disciplina hisce epistolis tradita Ecclesiis Germano-Gallis usitatior fuerit. Addit Blondellus sibi videri Isidorum illum Mercatorem fratrem fuisse Eulogii Cordubensis Presbyteri, qui pietatis caussa Moguntiam profugus occasionem præbuerit Riculpho Moguntino Archiepiscopo, & Benedicto Levitæ collectionem illam ipsi affingendi, ut ignaris persuaderent illam ex Hispania delatam fuisse. Conjecturis hisce nullo momento a Blondello firmatis, qui malit, fidem adhibeat, mihi sat est incertum concedere Isidorum, quam incertis conjecturis indulgentius, quam par sit, assensum præbere. Coutantius demum in Censura decret. S. Julii I. n. 14. Isidorum hunc Rabano haud multo antiquiorem conjectura conficit. Sed hactenus de impostore isto.

Observare est 4., quod ad Romani Pontificis privilegia adstruenda passim a veteribus Theologis, atque incaute a nonnullis recentioribus, ipsoque Bellarmino lib.1.de Romano Pontif.cap.13, ex nothis decretalibus veterum Pontificum S. Siricii decessorum testimonia pleraque congesta producuntur: uti ex S. Clementis epistola 1. ad Jacobum; Anacleti epist. 3; Evaristi epist. 1; Alexandri I. ep. 1; Pii I. ep. 1; Aniceti ep. 1; Victoris I. ep. 1; Zephyrini ep. 1; Callisti I. ep. 2; Lucii I. ep. 1; Stephani I. ep.1; Sixti II. ep. 1; Marcelli I. ep. 1; Eusebii epist. 3; Melchiadis ep.1;
Marci

Marci ep. 1: quæ omnes quemadmodum ceteræ ab eodem Isidoro consarcinatæ, quum eodem suppositionis morbo laborent, cujus sane notas singillatim legere est apud Coutantium, & Pagium in laudatis Pontificibus, proinde non est cur illis immoremur, atque in defensionem, ac patrocinium optimæ caussæ monumenta tam elumbis, & tam nothæ auctoritatis advocemus. Quam in rem Baronius recte ad annum 865. num. 8. scripsit: *Ex multis eas reddi suspectas epistolas, quæ dicta sunt 2. annal. tomo, dum de illis singulis mentio facta est, satis est demonstratum; simulque ostensum illis non indigere S. Romanam Ecclesiam, ut si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus, & privilegiis, quum etsi illis careat, ex legitimis, germanisque aliorum Pontificum Romanorum epistolis decretalibus satis superque corroborata consistat.* Quamobrem Bellarminus loc. cit. non satis a Magdeburgensium nota censoria, qua Cent. 2. cap. 7. dicunt nullum fide dignum auctorem citasse has epistolas ante tempora Caroli Magni, præfatas epistolas defendit, & vindicat asserens, quod Isidorus annis 200. antiquior Carolo Magno vixerit, scripseritque in proœmio sui collectanei se ex Concilio 80. Episcoporum collegisse Canones ex epistolis Clementis, Anacleti, Evaristi, & ceterorum Pontificum: quod Concilium Vasense can. 6. anno 350. ante Caroli M. ætatem celebratum epistolas Clementis laudarit: quod Ruffinus annis 400. Carolo Magno anterior S. Clementis epistolæ ad Jacobum meminerit: nam Carolus Magnus Imperium auspicatus est anno 768; Isidorum vero istum mercium spuriarum venditorem post annum 740, quandoquidem epistolam S. Bonifacii anno 745. conscriptam defloravit, vixisse supra ostendimus, quique, si id egit, ut Pontificibus epistolas supponeret, id quoque facile præstitit, ut Concilia Episcoporum confingeret, quæ pro libidine, ac pro libitu propinaret incautis. S. Clementis epistolas, non secus atque Constitutiones Apostolicas, aliaque hujus genus S. Clementi adscripta opera jam ab Ecclesiæ sæculo IV. sub ejus venerando nomine consarcinata alibi ostensum est: at exinde non est, cur aliis pariter Pontificibus appingantur epistolæ decretales: sed testimoniis productis, ac documentis id agere, id evincere oportet, quæ sane produci nequeunt. Neque me-

meliori eventu doctiss. alioqui Cardinalis Aguirræus in dissert. Eccles. ad collect. Isidori tom. 1. Concil. Hisp. decretales hujus genus vindicasse mihi videtur, eoque magis, quod multis in locis depravatas, interpolatasque non inficietur. Verius in eo Isidorum vindicat, ejusque collectionem a dicteriis Criticorum redimit, quasi sæculo IX. demum novum judiciorum ordinem invexerit veteri oppositum, quo Ecclesia Romana uti deinceps occeperit: siquidem approbe, aut ego fallor, ex decretalibus indubiis sane SS. Siricii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cælestini, Leonis &c. jura illa, quæ recens ab Isidoro inducta dicuntur, usu veteri frequentata jam fuisse manifestat. Agedum itaque ratione servata, ac serie temporum, indubitata prorsus, atque legitima, ex Pontificum dictis argumenta depromamus; sed, ut dixi, postquam de præclaris Romano Pontifici attributis nominibus nonnihil dixerimus, atque vel ex nomine optimam eorum caussam pro virili portione defenderimus.

Ex Nominibus diversis Romani Pontificis.

§. I.

EX peculiaribus, eisdemque præclaris nominibus, quibus pro amplissimis prærogativis Romani Pontifices insigniuntur, nec non insignibus, quibus ad exprimendam sublimissimæ dignitatis speciem exornantur, eorumdem privilegia elucescunt, eximiumque splendorem accipiunt, adeo ut, vel ex nomine detur approbe intelligi, quid rei sint, & valeant. Primum, ac frequentatius Pontificis Romani nomen est *Papa*: quod nomen olim quidem commune erat omnibus indistinctim Episcopis Afris, Ægyptiis, Græcis, Hispanis, Gallis, Italis &c., quibus illud tribuitur in epistolis S. Cypriani 3, 7, 30, 31, & 36, sicuti animadvertunt Pamelius, & Rigaltius ad epist. 3; in epist. 11, 13, 14, 17, 18, 30. &c. inter Augustinianas S. Hieronymi ad S. Augustinum, ubi illum *Papæ* nomine nuncupat, non secus atque Theophilum Alexandrinum tum in apolog. adversus Ruffinum, tum in epistola ad ipsum, quem tamen cum S. Anastasio P.M.

P. M. nominans tunc hunc *Papam*, illum vero Episcopum appellat. Episcopis tributum idem nomen legitur etiam passim apud Eusebium lib. 7. hist. Eccles. cap. 7; Theodoretum hist. Eccles. lib. 1. cap. 5, apud Ennodium, ut adnotavit Sirmondus ad epist. 29; S. Epiphanium hær. 69; Fortunatum Pictav. lib. 3. proœm. ad Euphronium Turon.; apud Sidonium Apollinarem lib. 6. epist. 1, 2, & 3. edit. Sirmondi; Prudentium hym. 11; & S. Avitum Vienn. epist. 23. ad Episcop. Hierosolym. Delatus Episcopis legitur etiam idem titulus a Clodovæo Francor. Rege apud Duchesnium tom. 1. hist. Franc. p. 868; atque a Conciliis Chalcedonensi act. 1, & 21. ipsi Eutycheti, & a Carthaginensi VI. Aurelio Carthaginensi Episcopo. Videndus etiam Ruinartius in actis sincer. SS. Martyrum Perpetuæ, & Felicitatis pag. 83. Nomine Παπας aliquando legitur appellatus a Cyrillo Scythopolitano in vita S. Sabæ apud Cotellerium tom. 3. monum. Ecclesiæ Græcæ Eusebius vir laicus in aula Justiniani Imperatoris: quo tamen nomine designatum fidum, senioremque ministrum, cujus custodiæ palatium committebatur, ac palatii integritati claves noctu tradebantur asservandæ, observavit Goarius in notis ad Codini Curopalatæ opus de officiis, & officialibus Curiæ, & Ecclesiæ Constantinopolitanæ pag. 26. Quinimo, ut adnotavit Rigaltius in observat. ad S. Cyprianum pag. 12, nomine Papæ apud Græcos appellati leguntur aliquando infimi gradus Sacerdotes, adeo ut, qui præpositi, sive Archipresbyteri nomine ipsis præesset, Πρότωπαπας denominaretur: sed non est cur Græcorum recentiorum fastum, quo nec ulli parcere ceperunt nomini, hic diutius moremur.

Quod ad nominis Papæ originem, & notionem pertinet, non una est plane doctorum opinio. Ad Ægyptios referendam arbitratur Abraham Echellensis in dissert. hac de re adornata adversus Seldenum. Nempe ab Eutychio Alexandrino in Originibus Alexandrinæ Ecclesiæ; Georgio Homaidio in Chron. par. 1. in Nerone; & Abubecro Habbaside par. 2. apologiæ contra Christianos acceptum refert, ac probat Heraclam inter Patriarchas Alexandrinos 12. ordine (dixisset verius 13, ut observat Papebrochius) primum fuisse, qui *Papas* fuerit denominatus hac occasio-

casione. Ante Demetrium, uno Patriarcha dempto, nullus audiebat in Ægypto nomine Episcopus. Demetrius Patriarcha inauguratus anno 189. juxta Papebrochium tres Episcopos in Ægypto ordinavit: succedens ei Heraclas anno 231. Episcoporum in Ægypto numerum ad 20. ampliavit: itaque ab eo tempore Ægyptii, ut vulgarem Episcopum, quem Patris nomine pariter donabant, a Patriarcha distinguerent, illum *Abam*, idest Patrem, hunc autem *Papam*, hoc est Avum denominare cœperunt. Verumtamen conjectura isthæc, ac historia omnino nutat, nugisque magis est deputanda. Abubecro homini Mahometano, ac Homaidio fabulam hancce ex Eutychio exscribentibus, & propinantibus, Eutychio pariter scriptori sæculi IX, aut X. sexcenta horum simillima futilia, falsa, absona, & absurda venditanti, uti passim observatum est a Raynaudo, Nairono, Renaudotio, Papebrochio, Pagio, Pochokio, aliisque, quis prudens fidem adhibeat, pronasque, ac faciles accommodet aures? Præterea, quod peremptorium est profecto, antequam Ægyptiis usu vox Papæ venisset, seu verius, ut ipsemet Echellensis vidit, a Syris, aut Syrochaldæis vocem *Baba* mutuassent, ac litteræ B litteram P, qua illi carent, sufficientes, ex *Baba* fecissent *Papam*, a Græcis, ac Latinis frequentatum nomen *Papa* liquido adparet, atque quidem, ut de SS. Cypriano Heraclæ certe suppari, Hieronymo, Augustino, Epiphanio, Ennodio, Sidonio, & Prudentio, de quibus paullo superius est dictum, nihil nunc retexam, liquido adparet, inquam, ex Tertulliano ætate utique Heracla anteriori, satisque functo anno 215, uti communiter creditur, qui libro de pudicitia cap. 13. Romano Pontifici Papæ nomen aptavit, ut passim ibidem observant ipsius Scholiastes. Esto vero S. Ignatii Martyris nomine inscripta epistola ad Mariam Zarbensem, aliis Castabalytam commentiis sit adcensenda, auctoris est tamen ætate Eutychio longe superioris: in ea autem S. Anacletus Papæ nomine appellatur. Posthæc vox Παπας apud Græcos, sicuti *Papa* apud Latinos nunquam ad designandum Avum, sed dumtaxat Patrem usurpata est, uti pluribus ostendunt Pearsonius in Vindiciis Ignatianis par. 1. cap. 11. tom. 2. Apostolic. PP.; & Ludolphus in comment. hist. Æthiop. pag. 446.; ubi observat, quod Græcis

cis est *Papa*, idem esse *Baba* Arabibus ob defectum litteræ P. aliter efferre non valentibus, idemque apud utrosque præferre nomen Patris; exinde falsam omni ex parte Eutychii narrationem pronuncians: unde paullo superius adnotavimus priscis Ecclesiæ temporibus Papæ nomen tribui consuevisse Episcopis, quod quasi Patris loco haberentur. Non igitur ab Alexandrinis, sed priusquam Alexandrinis Episcopis tribueretur, Romanum in Pontificem derivaverat nomen *Papæ*. Eamdem ob rem nec magis ad veritatem accessit doctiss. Sirmondus, dum in notis ad Sidonium lib. 1. epist. 1. Balsamonis in tract. juri Orient. lib. 7. inserto, & Nicephori lib. 14. cap. 34. vestigiis insistens autumavit S. Cyrillum Alexandrinum primum fuisse post Romanum Pontificem illustri hoc Papæ nomine insignitum, propterea quod Pontificis Legatum in Synodo Ephesina egisset: nam nec id muneris peculiare hoc nomen inferebat, nec inferioris gradus, officiique Præsulibus aliis S. Cyrillo sive posterioribus, sive ætate anterioribus denegabatur. Confer Diecmanum in dissert. de ætate vocis *Papa*; Raynaudum in Onomastico Pontificio V. *Papa* tom. 10. oper.; Pearsonium loco indicato; Renaudotium in hist. Patriarch. Alexandr.; Ducangium in Glossario V. *Papa*; Assemanum tom. 1. Bibliot. Orientalis; Papebrochium in parergo 2. hist. Chronolog. Patriarchar. Alexand. de origine, & notione nominis *Papæ*; Pagium in Critica Baronii ad annum 163. n. 4, aliosque apud ipsos de hocce argumento egregie agentes.

Ad nominis autem notionem quod attinet, initio mirari satis non subit, quot, & quam ludicræ a Protestantibus non modo, sed a nostræ communionis doctis cæteroquin hominibus confictæ fuerint, & consarcinatæ tam augusti nominis derivationes: utque nugaces prætercam auspicatas vel ab interjectione admirantis *Papæ*; vel a Pappo Carduorum flore in lanuginem abeunte, tanquam brevis in Pontificibus vitæ periodi indicativo; vel a papilia, quasi Papa totius sit Christianitatis Mamma, aliasque harum simillimas, quas Ignatius Braccius late persequitur, quibusque vel dumtaxat commemorandis diutius inhærere religio est cum vel levi temporis dispendio, sunt, qui Papam derivent ab initialibus litteris Pauli, & Petri, unde Pa Pe, ac subinde *Papa*:

sunt



sunt &, qui significare idem doceant, quod prisco idiomate apud Italos designabat custodes, ac directores, qui *Papati*, sive *Papates* denominabantur; quo pariter nomine accepti leguntur aliquando Pædagogi apud S. Petrum Damiani, & in actis SS. Viti, & Modesti. Papam tam Græce, quam Latine simpliciter pro Patre acceptum putant alii, e quibus Marianus Victorius in indice ad S. Hieronymum V. *Papa*; & Pearsonius ex Scholiaste Homeri, ac Suida idipsum inferens; atque sub hac acceptione olim Episcopis Papæ nomen attributum observans. Alii vero potius opinantur nomen *Papa* complexum ex duplici *Pa*, quod monosyllabum auctore Festo, pro Patre usurpatum est in Saliari carmine; unde volunt Papam idem præferre ac Patrem Patrum. Id paullo aliter ex Caroli Paschalis hominis diligentissimi, atque antiquitatis peritissimi conjectura efficit Anastasius Germonius lib.2. animadv. cap. 1; idest, quod sicuti olim Imperatores *Patres Patriæ* denominabantur, quæ nomenclatura duabus hisce notis *P. P.* exprimebatur, sicuti passim legitur in antiquissimis monumentis; ita pariter Episcopi appellarentur *Patres Patriæ*: quumque hæc honoris significatio iisdem quoque inscriberetur litteris *P. P.*, posteriores viri rerum minus periti eas legendas putarint *Papa*. Jam vero quod Ægyptiis Echellensis, id Græcis tribuit, atque a Græcis ad Latinos nomen *Papa* transivisse autumat Papebrochius ex Græca voce Παπας. Verum Tertullianus, & S. Cyprianus Latini homines omnium primi Papæ nomen usurpasse leguntur, quod profecto a Græcis nequaquam mutuasse existimandum est. Deinde verisimilius fit non a Græca voce Παπας, sed a Latina complexa ex duplici *Pa* derivatum istud nomen. Pagius igitur a Latinis potius ad Græcos hoc nomen pertransivisse, apud quos sæculo XII. demum Patriarchæ sui *Papæ* nomine cœperint nuncupari, conjectura exinde conficit, quod Theodorus Balsamon Pontificem Romanum quidem Papam appellet; Constantinopolitanum autem Oecumenici, Antiochenum Patriarchæ, & Alexandrinum Archiepiscopi nomine dumtaxat nuncupet.

Ut ut sit de *Papæ* nomine, origine, & notione, istud jam a sæculo IV. exeunte ceu peculiare, ac proprium sibi tribuit S. Siricius P.M. in epistola, quæ sic incipit: *Siricius Papa Orthodoxis*

xis per diversas Provincias &c.; illiusque vestigiis inhærens S. Leo M. in epist. 104. sic inscripta: *Leo Papa Universis per Siciliam constitutis in Domino salutem*, ut animadvertit Petrus Cantelius Soc: J. in histor. Metropolitan. Urbium par. 2. dissert. 1. cap. 2, qui jam par. 1. differt. 1. cap. 1. observaverat ab Ennodio Ticinensi sæculo VI. uni Romano Pontifici, tanquam ipsius proprium, ac peculiare illud adscriptum fuisse, eumque secutum Cassiodorum scribentem ad Bonifacium, Agapetum, & Johannem Romanos Pontifices quemlibet eorum *Papam* appellasse, quum alioquin Eustorgium, & Dacium Mediolanenses, aliosque Urbium aliarum Antistites non aliter, quam Episcopos vocaverit, ut opportune observavit Sirmondus in not. ad epist. 1. lib.4. Ennodii, atque, ut advertit idem Cantelius, hoc ipsum egit Liberatus. Sensim dein usus obtinuit a sæculo IX. exeunte, aut ineunte X, ut *Papæ* nomen uni Romano Pontifici vulgo tribueretur. Tandem idem Cantelius post Baronium in notis ad Martyrologium Romanum die 10. Jan.; Ruinartius quoque in actis sinceris SS. Martyrum p. 148. edit. Veron., quos sequitur Lambertinus, nunc BENEDICTUS XIV. P. M. lib. 1. de Synodo Diœces. cap. 3, cujus sane doctrina illustrior est, quam laude nostra indigeat, scribunt, quod quum schismatici in odium, injuriamque Romani Pontificis nomen *Papæ* sibi vindicarent, S. Gregorius VII. anno 1073. in Synodo Romæ habita sanciverit, ne quis deinceps aut sibimet, aut alteri Papæ nomen attribueret, sed unus esset in Orbe Summus *Papa* Romanus Pontifex. At Pagius Junior in Brev. hist. Crit. in S. Petro tom. 1. adversus Cantelium observat in decem, quas S. Gregorius VII. Romæ celebravit, Synodis, quarum prima habita est anno 1074, non autem 1073, hujusmodi decreti ne ullum quidem vestigium reperiri. In Dictatu equidem n. 11. dicitur: *Quod* (Papæ) *unicum est nomen in Mundo*: at jam convenit inter Eruditos opus esse pseudo-epigraphum, atque S. Gregorio VII. perperam affictum. Quare Pagius ea in persuasione intima est medio sæculo IX. usum tribuendi nomen *Papæ* absque addito soli Pontifici Romano jam apud Latinos invaluisse: quandoquidem S. Avitus Viennensis Antistes solis Patriarchis illud attribuit cum eo discrimine, ut de Græcis loquens nomen adji-

adjiciat Urbis, cui illi præerant, si de Romano Pontifice non item, quod illorum potestas certis Provinciis circumscripta esset, hujus vero nullis esset terminis definita. Post hæc, quidquid sit, ex hoc certe Papæ vocabulo tribus modis colligit Pontificis Romani Primatum Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 31. Primo enim hoc nomine solus ipse intelligitur, ut patet ex Concilio Chalcedonensi act.16, ubi legitur: *Beatissimus, & Apostolicus vir Papa hoc nobis præcipit*, idest S. Leo. 2. Quia solus ipse totius Ecclesiæ Princeps hoc nomine designatur, ut patet ex eodem Concilio Chalced. actione eadem, ubi S.Leo vocatur *Ecclesiæ universalis Papa*, & ex Liberato in breviar. cap.22, ubi habet nullum esse *Papam* super Ecclesiam universalem, nisi Romanum Pontificem. 3. Quia solus ipse hoc *Papæ* nomine appellatur ab ipsis generalibus Conciliis, ipse vero ceteros, vel Filios, vel Fratres nuncupat, ut patet ex epistola ad Concilium II. generale apud Theodoretum lib. 5. cap. 10, & ex epist. Concilii Chalcedonensis ad S. Leonem M. 4. Quia solus ipse Patriarchæ *Oecumenici* illustri titulo insignitur, sicuti S. Agapetus in Concilio Constantinopolitano anno 536. act. 2, 3, & 4.

Ad designandam Pontificiæ potestatis amplitudinem, ut audisti, Papæ nomini adjunctum est sæpe nomen *Universalis*, aut *Oecumenici*; quo nempe ipsius Primatus, sive Monarchica potestas in omnem, quo latet patet, Orbem, perciperetur. Quo ex capite unius Pontificis istud nomen proprium, ac peculiare evidenter adeo evasit, ut nugas venditet maximas Balsamon dum in tract. Jur. Orient. lib. 7. inserto p. 442., non secus ac Ecclesiæ universalitatem in quinque Patriarchalium Sedium in unum veluti caput coalescentium reciproca consensione repositam comminiscitur, ita non unum Romanum Pontificem privatim Ecclesiæ universalem Episcopum esse, sed una cum eo Patriarchas ceteros, ac Constantinopolitanum nominatim esse nuncupandos. Primus, qui hunc *Universalis* titulum arripuerit, fertur præ fastu Dioscorus Alexandrinus in pseudo-Synodo Ephesina, sive qui delatum ab Olympio Evazorum Episcopo utique admiserit, ut observavit Baronius ad annum 449. n. 61, 73, 77, 93, & 104. Quinimo dum adhuc Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus esset, officioque

tioque Apocrisarii Constantinopoli defungeretur, omnem movit lapidem, ut Alexandrini Antistitis auctoritatem super omnes Orientis Ecclesias eveheret: sed Domno Antiocheno, & Theodoreto Cyrensi, uti legitur epist. 86, obsistentibus, & objicientibus a Concilio Nicæno, & Constantinopolitano suas quibusque Patriarchalibus Cathedris Provincias fuisse præfinitas, Dioscorus caussa cecidit, exindeque cœpit, exarsitque odium plusquam vatinianum, quo in Theodoretum deinceps excanduit. Ita Baronius ad annum 439. n. 42, & Bailius tom. 2. in Concil. Constantinopolit. anno 439; quam conjecturam tamen ad commentitias amandat Coutantius in mon. ad epist. 10. S. Sixti III. n. 7. Patriarcha Antiochenus *Universalis*, sive *Catholici* nomine aliquando etiam inscriptus legitur apud Johannem Filesachum de sacra Episcop. auctorit. cap. 9. §.7. Denique sub devexiori ætate Hierosolymitanum pariter superbo isto titulo *Universalis* se inscribere delectatum auctor est Blasius Tercius in Syria sacra de Patriarcha Hierosolym. p. 234.

Qui ambitiose præ aliis ad hunc titulum aspiraverint, fuere Constantinopolitani Antistites Johannes dictus Jejunator, & Cyriacus ejus successor. Quinimo hunc titulum Epiphanio, Antimo, & Mennæ ultrocitroque detulisse legitur Justinianus Imperator Cod. de Sum. Trinit.; Authent. de mensura Clericor. Ordin., & Novella 41. Sed & Mennas eodem titulo in Concilio Constantinopolitano anno 536. celebrato a Concilii Scriba act. 4, & 5. cohonestatus est. Ambitum hunc intra orbitam, & cancellos cohibere sedulo adlaborarunt Pelagius II; & S. Gregorius M. lib. 4. epist. 32. ad Mauritium Imperat.; 34. ad Constantinam Augustam; 36. ad Eulogium Alexand., & Anastasium Antioch.; 38. ad Johannem Constantinopolit.; 39. ad Sabinianum Apocrisarium suum; lib. 6. epist. 28. ad Cyriacum Constantinopolit.; & lib. 7. epist. 70. ad Eusebium Thessalon.; Urbicium Dyrrachinum, aliosque Græcos Antistites. Bonifacius III. denique a Phoca impetravit, ut lege lata Constantinopolitani Episcopi ab hujus tituli usurpatione absterrerentur, testibus Paulo Diacono lib. 4. de gest. Longobar.; Anastasio in Bonifacio III; & Cedreno in Phoca ad annum 906. Nihilominus ab hoc nomine nec abstinuere

deinceps Sergius, uti habetur in Synodo Later. sub S. Martino I; Georgius ita nuncupatus a Constantino Pogonato in Divali; Tryphon, sicuti legitur in actis Concilii Constantinopolit. anno 994; Tharasius eo titulo insignitus a Constantino VI. Imper. in epist. ad Hadrianum I, de quo tamen in rescripto ad eumdem Imperatorem graves in querelas idem Pontifex effusus est: eò imo progressus est Basilius Imperator, ut a Johanne XIX. P. M. hujusce tituli Patriarchæ Constantinopolitano fieri copiam exposceret, cujusmodi votis ne Pontifex faceret satis, intercessores extiterunt Willelmus S. Benigni Divionensis, & Richardus S. Wintoni Virdunensis Abbates: adeoque tandem ea in usurpatione tenacissimi permansere Græcorum posthac Patriarchæ, ut in Concilio Florentino sess. ultima Josephus titulo Oecumenici semet inscripserit; atque in Encyclica ad Ecclesiam Constantinopolitanam de sua electione anno 1463. Bessario ab hoc nomine nec abstinuerit. Parvipendere, aut tolerare, aut permittere bono pacis hunc titulum Græcis Romani Pontifices satius habuerunt, uti observarunt Rocchus Pirrus Siciliæ sacræ tom. 2. in Episcop. Mazaræ n. 27, & Thomassinus vet., & novæ discipl. par. 1. lib. 1. cap. 26. n. 10: vel quia de eorum alioqui, quemadmodum de duobus hisce postremis, nec non de Menna, & Tharasio constantissimum est, demissione, & observantia apprope persuasi essent, nec illos ex proprio, sed ex uno popularium ingenio hunc honorem affectare; vel quia perspectum habuere eo tantum sensu a Græcis ejusmodi titulum Patriarchæ tribui, quo significaretur quidem præesse illum Provinciis Constantinopolitanæ Ecclesiæ obnoxiis, ac inter Patriarchas tractus Orientalis primum honoris gradum obtinere, non quo designaretur pari, atque Pontifex auctoritate præditus. Ita Anastasius in præfat. ad Synodum VII.; S. Johannes a Capistrano in tract. de Pap., & Concil. auctor. par. 3. §. 20, & Dominicus Magri in notitia Vocab. Eccles. V. *Oecumenicus*.

Nec vero his officit, quod S. Gregorius M. lib. 7. epist. 30. ad Eulogium Alexandrinum Episcopi Universalis titulum sibi delatum constantissime recusaverit; ideoque nec licet inferre rem ipsam titulo significatam Pontifici neque deberi, uti perperam pro pessimo ingenio arguunt Lutherus lib. de potest. Papæ; Calvinus

vinus lib. 4. instit. cap. 7. §. 4; Illyricus in hist. Concilii VI. Carthag.; Carolus Molinæus apud Baronium ad annum 587. n. 13, aliique e Protestantium grege. Nam 1. ob humilitatis exercitium in seipso, ob superbiæ execrationem in Johanne, & Cyriaco a titulo isto exhorrebat ita, ut non nihil in extremum excesserit: sicuti ex ejusdem virtutis studio nec Sacerdos dici volebat lib. 3. epist. 31. ad Mauritium Imp.; Eulogium eadem in epistola loco Fratrem; ac moribus Patrem denominavit; Rusticanam Patriciam ad se scribentem, ne se ancillam subscriberet, obnixe obsecravit lib. 9. epist. 38; atque semet Servum Servorum Dei inscribere delectabatur, ut adnotavit Johannes Diaconus in ipsius vita, lib. 4. cap. 58. Cæteroquin enim in epist. 30. lib. 7. ad eumdem Eulogium, & epist. 32. lib. 4. ad præcit. Imperatorem liquido adfirmat tum sibi, tum decessoribus suis a Concilio Chalcedonensi hunc honoris titulum utique fuisse delatum; nec vero dixit unquam decessoribus suis, aut sibi non deberi, sed se, decessoresque suos uti nolle, ac noluisse. 2. Eo itaque sensu titulum Universalis Episcopi rejecit, & recusavit, quo ipse designaretur quasi unus dumtaxat in Orbe Episcopali dignitate, & jurisdictione insignitus, ideoque in Episcopis ceteris titulus esset inanis, & vana nominis umbra: uti recte observarunt S. Thomas contra impug. Relig., & Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 31; eruitur imo ex ipsius epistolis 34. lib. 4. ad Constantinam Aug.; 38. ad Johannem Jejunat.; 36. ad Eulogium; & 69. lib. 7. ad Eusebium Thessalon. Adisis Baronium ad annum 587. n. 13; & ad annum 595. n. 33, & 50.

Cæterum enim S. Gregorii M. sententia Romanum Pontificem Episcopum Universalem nomine, re, ac jure esse liquido adparet tum ex eo, quod Pontifici apertissime Primatus, ac supremæ potestatis honorem, ac prærogativam detulit lib. 4. epist. 32. ad Mauritium Imp.; ei cunctos ubique obnoxios, deberique obedientiam declarat lib. 11. epist. 44. ad Johannem Panormit.; subiectos speciatim Episcopos omnes lib. 7. epist. 64. ad Johannem Syracusanum: perinde Orientis Patriarchas epist. 37. lib. 6. ad Eulogium Alexand.; signatim Constantinopolitanum cit. epist. 64. lib. 7. ad Johannem Syracusanum; in Johannem vero Jejun.

 epist. 38.

epist.38. lib.4. pœnas distringi ab se posse utique denuntiat: tum manifestum fit ex jure ab ipso S. Gregorio tanquam Primate ubique gentium exercito; quatenus nunc Hadrianum Thebanum a jurisdictione Metropolitæ Larisseni detraxit lib. 2. epist. 7; nunc Sardiniæ Sacerdotibus ex defectu Episcoporum, ut Confirmationis Sacramentum conferrent, facultatem fecit lib. 3. epist. 26: modo Episcopis Nicopolitano, & Corinthio Pallii honorem detulit lib. 4. epist. 7, & 55; modo Epiphanium Isauriæ Provinciæ Clericum Diaconatus Ordine adauxit lib. 4. epist. 30: hinc Episcopos Provinciarum Helladiæ, & Epiri, ne quidquam pro Ordinum collatione sacrilege acciperent, deterruit lib. 4. epist. 56; hinc Monachos pluries ab Episcoporum jurisdictione exemit lib. 4. epist.41, & 43; lib. 7. epist. 16; & lib.11. epist.10, & 11: qua Johannem Presbyterum Chalcedonensem a Johanne Jejunatore condemnatum appellantem ad se absolvit lib.5.epist.15; qua Anastasium Isauriensem Presbyterum ab hæresis suspicione absterſit lib. 5. epist. 64: hic Domitianum, & Epidium Græcos Episcopos peccati in electione Cyriaci Patriarchæ redarguit lib.6. epist. 7; illic Amos Patriarchæ Hierosolymitano, ut ad se mitteret Clericum profugum, nec eum ad sacrorum consortium admitteret, in mandatis dedit lib. 7. epist. 7. Quid quod Syagrio Augustodunensi, ac successoribus primum honoris locum post Metropolitam in Provincia Lugdunensi tribuit lib. 7. epist. 113; & Archiepiscopum Thessalonicensem coercuit, ne molestiam Corcyrensi Præsuli inferret lib. 12. epist. 2, & 3? Quid autem quod Januarium Malacitanum in Hispania Episcopum loco, quo fuerat deturbatus, redintegravit, & Stephani pariter Episcopi Provinciæ ejusdem discuti caussam jussit lib.11. epist.52? Plura adhuc paullo post, & alibi. Multo tandem minus Gratianum moror in Cap. *Primæ* 3.dist. 99. ex Concilio Africano *Universalis* titulo nec appellandum Pontificem Romanum affirmantem: nam nihil hujusmodi Concilium habet: quod habet vero ne *Primæ Sedis*, aut *Principis Sacerdotum* nomine Episcopus ullus nuncupetur, de Patriarcha, aut Primate, non de Pontifice M. intelligi debere admonet ibidem Glossa.

Sunt & alia nomina, quibus Romanus Pontifex insignitur, inter

inter quæ illud: *Pater Patrum*, quod tribuitur S. Damaso a Stephano Archiepiscopo Carthaginensi in epist. ad Damasum ipsum, quam suo, & trium Conciliorum Africæ nomine scribit, quæ tàmen apocryphis est adcensenda; etsi id etiam S. Johanni Chrysostomo tribuerit Theodosius apud Nicephorum lib.14. cap. 42; & aliis Episcòpis tribuendum velit Balsamon apud Leunclavium lib. 5. Item illud *Pontifex Christianorum*, quod legitur apud Eusebium in Chron. ad annum 44. Illud iterum *Summus Pontifex*, quod in præfata pseudo-epigrapha Stephani epistola ad Damasum legitur; quo etiam utitur S. Gregorius M. lib. 1. dialog. cap. 4; quodque S. Anselmus in præfat. lib. de Incarn. ad Urbanum II; & S. Bernardus in omnibus epistolis ad Romanos Pontifices usurpant. Sed & *Summum Papam* vocavit S. Agathonem Synodus VI. act. 18. in sermone acclamatorio. Summi Pontificis nomine aliquando vocati sunt Episcopi, ut a S. Zosimo Papa ep.1. ad Episc. Galliar.; a Concilio Agathensi anno 506. can. 35. edit. Harduini; a Sidonio Apollinari lib. 4. epist. 11. edit. Sirmondi; & lib.7. epist. 5. At num aliquando Pontifices Maximi fuerint quoque Episcopi nuncupati, controversia est. Id post Larroquanum propugnat Binghamus Anglus scriptor lib. 1. orig., & antiq. Ecclesiast. cap. 11. §. 6. præsertim illustri Tertulliani loco ex lib. de pudicit. cap. 1. innixus. At contra Baronius ad annum 216; Paschasius Quesnellus differt. 1. in S. Leonem cap. 12; & Samuel Basnagius in annal. ad annum 206. verba Tertulliani non de Episcopo quopiam, sed de Romano Pontifice, ac quidem Zephyrino intelligenda ostendentes, nonnisi Romanum Pontificem *Maximi* nomine donatum olim fuisse contendunt. Pontificis *Maximi* titulo ornari sane olim veteres Imperatores volebant, atque quidem non modo Ethnici, sed Orthodoxi quoque hunc ex more Ethnicorum reliquum titulum retinentes: quod quidem nomen etsi ab ullo Christiano Imperatore retentum negent Baronius in notis ad Martyrolog. Rom. ad diem 22. Augusti; Antonius Pagius ad annum 312. n. 17, & seqq., Jacobus Gothofridus in epist. ad Rivetum de interdicta Christianorum cum Gentilibus communione, & Philippus Bertherius diatriba 2. cap. 6, affirmant tamen, atque quidem a Christianis Imperatoribus titulum illum Ponti-

Pontificis Maximi usurpatum usque ad Gratiani ætatem, a quo primum fuerit rejectus, Zosimus lib. 4. historiar. cap. 36; Baronius ad annum 312, & 383. a priori sententia recedens; Tillemontius tom. 4. hist. Imp.; Spanhemius differt. 12. de præstantia, & usu Numismatum; Bosius lib. 1. de Pontificatu Romanorum Maximo cap. 3; Orsius differt. de capit. crimin. absolut.; Theophanes Archiepiscopus Plescoviensis a Petro Czaro in Moscovia constitutus Vicepræses Synodi anno 1721. in disquisit. de caussis, & sensu, quo Imperatores appellati fuerint Pontifices; Mamachius orig. & antiq. Christ. lib. 2. cap. 21. §. 1, aliique, quorum momenta hinc inde ad trutinam revocat præcit. loco Pagius. Quin imo ex his non desunt, qui eum titulum servatum ab Imperatoribus velint, qui post Gratianum Imperio potiti sunt, uti Antonius Wandale in differt. de Oraculis p. 153. ad Justinum usque Imperatores fuisse Pontifices Maximos nuncupatos contendens, quem eo loci n. 23. profligat Pagius. Ut ut autem sit, is porro titulus quamvis nihil superstitiosi contineret, ut ostensum a Baronio, & Bosio est, quia tamen superstitionis Ethnicæ monumentum videbatur, a Gratiano, ut dictum est, rejectus fuit: eo præsertim, quod titulus ille Romano Episcopo proprius, ac peculiaris esset; neque Imperatori Christiano fas esset, cum Romani Pontificis injuria, se rebus sacris, ut moris Ethnicorum fuerat, immiscere. Illud nomen insuper *Princeps Sacerdotum*, quod legitur in epistola Valentiniani ad Theodosium, quæ præfixa est Concilio Chalcedonensi, & apud Auctorem lib. 2. de vocat. Gentium cap. 6. sub nomine S. Prosperi. Sed & hoc nomen religiose sacratum soli Romano Pontifici voluit Concilium Carthaginense III. can. 26, ubi vetat, ne quis Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos nuncupetur.

Præ ceteris præclarum est illud, a quo cetera facile profluunt: *Vicarius Jesu Christi*; quo titulo utitur S. Bernardus lib. 2. de consid. cap. 8; & Concilium Lugdunense sub B. Gregorio X, ut habetur in 6. de elect. cap. *Ubi periculum*. Quamvis & istud nomen olim improprie datus Episcopis legatur a S. Ignatio M. in epist. ad Trallianos; a S. Cypriano ep. 63; ab Ambrosiastro comment. in epist. 1. ad Corinth.; & ab Auctore quæst. in vet., & nov.

nov. test. apud S. August. q. 127, peculiare est tamen Romani Pontificis, eique specialia privilegia collata significat. Sicut enim in foro Ecclesiastico Vicarius Episcopi a Canone, & Lege jurisdictionem suam obtinet C. *Licet* hoc tit. in 6; ac proinde ipsius auctoritas ordinaria est, non delegata L. *More*; & L. *Quia* ff. de jurisd. omn. jud.; & desumitur ex cap. *Romana* §. de appell. in 6; Glossa ibid. n. 4. *generaliter*; & alia Glossa in cap. *Licet* 2. 4. *Officialem*; Abbas in cap. *Quoniam* 14. n. 11; Felinus in rubrica de offic. deleg. n. 4; Covaruvias lib. 3. variar. resolut. cap. 20. n. 4. Ideoque idem ac Episcopi ipsius Vicarii Tribunal audit; idemque est Auditorium cap. 2. *de Consuetud.* in 6: Episcopi personam gerit, ac repræsentat Vicarius Cap. *Romana* de appell. in 6; ut propterea ab eo ad Episcopum appellatio non admittatur cap. *Non putamus* 2. eod. tit. in 6. Ita proportione servata, in Ecclesia institutione divina idem ac Christi Domini, cujus vices gerit, Tribunal est Romani Pontificis, ex definitione Concilii Florentini sess. 25. Illud quoque *Apostolicæ Sedis Antistes*. Porro quamvis hoc nomine vocati quondam legantur Antiocheni, Hierosolymitani, & Ephesini Episcopi, uti legitur apud Tertullianum lib. de præscript., & S. Augustinum epist. 232, alias 42, tribus tamen modis hoc nomine singulariter Episcopus Romanus insignitur. 1. Quum absolute legitur *Sedes Apostolica* sine addito, Romanus intelligitur Pontifex, ut constat ex S. Augustino epist. 106. *Missæ sunt*, inquiente, *de hac re ex duobus Conciliis* (Carthaginensi, & Milevitano) *relationes ad Apostolicam Sedem*: quas plane missas ad S. Innocentium I. constat ex epist. 90, & 92. 2. Quia Pontifex Romanus nedum Apostolicam Sedem, sed etiam Principatum Sedis Apostolicæ tenere dicitur, ut apud S. Augustinum epist. 162. 3. Quia etiam munus Apostolatus exercere is solus dicitur, ut a Patribus Concilii Chalced. act. 1; ab Honorio Imper. in epist. ad S. Bonifacium; ab Episcopis Galliæ in epist. ad S. Leonem inter Leoninas 51, & a S. Bernardo in epist. 190. ad Innocentium II. Quocirca vehementer errat Binghamus, uti rite observat doctiss. Mamachius loco cit. §. 11, dum lib. 11. orig., & antiq. Eccles. cap. 11. §. 3. testimonio Paulini, & Sidonii innixus scripsit Sedis Apostolicæ nomen non Romano Pon-

Pontifici peculiare fuisse, sed omnibus omnino Episcopis accommodatum. Etsi enim quandoque, ut dicebam, nomen illud Ecclesiis quibusdam ab Apostolis institutis fuerit asertum, communis tamen, ac vetus acceptio erat pro Sede Romana, uti constat ex S. Cypriano in epist. 55; Synodo Sardicensi in epist. Synodica ad S. Julium I; S. Hilario in fragm. 11; S. Optato Milevitano lib. 2. contra Parm.; S. Hieronymo in epist. ad S. Damasum; S. Siricio in epist. 1. ad Himerium Tarracon. cap. 15; S. Innocentio I. in epist. 2. ad Victricium Rotomag. cap. 3; Concilio Milevitano in epist. ad S. Innocentium I; Paulino Diacono in libello S. Zosimo oblato adversus Cælestium anno 417; Synodo Romana in epist. ad Gratianum, & Valentinianum Imper., & aliis innumeris. Unde mirum est, quod Binghamum imitatus adnotator in novam Paulini operum editionem Veron. scripserit omnibus Sedibus Episcopalibus Sedis Apostolicæ appellationem sæculo V. fuisse communem, solo scilicet Paulini, & Sidonii testimonio fretus, illius quidem, quia Cathedram Tagasiensem, quam Alipius tenebat, epist. 3. ad Alipium, alias 45, Apostolicam dixerit; istius vero, quia lib. 6. epist. 1. Tricassinam, quam Lupus occupabat, vocarit Apostolicam. Sed de his satis.

Nominibus, quibus Romani Pontifices præclare insigniuntur, accedunt insignia, quibus pro dignitate exornantur. Sicuti non omnia illorum nomina, sic non omnia eorumdem insignia prosequi, atque oratione comprehendere mihi propositum est; sed ea dumtaxat, quæ propius eorumdem privilegia exprimant, ac veluti oculis exhibeant. Est vero insigne illud singulare inter reliqua triplex Coronamentum, quod Tiaræ nomine donari consuevit, circa quam pleraque ex Papebrochio in Con. chron. hist. differt. 40, in Johanne IV, & Bonifacio VIII; ac Pagio in brev. hist. crit. in Alexandro III, & Paulo II. delegimus. Ergo Romani Pontifices qua Episcopi Mitra ornantur, qua Summi Pontifices Regia etiam corona donantur, quam Ecclesiastici Scriptores modo Regnum, modo Diadema, modo Coronam, modo Phrygium, modo Tiaram nuncupant. Duplex hoc insigne Mitræ scilicet, & Tiaræ Romanis Pontificibus deberi, ut qui duplicem personam sustinent Episcopi, & Pontificis Summi, docent Steva-

nus

nus in tract. de osculat. pedum Rom. Pontif. ser. 30, & Innocentius III. ser. de sua Coronatione. Porro quamvis Tiaræ Papa'is mentio ante S. Gregorium VII, Paschalem II, & Alexandrum III. nulla occurrat, nihilominus eam antiquiorem fuisse satis indigitant tum acta Vaticana sub S. Gregorio VII, tum Pandulphus sub Paschali II, tum Auctor gestorum Alexandri III, dum scilicet scribunt eos Pontifices Tiara Papali, vel Mitra turbinata fuisse insignitos, sicuti *Moris est*, *seu de more*, quem antiquum fuisse oportet. Idem confirmat Auctor confictæ donationis Constantini scribens S. Silvestrum ab eodem Imperatore proprio Regno, seu Phrygio fuisse ornatum: ex eo enim suadetur sub tempus saltem hujusce Scriptoris usurpatum a Romanis Pontificibus illud insigne fuisse: vixisse vero Scriptorem huncce sub sæculi VIII. finem, vel IX. initium exinde colligitur, quod sub id temporis Riculphus Archiepiscopus Moguntinus collectionem decretalium Pontificum, cui hæc falsa donatio adjecta erat, ex Hispania in Galliam asportavit. Quocirca etsi ante medium sæculum IX, seu ante S. Nicolaum I. Pontificis Romani Coronatio non legatur, deceptus nihilominus est Ægidius Cardinalis Viterbiensis, dum scripsit a Paulo II. anno 1464. Mitram in Coronatione usurpatam vocari cœpisse *Regnum*; quum sæculo ante Paulum II. vocata *Regnum* legatur in Ordine Romano 15. a Mabillonio edito, & a Petro Amelio Episcopo Senogalliensi, qui anno 1390. in vivis degebat. Legendi quoque in hanc rem Anastasius, aliique gestorum Pontificum collectores, Antonius Stephanus Cartarius in prodromo gentilitio, & Nicolaus Alemannus Vaticanæ Bibliothecæ Custos in dissert. histor. de pariet. Lateran., qui adversus Franciscum Junium lib. de translat. Imperii contra Bellarminum falso affirmantem a Romanis Pontificibus gestari Coronam, quam olim Constantinus illis concessit, atque custodiri diadema, quod Clodoveus Rex Francorum dono dedit, ostendit Coronam gestandi morem ante Clodoveum obtinuisse, nec a Clodoveo S. Hormisdæ Papæ, quo coronaretur, sed B. Petro, ad aram scilicet S. Petri Religionis ergo suspendendum, diadema missum fuisse, de quo Sigebertus in Chronico perperam laudatus a Junio.

Antiquissimus ergo fuit ille gestandi Coronam mos; sed non

idem ſemper fuit. A ſæculo namque IX. uſque ad ſæculum XIII, ideſt ad Bonifacium VIII, Tiara unius coronamenti uſi ſunt Pontifices. S. Nicolaus I. anno circiter 860. circulum aureum, civilis poteſtatis inſigne, Tiaræ addidiſse creditur ab aliquibus, quod videlicet proculdubio pleno, integroque potiretur jam tum dominio in Urbes Romam, Ravennam, ejuſque Exarchatus, aliaſque Romani Ducatus, ita ut exinde Tiara denominari quoque Regnum cœperit. Quod enim de S. Silveſtro Phrygio, ſive Corona, ſive Regno, ex Conſtantini donatione, redimito circumfertur, id a Johanne Diacono circa exitum ſæculi X, ſive ab alio Recentiore confictum fuerit, figmentum eſſe tamen hodie convenit inter Eruditos. Bonifacius VIII. Tiaram duplici corona inſignitam primus aſſumpſiſſe vulgo fertur, atque, ut oſtendit laudatus Cartarius, Bonifacii imago in Baſilica Lateranenſi expreſſa unica corona redimita eſt; at ejuſdem ſimulacrum in eadem Baſilica ſupra tumulum collocatum binis coronis redimitum, itemque aliud ejuſdem ſimulacrum ſupra januam Civitatis Urbevetanæ anno 1296. poſitum a Civibus illis duplici corona ornatum conſpicitur. Verum Nicolao II. Romæ ab Hildebrando, ſive Prandello in Synodo impoſitam coronam duplicis circuli, in cujus inferiori legebatur: *Corona Regni de manu Dei*: in altero vero ita: *Diadema Imperii de manu Petri* auctor eſt Benzo Epiſcopus Albenſis Nicolao coævus in Panegyrico ad Henricum III. Imperatorem apud Menckenium lib. 7. cap. 2. tom. 1. Script. rer. German. Ab Urbano denique V. Tiaram triplicis coronamenti fuiſſe aſſumptam ſcribit citatus Alemannus, & conjicitur ex antiquis effigiebus Romanorum Pontificum, in quibus Tiaræ a Silveſtro ad Bonifacium VIII. cum unica corona exhibentur; a Bonifacio uſque ad Urbanum V. cum duplici; ab Urbano ad hæc uſque tempora cum triplici. Quod ſi aliquibus in locis, uti Peruſii, imagines aliquorum Pontificum ibi tumulatorum, uti Innocentii III, Urbani IV, & Martini IV, qui ante Urbanum V. vita functi ſunt, cum triplici corona repræſentantur, id non mori illius temporis adjudicandum eſt, ſed magis ſculptori inſcio, qui monumentis Pontificum illorum, quorum corpora anno 1615. teſte Oldoino translata e ſacrario templi ad Capellam illam, in

qua

qua nunc Perusii jacent, coronam insculpsere, juxta formam post Urbani V. epocham a Pontificibus usurpatam. Sed de hoc argumento satis. Porro ex hoc insigni illud profecto colligendum contendimus, Romanos Pontifices in Ecclesia semper creditos, quod non secus ac Reges in Regno supra reliquos præcellunt, ita in toto Orbe Christiano supra universos emineant; ipsisque omnes Ecclesias fasces submittere oporteat, Concilia etiam Oecumenica, uti Regibus Magistratus, & Regnorum Comitia. Confer Innocentium III. serm. de S. Silvestro, & serm. 3. de consecr. Pontif.; Antonium Mazzaronium in tract. de tribus Pontif. Coron.; Andream Sausajum in Panoplia lib. 1. cap. 5; Theophilum Raynaudum in tract. de Corona aurea super Mitram; Ambrosium Landuccium in tract. de Tiara; aliosque apud ipsos.

Altero hujusmodi amplissimæ Pontificiæ dignitatis, potestatisque insigni locus nec infimus hic faciendus, Pallio videlicet: de quo quia plurima jam dicta sunt a Petro de Marca lib. 6. concord., etsi parum æque, magis autem veritati conformiter a doctissimis P. Ruinartio dissert. singul. de Pallio; Nicolao de Bralion in tract. de Pallio; Marco Leone lib. de auctorit., & usu Pallii Pontif.; Wiltemio Soc. Jesu in diptycho Leodiensi; Thomassino veter.,& nov. discipl.part.1. lib.2; Papebrochio dissert.40. de forma Pallii, aliorumque Pontif. indum.; Baldassario tract. de Pallio; Blanchinio in proleg. opusc. 2. tom. 3. Anastasii; Christiano Lupo dissert. 2. de Africanæ Eccl. appellat. capp. 7, & seqq.; Chardono hist. Sacram. tom. 3. lib.2. de Ordin. capp. 8, & 9; Blanco de polit., & potest. Eccles. tom. 5. par. 1. lib. 3, cap. 2. §. 2, & seqq., paucis, quoad fieri poterit, quantique præsentis operis est pretium, dicere præstat. Ut vero ordinate dicam, exordium capiam a Pallii diversis generatim formis, usuque vario, gradus facturus ad inquirendam Pallii Romani originem, & antiquitatem, qua explorata, planum fiet quid rei Pallium significet, quamve potestatis præferat speciem: quæ insuper Pallio adjuncta privilegia, quæ adnexæ leges.

Pallii nomen, genusque usu sive prophano, sive sacro non unum apud Græcos, & Latinos cum veteres, tum nuperos. Græcis vestis erat genus usualis, & talaris absque manicis usu ste-

freqnentis præsertim fœminis, dein Philosophis, ac tandem Monachis, ab hisque in Monachos Occidentales derivatæ: Palludatæ Romanorum Togæ, ac Latinorum Lacernæ, Penulæ, Sago, Clamidi, hujusque genus talaribus vestimentis admodum non absimile, idque omne prophano usu, de quo Tertullianus lib. de Pallio loquutus est. Erat & Pallii genus laicæ dignitatis, potestatisque peculiare insigne. Magistratuum Romanorum Præsides a ceteris discriminabantur singulari ornamento convoluto circa collum, humeros, & pectus in formam fasciæ latioris, quod a Romanis *Lorum*, aut *Laticlavium* dicebatur; dictum etiam ab aliquibus *Paragaudis*, quamvis Paragaudis vestis erat potius ad oram colli, & manicarum lineis nonnullis auri, aut purpuræ, aut coloris varii intexta, quam viris de re militari optime meritis impartiri solebant Imperatores. Cujus rei testes extant etiamnum picturæ veteres Romanorum Magistratuum, & clypeatæ imagines veterum Imperatorum apud Ciampinum lib. *de Cancellario*, & Blanchinium tom. 3. opusc. 2. Consules etiam apud Gallos singulari olim insignitos ornamento, sive pectorali fascia, Limbo, seu Clavo purpura contexto, & oræ togarum assuto præsertim, qua parte pectori, & humeris circumfusa toga in sinus complicabatur, liquet etiamnum ex antiquis Numismatibus, Diptychis, imaginibusque apud Duchangium dissert. de infer. ævi numism., Wiltemium in dipt. Leod., Mabillonium tom. 3. annal. Benedict. lib. 38. ad annum 876, Buonarotium in append. oper. de vitris antiq., aliosque. Sed de Pallio, prout prophano usu venerat, non plura.

Usui sacro sacratas vestes a prisca ætate adhibitas plurimis egregie probat clariss. Thomassinus vet., & nov. discipl. par. 1. lib. 2. cap. 45, quibus profecto adnumerandum Pallium. Sed Pallii, quatenus sacrata vestis erat, aliud apud Græcos genus, & aliud apud Latinos. Equidem Episcopis olim indiscriminatim, sive Græcis, sive Latinis communem extitisse, vetustissimumque cujusdam Pallii usum constat ex actis S. Cypriani, & ex veteribus Cœmeteriorum imaginibus, vitreis, ac musivis, quas exhibent Buonarotius loc. indicato, & Blanchinius tom. 2, & 3. opusc. 2. & in SS. Pio, Marco, Damaso, Zosimo, Sixto, & Leo-

Leone. A Græcis dicebatur Ὠμοφόριον Homophorion, aut Maforten, eratque ex lana quidem contextum, & crucibus deinde distinctum, neque a Laticlavio Latinorum multum absimile, sed fascia erat pectoralis amplior Romano Pallio. Legendi S. Isidorus Pelusiotes lib. 1. epist. 136; & S. Germanus Constantinopolitanus in Theoria rer. Ecclesiast. A Latinorum aliquibus Phrygium, aut Phenolion, aut Byrrhus Pastoralis nuncupatum est. Verumtamen rei vestiariæ peritioribus a Phrygio, Phenolio, & Byrrho aliud est Pallium. Apud Græcos sane aliud Homophorion, aliud Phenolion, quæ duo perperam confudit, ac pro eodem vestimenti genere accepit Petrus de Marca lib. 6. cap. 6. Sed Phenolion iterum aliud Sacerdotale, aliud Diaconale: istud idem cum Alba, ac Sticharion etiam denominatum, quod Græcis non semper albi coloris erat, sed aliquando purpurei etiam: illud a Casula non distinctum; quod ad diferentiam simplicis in Presbyteris, si Episcoporum esset, dicebatur etiam Polystaurion. Ita liquet ex Rubricis ad Liturgiam S. Chrysostomi, atque exponunt Simeon Thessalonicensis lib. de sacr. Ordinat. cap. 5, & Goarius in scholiis ad Euchologium Græcorum. Ex quibus patet falso scripsisse Garnerium dissert. 3. de usu Pallii adjecta libro diurno Pallium olim indistinctim acceptum pro Casula, aut Pluviali. Byrrhus etiam alius communis, eratque vestis ampla, talaris, & longa, qua induti pariter Neophyti, dum e sacro fonte ascenderent, leguntur apud S. Gregorium Nazianz. lib. 7. epist. 29; alius singularis Episcoporum, quo usi aliquando Latini habentur apud S. Augustinum in serm. de vita comm. Clericor., quem Græci appellabant Mandyam, cum quo proinde confundere Homophorion non debebat Morinus in adnot. ad Græcorum Ordinat. n. 19: nam Mandya dicta a Latinis Stola, vestis erat honestissima, manicata, & talaris fluens usque ad terram, uti recte observavit Lupus dissert. 2. de Africanæ Ecclesiæ appellat. cap. 7. Potius Pallii quodam genus fuisse videtur Rationale, cujus mentio occurrit apud Auctorem libri de officiis sub nomine Alcuini cap. 38, ubi refert suo ævo Metropolitas Rationali abjecto ad Pallium Romanum accessisse: & in Missa Latina veteri ab Illyrico edita legitur oratio *ad Rationale* ab Episcopo recitanda, dum eo induitur.

Quod

Quod indicium est Pallii Episcopis indistinctim communis. Certe in Concilio Matisconensi anno 582. can. 6. statutum habetur, ne Archiepiscopus absque Pallio sacra peragat: quod de Archiepiscopo Arelatensi, ac Romano Pallio, quo ille unus utebatur, vix potest intelligi; quum ille tum sub Gothorum Rege degeret, nec proinde ad se Matisconensis Synodi decreta pertinerent. Igitur aliud Pallii genus tum obtinebat plane a Romano diversum, quod prætulisse Mantus speciem, quo humeri circumtegebantur, quodque ad formam Pallii Græcorum, sive Homophorion proxime accederet, licet conjicere ex veteri Sacramentario S. Remigii Remensis apud Hugonem Menardum, in quo SS. Gregorius Magnus, & Remigius ejusmodi Pallio induti exprimuntur: quamquam ex vetustioribus S. Gregorii imaginibus fit verisimilius, ut paullo post faciemus planum, S. Gregorii M. Pallium ejusdem figuræ fuisse, ac formæ, quam sit, quod nunc Summis Pontificibus usu venit. Thomassinus vero vet., & novæ disciplinæ par. 1. lib. 2. cap. 54. n. 9, & 10, nomine Archiepiscopi singulariter adhibiti non alterum a Concilio Matisconensi, quam Arelatensem designatum autumat, conjiciens Arelatensi Archiepiscopo non fuisse antiquitus, sicuti ceteris Archiepiscopis, circumscriptum tempus gestandi Pallium, ac propterea a Romano Pallio non fuisse diversum Pallium Gallicanum. Ut ut sit de Græco, & Gallicano, Romanum certe Pallium antiquum non absimile fuisse ab eo, quod nunc obtinet, quamvis vetustiora desint monumenta, gravi argumento est tamen, quod hujusmodi Pallio usus fuerit S. Leo Magnus, ut liquet ex descriptionibus Pontificalium ejusdem indumentorum factis, quo diverso tempore duplex ejus translatio peracta est sub PauloV. anno 1607,& sub Clemente XI. anno 1714, de quibus adeundi Henschenius, & Papebrochius in Propyleo ad tom. 1. Maji; & Blanchinius tom. 3. Anast. in *S. Leone Magno*. Simile quoque fuisse S. Gregorii M. Pallium conjicere est ex ipsius veteribus imaginibus denuo expressis opera P. Angeli Rocca tom. 2. oper., & PP. Maurinorum tom. 1. oper. S. Gregorii edit. Parisiensis anni 1705. De Pallii varia forma, ac figura jam satis, superque.

Quod ad Pallii antiquitatem, & originem attinet, Du-Can-

gius.

gius in Glossario ; Petrus de Marca lib. *6.* Concord. cap. *6* , & post ipsium Baluzius acceptum referendum autumant illud Imperatoribus , qui postquam Christo Domino nomen dedissent , præcipuarum Urbium Episcopis illud veluti Imperatoriæ dignitatis insigne contulerint . Quam opinionem hisce potissimum putant conjecturis conficere . Præter enim quamquod confirmetur ex instrumento Donationis S. Silvestro factæ olim a Constantino Magno , qua inter alia Pontifici collata insignia Lorum Imperiale locum habet ; illud efficit , quod olim Pontifices , nonnisi præhabito Imperatorum assensu , perspectaque plene ipsorum voluntate , Pallii honorem , usumque cuipiam Episcopo concederent . Exemplum extare ajunt in Vigilio , qui Auxanio Arelatensi Pallium deposcenti rescripsit epist. *6.* illud impartiri nequire , antequam Imperatoris sibi explorata voluntas esset , qua perspecta , subjunxit gratias ab eo Imperatori esse rependendas , quatenus pronas , facilesque præbuisset aures . Nec alteram agendi rationem tenuere idem Vigilius cum Aureliano , quem eadem in Ecclesia Arelatensi successorem excepit Auxanius ; nec non S. Gregorius Magnus cum Syagrio Episcopo Augustodunensi , uti liquet ex ejus epistola ad Johannem Diaconum vices suas Constantinopoli agentem , jubens , ut apud Imperatorem operam impenderet pro impetrando , quo Syagrius dignus esset , Pallio . Præterea in more positum , ac commune ceteris Patriarchis contendit Petrus de Marca , ut ab Imperatore Pallium peterent , & acciperent , testimonio innixus Liberati in Brev. cap. 21 , ubi auctor est Anthimum Constantinopolitana ab Ecclesia dejectum Pallium penes Imperatorem deposuisse . Baronius ad annum 432. Petri de Marca opinionem explodit ceu parum æquam , minusque honori consonam , quo haberi Pontifex debet , indecens , indecorumque reputans laicæ potestati sacræ dignitatis insigne acceptum referri . Quamquam ingenue profitetur inter Pontificalia insignia Pallium ante Sæculum IV. recensitum se non reperire , quum primum a S. Marco Pontifice Episcopo Ostiensi , utpote cujus officio cederet Romanum Pontificem consecrare , cujusque officii meminit S. Augustinus in Brev. collat. diei 3. cap. 17 , collatum est . Rupertus , ut nihil de Durando lib. 3. cap. 17. dicam , Rupertus , inquam , equi-

equidem lib.1. de Divin. offic. cap.27. S. Maternum Treviros missum a S. Petro Pallio demandati muneris insigni decoratum scribit. Verum ab eruditis est observatum a S. Petro Treviros prædicatum Evangelium missum, gentique illi ordinatum Episcopum non Maternum, sed Eucharium, eodem Materno non Episcopo, sed Subdiacono adjuncto itinerum, ac laborum socio; Euchario vero in munere Episcopali successisse Valerium, & Valerio demum Maternum. Christophorus Marcellus Archiepiscopus Corcyrensis Cæremonial. lib.1. cap. 8. S. Lino Pallii institutionem, primumque usum acceptum referendum putat, suæque in opinionis confirmationem advocat tum homiliam S.Maximi *de veste Sacerdotali*, tum sermonem Eusebii Cæsareensis *de Epiphania*. Veruntamen Dominicus Magri in not. 1. vocabul. Ecclesiast. utrumque hujusmodi opus Maximo, Eusebioque, siquidem genuina inter illorum opera desideratur, tamquam eorum nomine suppositum abjudicat. Omnino autem vera opinio est Baronii; toto ostio abs vero aberrat opinio Petri de Marca. Nec Baronio officit, quod complures Ecclesia cærimonias ab Judæis mutuata sit: quæ enim sacræ, sacroque cultui apud eos mancipatæ erant, & devotæ, eccur non in Ecclesia Christiana usu venirent, rituque simillimo, ac meliori dedicarentur? Nec Petrum de Marca juvat, quod ab Imperatoribus fas fieri Pallium concedendi postulaverint aliquando Pontifices. Nam raro admodum id factum, & ut de S. Symmacho, Pelagio I, Johanne III. Prædecessoribus ejus, aliisque Successoribus, de quibus paullo infra, taceam, S. Gregorius ipse nullo Imperatoris prævio consensu Virgilio Arelatensi Pallium concessit. Quum vero factum, altera omnino adfuit ratio faciendi: puta ne Imperatores illi, tum temporis in Pontifices parum æqui, in invidiam, suspicionemque irritarentur de amplificata, concessione Pallii, Episcoporum illorum potestate, qui imperio suo non parebant, cujusmodi erant Galli; deque imminutis Patriarcharum Orientalium juribus, ac prærogativis. Quamquam si id semper factum dicere cogeremur, non propterea inde conficeretur, quod contendit Petrus de Marca, videlicet Pallii usum ab Imperatoribus profectum, quandoquidem longo temporis spatio abusus invaluerat, ut per annulum, & baculum Pastoralem Episcopa-

copatuum, Abbatiarumque investituræ a Regibus, & Imperatoribus conferrentur: annulum tamen, ac pastoralem baculum insignia esse Imperatoria, aut Regalia quis autumet? Ad hæc nonnisi adhibito Imperatorum assensu Pontifices aliquando Vicarios Apostolicæ Sedis in Provinciis longe a Roma sepositis constituisse leguntur, quis vero inde inferat ab Imperatoribus jus in Vicarios istiusmodi derivasse? Postremo ad significandum quanto in pretio, honoreque Pallium haberi deberet, preces qua Regum, qua Episcoporum infimas, enixasque adhiberi Pontifices volebant, ne si facile impetrarent, ex facilitate impetratum vilesceret. Itaque nonnisi ad preces Childeberti Regis Francorum Pallium Auxanio, Aureliano, & Sapaudo Arelatensibus contulere Vigilius, & Pelagius I: Brunechildis Reginæ, & Childeberti Syagrio Augustodunensi, & Virgilio Arelatensi; necnon Episcoporum veteris Epiri Andreæ Nicopolitano S. Gregorius Magnus: S. Bonifacii Moguntini, & Synodi Liptinensis Grimoni Rotomagensi S. Zacharias: Caroli Magni Tilpino Remensi, & Hermemberto Bituricensi Hadrianus I: Hincmari, & Synodi II. Suessionensis eidem Hincmaro S. Leo IV: Caroli Calvi Egiloni Senonensi S. Nicolaus I: ejusdem Caroli, & Concilii Tricassini Wlfado Bituricensi Hadrianus II: Caroli item Calvi Adalgario Augustodunensi; & Carolomanni Theotmaro Salisburgensi Johannes VIII. Cæterum Vigilius *B. Petri auctoritate*, & S. Gregorius M. *Deo auctore* se Pallium Auxanio, & Syagrio concessisse apertissime professi sunt; quorum vestigiis hærens S. Gregorius III. in epist. 1. ad S. Bonifacium, *Tibi*, inquit, *sacri Pallii direximus munus; quod B. Petri Apostoli auctoritate suscipiens, induaris, atque inter Archiepiscopos .... censearis*. Confer, si plura aveas, Doctissimum Thomasinum part. 1. lib. 2. cap. 54.

Vero itaque simillima sententia est a prima ætate una cum ceteris Pontificiæ dignitatis insignibus Pallium obtinuisse. Quum enim in Ecclesia ab ejus incunabulis Hierarchici gradus instituti fuerint, ita ad singulos discernendos, exprimendosque distincta quædam insignia sunt invecta; atque non secus ac in veteri Synagoga alia Levitarum, alia Sacerdotum, alia Pontificis Maximi propria erant ornamenta, sic in Ecclesia Christiana condecens

erat, ut suis a Laicis Sacerdotes, a Sacerdotibus Episcopi, ab Episcopis Primates, ab his vero Pontifex insignibus secernerentur. Verum enim vero Superhumerale veteris Sacerdotii proprium Aaronis, ejusque in summo Pontificatu Successorum, translato ad Christianos maximo Sacerdotio, a Christianis repræsentari cepisse prima ætate in Pallio Romani Pontificis, ampliori scilicet velo circa humeros convoluto, cui limbus affixus, eique aliquando supremæ potestatis symbola adjecta, puta claves, planum fit ex vetustis anaglyphis, numismatibus, picturis, musivis, sculptisque imaginibus apud Nicolaum Alemannum de Lateranensibus parietinis, pag. 56, 61, & seqq.; & apud Blanchinium tom. 2. Anast. in S. Urbano; & tom. 3. in 5. Marco. Eidem Pallio Summi Pontificis ætate ab Apostolis proxima adjectus est limbus candidus, sive fascia crucibus insignita: quam fasciam per oram Pallii ad formam Orarii circumductam humeris, & ad pedes defluentem repræsentant apud prælaudatos auctores antiqua musiva, & picturæ Romanorum Pontificum a sæculo III. ad XII. Ante id tempus desiderantur utique certiora vetera monumenta, sed quæ supersunt frugi cuilibet argumento satis, superque esse possunt. Utque præteream usum Pallii apud Græcos, quod a Romano fuisse diversum jam adnotavimus, sub Concilio Nicæno invaluisse, sicut conjicere est ex Canone 17. Concilii IV. Constantinopolitani, certe apud Latinos Romani Pontificis fuisse proprium, a quo pro insigni beneficio Episcopis conferri in more positum esset, liquido adparet ex S. Marco, teste Anastasio, qui illo Ostiensem Episcopum insignitum voluit; ex S. Symmacho epist. 11, qui illud Theodoro Laureacensi contulit; ex Vigilio epist. 6, & 7, a quo illo Auxanium, & Aurelianum Arelatenses Episcopos exornatos jam diximus; ex Pelagio I. epist. 12, a quo Sapaudus pariter Arelatensis Pallii honore donatus est; ex Johanne III, qui Edaldo Viennensi ejusmodi insigne detulit, si tamen genuina est epistola, qua recensetur; ex S. Gregorio M., qui Pallio cohonestasse plurimos legitur, inter quos Virgilium Arelatensem epist. 50. lib. 5, Syagrium Augustodunensem epist. 113. lib. 7; S. Leandrum Hispalensem epist. 127. lib. 9; S. Augustinum Cantuariensem epist. 15. lib. 12; Johannem primæ Justinianæ,

næ, ſive Acridæ Epiſcopum epiſt. 8. lib. 2. indict. 13; Johannem Corinthiacum epiſt. 55. lib. 5; Andream Nicopolitanum epiſt. 7. lib. 7. Et ſane ſub S. Gregorio M. Pallii uſu jam præditos Archiepiſcopos Mediolanenſem, & Ravennatem; Epiſcopos etiam Meſſanenſem, Syracuſanum, & Salernitanum, Aquilejenſem, Dyrrachinum, Philippenſem, Theſſalonicenſem, Cretenſem, Calaritanum &c. liquet ex epiſt. 1. lib.3; 54. lib.4; 8. lib. 5; 82, & 113. lib. 7. Etiamnum Pallii honore gaudere Epiſcopos Lucenſem, Ticinenſem, & Bambergenſem, ſed immediate ſubeſſe Apoſtolicæ Sedi obſervat Cardinalis Bona rer. Liturgic. lib. 1. cap. 24. Nunc Benedicti XIII. beneficio Lucenſis ad Archiepiſcopatus faſtigium evectus eſt. Præterea Pallii honorem delatum Salomoni Epiſcopo Dolenſi, ejuſque Succeſſoribus confirmatum a Pelagio I, & S. Nicolao I, perhibet Petrus Frizonius in Gallia purpur.; Brunoni item Veronenſi a S. Gregorio VII. ex lib. 1. epiſt. 24. refert Ughellus in Italia ſacra; Epiſcopo denique Quinqueeccleſienſi in Hungaria auctor eſt inter alios P. Antonius Foreſti apud P. Antonium Baldaſſarum lib. de Pallio Apoſtol. cap. 10.

Plurima, & forſitan præter modum, opuſque de Pallii origine, & antiquitate diſputata ſunt. Pauca jam ſubtexere præſtat de poteſtate conferrendi Pallium, eoque utendi. In Eccleſia Orientali olim Patriarchas omnes Pallio uti conſueviſse liquet ex Liberato Brev. cap. 20. perhibente Alexandrinis Patriarchis in more poſitum S. Marci Pallium e defuncti deceſsoris collo aſsumere, ſuoquemet aptare, poſtquam in ejus conſediſsent Patriarchali Cathedra; liquet ex Photio cod. 256. referente de Metrophane Conſtantinopolitano Epiſcopo, quod Conſtantino adnuente dignitate ſe abdicans Alexandro Succeſsori deſignato Pallium ſuper altare depoſitum reſervari voluit. Idipſum pariter ab Anthimo præſtitum jam paullo ante obſervatum eſt. Eutychius Conſtantinopolitanus inauguratus Pallio ſtatim indutus legitur apud Surium die 6. Aprilis. Macarius Alexandrinus Monothelitarum hæreſi infectus Pallio exutus Synodi VI, ſive Conſtantinopolitanæ III. decreto habetur actione 7. Nihiloſecius Patriarchas Orientales Pallio uti abſque Pontificis Romani auctoritate non auſos, conjectura aſsequi ex eo poteſt, tum quod nihil fuerit apud ipſos

 anti-

antiquius, quam statim inaugurationis suæ Romanos Pontifices certiores facere, confirmari locum poscere, fidei professionem nuncupare, quo de argumento fuse par.2. Vindic.; tum quod a S. Agapeto Pallio spoliatum Anthimum Constantinopolitanum, eique suffectum Mennam, & a Pelagio Vigilii Apocrisario Pallio denudatum Paulum Alexandrinum, eique superordinatum Zoilum legere est apud Liberatum Brev. cap. 23. Atque quidem ad annum usque *934*. viguisse eum morem, ut Pallio non uterentur Patriarchæ, quoadusque a Pontifice facta facultas fuisset, testis locuples est Luitprandus in relatione suæ legationis ad Nicephorum Phocam apud Baronium ad præcitatum annum: nempe narrat Romanum Imperatorem Alberici Tyrannidem Romæ exercentis adhibita opera a Johanne XI. privilegium extorsisse, quo Theophylacto filio Constantinopolitano Patriarchæ, & Successoribus imposterum Pallio uti, nullo præhabito suffragio, liceret. Certe sub Innocentio II. anno 1136. Rodulphum Patriarcham Antiochenum Romam profectum ibi se Pallio exuisse, quod privata auctoritate induerat, alioque a Pontifice decoratum, refert Willelmus Tyrius lib. 15. cap. 10. apud Baronium. Denique in Concilio Lateranensi IV. ab Innocentio III. res confecta canone 5, quo statutum a Patriarchis omnibus Pallium a Romano Pontifice accipiendum, *præstito fidelitatis, & obedientiæ juramento*: deinde fas esse ipsis Pallium suis Metropolitanis largiri, *recipientes pro se professionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab ipsis*. Consuevisse etiam conferri a Patriarchis Pallium constat ex canone 17. Concilii IV. Constantinopolitani vulgo generalis VIII. Simplicibus imo Episcopis ex eo constat, quod propterea Photium gravissimis Johannes VIII. objurgaverit. Ex præmemorato privilegio Theophylacto Constantinopolitano a Johanne XI. facto profectum quoque morem huncce, quo Græci omnes Episcopi Pallium gestant, subtexit loco præcitato Luitprandus; quem morem Græcis Episcopis communem etiamnum vigere observat Morinus in notis ad Ordinat. Græcor. par.2.n.19. Quamquam, ut supra observatum est, id Pallii genus Episcoporum Græcorum proprium a Romano Pallio nonnihil discrepet, præferatque mantus potius speciem ad humeros circumtegendos, quam

quam fasciam ad eorumdem ornatum. Pallium vero Romanum quum a S.Gregorio M. collatum constet Metropolitis primæ Justinianæ, Corinthi, & Nicopolis, etsi Romano Patriarchatui obnoxiis, conjectura assequi licet ceteros pariter Græcos Metropolitas tum a Romano Pontifice hunc honorem accipere debuisse: nec enim fuisset, cur præ his parcius cum illis ageretur. In Ecclesia Latina integrum semper mansisse, ut ab uno Pontifice deposceretur, & acciperetur Pallium, fit perspicuum, præterquam quod ex testimoniis S. Marci, S. Symmachi, Vigilii, Pelagii I, Johannis III, & S. Gregorii I, de quibus supra, ex Concilio Liptinensi anno 743; S. Bonifacio Moguntino epist. 105. ad Cudbertum Cantuariensem, qua refert in Concilio Liptinensi communi suffragio constitutum Pallium a Romano Pontifice fore a Metropolitis petendum; & Carolo Magno Capitul. lib. 6. capit. 79. idipsum cautum jubente, ut Metropolitæ Pallium a Summo Pontifice peterent.

Jam operæ est pretium, ut inspiciamus quid Pallio honoris, sive juris, quid oneris, sive officii iret adnexum, adjunctumque. Pallium pro insigni potestatis Ecclesiasticæ semper habitum res extra omnem dubitationis aleam est. Collatum fertur Episcopo Ostiensi ab S.Marco, utpote prædito jure consecrandi Pontificem: collatum S. Ambrosio a S. Siricio, ut ejus vice res Ecclesiarum procuraret, ut a nonnullis litterarum monumentis proditum est, apud quos tamen integra esto fides: collatum S. Cyrillo Alexandrino a S. Cælestino, ut Ephesino Concilio suo nomine præsideret, referunt Photius, & Balsamon. Quamquam veri fit similius Phrygium illud fuisse, seu Mitram, non Pallium, ut autumat Ruinartius, ac dilucide tradit Nicephorus lib. 14. cap. 34. Certo certius est tamen Episcopos, quibus Pallium conferebatur, Archiepiscopi nomine fuisse adauctos: ita enim Godegrandus Metensis, Angelramus, Drogo, & Vala, quos in Ecclesia Metensi successores excepit, a Stephano III, Sergio II, & Johanne VIII. Pallio accepto confestim Archiepiscopi nomine audire cœperunt. Cautum id interea initio summopere Pontifices voluere, ne pariter Archiepiscopi jura invaderent, eoque specioso prætextu Metropolitarum potestas imminueretur. Itaque SS.Symmachus,

machus, Hormisdas, Gregorius M., Zacharias, & Callixtus II, ea lege Pallii honore, ac legationis etiam vice cohonestarunt Cæsarium Arelatensem, Johannem Tarraconensem, Syagrium Augustodunensem, Bonifacium Moguntinum, Willibrordum Trajectinum, & Stephanum Metensem, ne in Metropolitanorum jura irreperent, quibus integra omnino manere jusserunt. Archiepiscopi titulo aliquando cum Pallii collatione ea prærogativa conjunctim adjecta est, ut immediate Pallio insignitus Sedi Apostolicæ subjaceret, ab eadem una inaugurandus, judicandusque. Qua prærogativa cumulati perhibentur ab Hadriano II. Actardus Nannetensis, & a S. Leone IX. Episcopus Mimatensis. Sequiori sæculo, idest V. adnexæ Pallio vices Pontificiæ, & qui accipiebant, Vicarios Apostolicæ Sedis agebant, uti S.Symmachi S. Cæsarius; & S. Gregorii in Gallia S. Syagrius; in Hispania S. Leander; & in Britannia S. Augustinus. Quod dictum ita intelligi oportet, ut tunc primum Vicarii Apostolici Pallio designati sint, nam alioquin jam pridem Apostolicæ Sedis Vicarios audivisse par.2. Vindic. perspicuum fiet. Hinc S.Gregorius M. epist.31. lib. 12. S. Augustino Cantuariæ Archiepiscopo scribens, *In Galliarum*, inquit, *Episcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis Prædecessorum meorum temporibus Pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem Nos privare auctoritate percepta minime debemus*. Hinc Rabanus lib. de Ordin. Antiphonar. scripsit: *Summo Pontifici propter Apostolicam vicem Pallii honor decernitur*. Pallium itaque primo supremæ Pontificiæ auctoritatis insigne extitit, ut apposite animadvertit Theophilus Raynaudus in tract. *de Ecclesia bicipiti*: postea Vicariæ potestatis collatæ a Pontifice Apostolicæ Sedis vices agentibus: indicium postremo evasit amplioris potestatis Archiepiscopalis; sive Archiepiscopalium jurium confirmatio, & augmentum iis non modicum accedebat, qui Pallio condecorarentur, sicuti ab Hadriano I. Tilpinus, & a S. Nicolao I. Hincmarus Remenses ambo Archiepiscopi acceperunt.

Par erat, ut prærogativis ejusmodi Pallio adnexis peculiaria officia, præter ea, quæ populo suæ curæ commendato præstanda essent, de quibus legendæ litteræ Clementis II. ad Johannem Sa-

Salernitanum, Pontifici Romano præstanda adjicerentur. In his igitur specialis Apostolicæ Sedi subjectio debebatur. Proinde, qui Pallio decorabantur, præterquam quod Romam properare oportebat, quemadmodum de B. Elphego Cantuariensi refert Surius ad diem 19. Aprilis; de S. Anselmo item Cantuariensi legitur apud Eadmerum in ejusdem vita lib. 2, & de semet testatur S. Anselmus epist. 24. lib. 3; de S. Malachia Armacano narrat S. Bernardus in ipsius vita; quinimo Romam pro accipiendo Pallio venire consuevisse Archiepiscopos Tyrios auctor est Guillelmus Tyrius; tradunt vero de Metropolitis omnibus expresse S. Gregorius VII. lib. 1. epist. 24. ad Episcopum Veronensem; lib. 9. epist. 1. ad Episcopum Rotomagensem, & 10. ad Lantfrancum Cantuariensem; Fulbertus Carnotensis epist. 48. ad Archiepiscopum Turonensem; & S. Petrus Damiani lib. 7. epist. 4. ad Agnetem Imperat., præter id, inquam, in obsequii, obedientiæque argumentum Pontifici fidei, fidelitatisque professioni obstringi oportebat, & obligari, ut liquet ex formulis concessionis, & collationis Pallii in libro diurno Rom. Pontif. edito, illustratoque a Garnerio; atque ex præscriptis Roman. Pontif. Episcopis, quos Pallii honore adaugebant. *Pallii usum*, scribebat S. Symmachus epist. 11. ad Theodorum Laureac., *ad ostendendam unanimitatem, quam cum B. Petro Apostolo universus grex Dominicarum ovium, quæ ei commissæ sunt, habere dubium non est..., indulsimus*. *In Pallio*, inquit Paschalis II. epist. 5. ad Archiepiscopum Colocensem relatus cap. *Significasti* 4. de elec., & electi potest., *plenitudo conceditur Pontificalis officii*: ab eo nempe, qui universæ Ecclesiæ, universoque Episcoporum cœtui præsidens jurisdictionis particulam in eos protendit. Unde in epistola præcitata, (quam quidem Poloniæ Archiepiscopo inscriptam Baronius autumat; inscriptam Archiepiscopo Panormitano legimus præcit. cap. *Significasti*; sed verius Colocensi in Hungaria Archiep. inscribendam contendit Franciscus Florens ad tit. *de Auct., & usu Pallii*:) *Quum igitur*, subdit, *a Sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ a B. Petri tantum corpore assumuntur, justum est, ut vos quoque Sedi Apostolicæ subjectionis debitæ signa solvatis, quæ vos cum B. Petro tamquam membra de membro hare-*

hærere, & Catholici Capitis unitatem servare declarent. *In quo* (Pallio) inquit Innocentius III. cap. *Nisi* 2. de auct., & usu Pallii, *Pontificis officii plenitudo cum Archiepiscopalis nominis appellatione confertur*. Id expressius indicatur a Pontificali Romano apud Martenium de antiq. Eccles. ritib. tom. 2. cap. 8. art. 11. his verbis: *In hoc Pallio accipe plenitudinem officii tui, & potestatem celebrandi Concilia, & consecrandi Episcopos*. Conferendæ etiam formulæ traditionis Pallii ex jure Pontificio apud Hostiensem in summa §. *cui concedendum*, & ex Concilio Lateranensi III. sub Alexandro III. præscriptæ apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1685. De conjuncta pariter collationi Pallii fidei, fidelitatisque professione, consulendæ epistolæ Johannis VIII. ad Willibertum Coloniensem apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 121, & Paschalis II. præc. epistola 5. ad Archiepiscopum Panormit., sive 6. ad Archiep. Poloniæ apud præfat. Hard. tom. 6. par. 2. pag. 1768. Videnda etiam Glossa in cap. 4. dist. 100. Decret. 1. parte caussas referens denegati Pallii Archiepiscopo Coloniensi. Quamobrem antequam Pallium accepissent, ab ordinationibus Episcoporum, Conciliorum convocatione, & Pontificalium exercitio abstinere Metropolitæ jure optimo jussi sunt. Id primum interdixit Bulgaris S. Nicolaus I. epist. ad consult. Bulgar. cap. 12; deinde lege lata universis Johannes VIII. in Concilio Ravennate anno 877. cap. 1, & epistolis 93, & 95; S. Gregorius VII. lib. 9. epist. 1. ad Willelmum Rotom., & tandem Innocentius III. lib. de auct., & usu Pallii cap. *Nisi*; adeo ut Othone Frisingensi referente lib. 7. cap. 22. sæculo XII. a consecrando in Regem Conrado amotus fuerit Archiepiscopus Coloniensis, iccirco, quod Pallio a Pontifice nondum fuisset insignitus. Quia vero Romani Pontificis in totam, qua late patet, Ecclesiam potestas extenditur, Metropolitanorum vero certis, justisque circumscribitur terminis, propterea in Pallii usu id discriminis intercedit, quod eo Pontifex ubique, ac semper utitur; non etiam Metropolitæ. Hinc S. Gregorius M. lib. 2. epist. 54. Johannem Ravennatem, quod indiscriminatim usum Pallii sibi vindicasset, gravissime objurgavit. Hinc Johannes VIII. in præcit. Synodo Ravennate cap. 3. prolato etiam S. Gregorii testimonio, Pallio, qui extra præfinitum tempus,

pus, locumque uti præsumpsisset, exspoliandum decrevit. Hinc Alexander II. epist.4. ad Petrum Dalmatiæ Archiep.; Urbanus II. epist. 5. ad Eliam Barensem, & 7. ad Berengarium Tarrac.; Paschalis II. epist. 4. ad Bernardum Tolet., & 90. ad Petrum Acheruntinum; Lucius II. epist. 3. ad Raymundum Tolet.; & Hadrianus IV. epist. 38. ad Henricum Gradensem dies gestandi Pallium præfinivere, quos nefas foret prætergredi. Hinc Innocentius III. cap. *Ad honorem* 4. de auct., & usu Pall., *Solus*, inquit, *Romanus Pontifex in Missarum solemniis Pallio semper utitur, & ubique, quando assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, quod per Pallium figuratur: alii autem eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus, quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*. Confer Pontificale Rom. ab Urbano VIII. reform.; Johannem Card. a Turrecremata par. 1. dist. 100; Henricum Card. Ostiensem in summa lib. 1. de auct., & usu Pall., Fagnanum, Pirringhium, Florentem, & Canonistas communiter ad cit. tit. de usu, & auct. Pall. Ex quibus liquido adparet, quam livide, & quam temere post Dupinum, & Petrum de Marca nonnulli commenti sint, & calumniati Pallium excogitatum Pontificum fuisse, quo suo Metropolitas subjugarent imperio; Palliique collatione tum Provincialium Conciliorum, tum Metropolitarum jura valde imminuta. Quod commentum, & quam calumniam siquidem egregie propulsarunt, exploseruntque viri doctissimi Thomassinus tom. 1. vet., & nov. discipl. lib. 2. capp. 53, & 55; & Blancus de potest., & polit. Eccles. tom. 5. part. 1. lib. 3. cap. 2. §. 3, & 4. non est cur iis iterum dispungendis operam impendamus.

Ex Testimoniis Romanorum Pontificum.

§. II.

PErsuasum Romanis Pontificibus adeo semper fuit ea esse sibi singulariter in persona S. Petri a Christo Domino collata privilegia, ut nulli in Ecclesia, neu Oecumenico Concilio fasces

submitterent suos: eamdem vero edocentes fidei dogmata, morumque disciplinam falli, & fallere omnino essent nescii, idque tot dictis, gestisque comprobatum, declaratumque voluere, ut qui vellet ea omnia sermone comprehendere, næ his sermoni nullum imponeret modum. Quare satius erit, si nonnulla ex singulis Ecclesiæ ævis decerpta, quantum institutæ a nobis brevis orationis ratio patitur, in medium proferamus. Et quidem principio S.Petrus collectæ Ecclesiæ in Concilio, dirimendæ controversiæ circa legalia exortæ caussa, verba faciens: *Viri Fratres*, sic effatus Act. Apost. 15, 7. legitur, *Vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in Nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere*. Scitis scilicet *Ab antiquis diebus*, idest jampridem, hoc est ante annos 18, quot ab anno 33. Christianæ æræ, quo a Christo audivit *Tu es Petrus* &c. Matth. 16, ad annum usque 51, quo hæc dixit S. Petrus, interfluxerant: vel ante annos 14, quot a conversione Cornelii, quæ contigit sub annum Christi 37, usque ad cit. annum Christi 51, quo Concilium ejusmodi est celebratum, pertransierant, *Quod Deus in Nobis elegit*: idest inter nos Me primum, & Principem Apostolorum elegit, Ecclesiæque Primatem: *Per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere*: videlicet, ut mihi dicenti auscultent omnes,& abs me dictis adquiescant.Igitur audita de lege Moysis in utramque partem disceptatione, S. Petrus eam primus velut judex definivit, atque ita ab se infallibili definitione decretis parendi ceteris necessitatem imposuit, adquiescendique doctrinæ ab se explicatæ: unde mox ejus sententiam sectati S. Jacobus, & ceteri omnes leguntur. Ita hunc locum interpretati sunt S. Hieronymus epist. 89, quæ 11. est inter epist. S. Augustini cap. 3, ubi ait S. Petrum Principem fuisse hujus decreti; & Theodoretus in epist. ad S. Leonem M., ubi ait S. Paulum ad S. Petrum Hierosolymam properasse ab eo accepturum solutionem legalium, de quibus Antiochiæ contentio exarserat, exinde arguens multo magis sibi ad Apostolicam Sedem confugiendum fuisse, ut controversiarum de fide perciperet finem. Confer Cornelium a Lapide in cit. locum.

A Theologis veteribus præsertim in eo peccatum, ut passim abs-

absque delectu ex pseudo-epigraphis veterum Pontificum decretalibus testimonia in hanc rem deflorarent, paullo supra jam advertimus. Nihilominus novissime doctissimus Franciscus Antonius Cavalcanti Archiepiscopus Consentinus in Vindic.Rom.Pontif. lib. 7. dissert. 2. nullitatem latæ contra Honorium sententiæ ex eo firmans, quia jure Episcopatus Honorii caussa peculiari ratione ad Romanum Pontificem pertinebat, tum contra Magdeburgenses Centuriatores pro veterum decretalium auctoritate indiscriminatim pugnat, tum contra Baluzium pro epistola S.Melchiadis ad Hispanos Episcopos, quam germanum ipsius fœtum contendit, atque pariter genuinam epistolam S. Victoris ad Theophilum, quam quidem non Theophilo Alexandrino, sed Theophilo Cæsareæ Palestinæ Episcopo inscribendam jubet, non secus ac epistolas qua S. Athanasii ad S. Marcum, qua S. Marci ad S. Athanasium: id vero quo agit demum argumento? Eo præcipue, ac unico pene, quod Chartarium, seu Tabularium in Romanæ Ecclesiæ scriniis, quod nunc *Regestum* vocant, jugiter extiterit, in quo decretales Pontificum describi consueverint: ejusque Chartarii meminerint, qui optime noverant, S. Nicolaus I. in epist. ad Wenilonem Archiep. Senonensem; S. Marcus in cit. epist. ad S.Athanasium, & S. Hieronymus lib. 3. contra Ruffinum, a quo accusabatur confictæ epistolæ sub nomine Anastasii, qua errorum insimulabatur ab eo adornata Origenis versio. Attexere poterat, qui passim de scriniis Apostolicæ Sedis loquuti leguntur, SS. Damasum in epist.4. edit. Cout. ad Orient.; Bonifacium I. in epist.4. ad Rufum; Cælestinum I. in epist. 4. ad Episcopos Prov. Vien., & Narbon.; Leonem M. in epist. 61. ad Theodosium Imp., & 110. ad Maximum Antioch.; Symmachum in epist.3. ad Æonium Arelat.; Gregorium M. lib. 3. in epist. 54; lib. 7. in epist. 105, & 117; & lib. 9. in epist. 50; Galliarum Antistites in epist. ad S. Leonem; ac Theodosium Echinien. in Synodo Rom. sub Bonifacio II. Verum isthæc viri eruditi conjectatio vel ex eo integra concidit, quod, ut in prolegomeno fecimus palam, S. Leo IV. in epist. ad Episcopos Angliæ, a quibus de his decretalibus fuerat consultus, quæ legitur cap. *de Libellis* dist. 20, reposuit ab Apostolica Sede usu sacratas esse tantummodo regulas *Conciliorum* ...,

& Præsulum Romanorum Silvestri, Siricii &c. Ubi vides epistolas decretales non a Clemente, aut Anacleto, sed a Silvestro, & Siricio illum inchoare. Putasne vero incompertum illi fuisse Romanæ Ecclesiæ Chartarium? Esto autem olim in Ecclesia Romana extiterit Chartarium ejusmodi, injuria temporum postea periisse oportet, aut in eo decretales hasce nunquam extasse, quandoquidem ex illo nonnisi ab Hadriani I. tempore, vel a Pontificibus, vel a Synodis, vel a Scriptoribus laudatæ sententiæ sunt. Recole ibidem dicta, nam nolo actum agere. Ergo quum indubia prorsus, eaque innumera Pontificum testimonia nobis in hanc rem suppetant, his malim stare, quæ statim juxta Pontificum ordinem Chronologicum profero. Sunt vero sequentes.

Sæculo II, & III. primo S. Clemens Ecclesiam universam sibi concreditam absque dubio credidit, sive dum Ebionitas, ut perhibet S. Epiphanius, qui erroribus in Oriente turbabant Ecclesiam, coarguit, & compescuit: sive dum curam suam extendens ad Corinthiorum Ecclesiam, in qua res divinas, humanasque susquedeque agi acceperat, ut restauraret eas, & restitueret summopere satagens, celebrem illam sacræ eruditionis refertissimam exaravit epistolam, quam a nigris Photii notis, & invidis Clerici obtrectationibus Theologi nostrates vindicant, & abstergunt, cujus commodior alio in loco recurret commemoratio. Eam in Orientis Ecclesiis devotionis gratia legi consuevisse auctores sunt S. Epiphanius hæres. 30, Eusebius lib. 3. hist. Eccles. cap. 16, & S. Hieronymus in catalogo. S. Soteris legi pariter epistolam consuevisse perhibet S. Dionysius Corinthius apud Eusebium lib. 4. cap. 23; subdens universorum Christifidelium curam, ac sollicitudinem a Romano Pontifice susceptam. Simili modo supremi Pastoris officio egregie perfunctos SS. Anicetum, Eleutherium, Victorem, Zephyrinum, & Fabianum impigram operam impendisse, qua Ethnicis ad Ecclesiam evocandis, qua Heterodoxis ab Ecclesia eliminandis, qua rebus Ecclesiarum resarciendis, & restituendis; itaque quæ Pontificis essent in Ecclesia partes, quæque sibi insideret, sententiam de propria in Ecclesia potestate commonstrasse, commodius, & luculentius alio in loco dicetur. S. Cornelius in epist. ad Fabium Antiochenum apud

apud Eusebium lib. 6. hist. Eccles. cap. 43, & in epist. ad S. Cyprianum inter Cyprianicas 46., nunc 49, eo egregius, quo antiquius, & quo expressius testimonium profert de Romano Pontifice in S. Petri persona a Christo Domino constituto Ecclesiæ universæ Monarcha, sacrorumque Christianorum Antistite summo, opus fore omnino affirmans, ut unus in Ecclesia Catholica Episcopus sit, in quo cæteri omnes conquiescant. *Nec enim ignoramus*, verba erant Confessorum e Novatiano schismate reducum, quæ & refert ad Fabium eo schismate infectum, quæque suo peculiari jure facit, *unum Deum esse, unum Christum esse Dominum... unum Spiritum S., unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere*. S. Cornelii itaque sententia unus est in Ecclesia Episcopus: equis vero nisi post Petrum Romanus Pontifex? Eccur vero unus, nisi ut in fidei unitate fideles undique comprehendat? Comprehenderet ne vero, si ipse vel deflectere a fide posset, vel supra omnes fideles summopere non posset? Hinc S. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 6. cap. 45. Novatianum eo nomine reprehendit, & repulit, quod schismate Romanam scindens Ecclesiam, Ecclesiam Catholicam similiter scinderet, ab unitate, aut scissione Romanæ Ecclesiæ Catholicæ unitatem, aut scissionem dependere demonstrans. Hinc unitatis in Ecclesia Catholica servandæ studio schisma a Novatiano in Romanam Ecclesiam invectum enixis viribus abolere, & abigere adlaborarunt ex Africa S. Cyprianus epist. 45, 47, 48, 51, & 54. edit. Brem.; Alexandria S. Dionysius apud Eusebium lib. 6. cap. 46, & Antiochia Demetrianus Episcopus Antiochen. apud Auctor. Synodici.

S. Stephanus celeberrimo decreto suo adversus Firmilianum, Asianosque, & S. Cyprianum, Africanosque errorem de Anabaptismo ab eisdem in Conciliis Iconiensi, & Carthaginensi confirmatum una Romanæ Ecclesiæ objecta traditione convellens, duo nitidissime docuit: nimirum in Ecclesia Romana supremam residere potestatem, fidemque retineri puram, nulla unquam erroris fuligine obfuscandam. Observationem debeo doctissimo P. Dominico a SS. Trinitate lib. 3. bibl. theolog. sect. 4. cap. 16, ubi prælaudato S. Stephani decreto accurate perpenso subinfert: *Tum maxime evincit, quanta in Petri Successore esset auctoritas,*

quam-

quamque infallibile ejus in quæstionibus fidei judicium. Quandoquidem S. Stephanus Papa nullis aliis ferme armis, quam Majorum traditione vallatus, cujus Sedes Romana fidelis semper, & invicta custos extitit, omnem Orientalium, & Occidentalium impetum sustinuit Episcoporum. De S. Dionysio Papa, quatenus S. Dionysio Alexandrino a Pentapolitanis Sabellianismi postulato diem dixit, quo suo comparens conspectui in judicio experiretur, seque ab impacti erroris suspicione expurgaret: nec non Nicænis Patribus in condemnatione Arii, vocisque *Omousion* consecratione prælusit, opportunius alibi differendum dimittimus.

Sæculo IV, & V, ut de SS. Melchiade, & Silvestro, aliisque, de quibus aliis in locis actum, sileam, ordine succedit S. Julius I, qui in epistola ad Orientales, quæ in apologia 2. S. Athanasii extat, ita loquitur, tamquam iis utique, qui a Romano Pontifice finitivum Episcoporum omnium judicium pendere ignorare nequirent: *An ignari estis hanc consuetudinem, ut primum Nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit? Quapropter si isthic ejusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit.* Et infra: *Quæ*, inquit, *accepimus a Beato Petro Apostolo, ea vobis significo, non scripturus alioqui, quæ nota apud vos esse arbitror, nisi facta ipsa nos conturbassent.* Hanc epistolam scripsit in caussa S. Athanasii Patriarchæ Alexandrini, Pauli Constantinopolitani, Marcelli Ancyrani, Lucii Adrianopolitani, & Asclepæ Gazensis, quos Orientales sede moverant; sedi vero Julius pro sua auctoritate restituit, ut referunt Sozomenus lib. 3. hist. Eccles. cap. 8, & Socrates lib. 2. hist. cap. 15. Nec vero Launojum juvat, quod a Synodo gesta ab se abrogari nefas sit arbitratus: arguit id enim rerum gestarum justitiam, non autem in se potestatis inopiam ad ea retractanda, si gesta minus juste fuissent. S. Liberius opportunius alibi erit laudandus: confer interea ejus epistolam ad Macedonianos apud Harduinum tom. 1. pag. 743. ex interpret. Epiphanii Scholastici. S. Damasus in epistola ad Episcopos Illyrici apud Theodoretum lib. 2. hist. Eccles. cap. 22, ea ratione Ariminensem Synodum in irritum ab se missam denuntiavit, quod absque Sedis Apostolicæ conscientia fuisset celebrata: quo modo significabat eamdem

Se-

Sedem supra Synodum omnem potestate pollere. *Numerus*, inquit, *Episcoporum, qui erant Arimini in unum congregati, præjudicii vim habere non debet, præsertim quum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præ ceteris omnibus expectanda erat; neque Vincentio* (Apostolicæ Sedis Legato)... *neque aliis eidem consentientibus*. Idem in epistola ad Episcopos Orientales, quam recitat Theodoretus lib. 5. cap. 10, ita loquitur, ex interpretatione Valesii: *Quod debitam Apostolicæ Sedi reverentiam exhibet charitas vestra, in eo vobis ipsis quàmplurimum præstatis filii charissimi*. Hanc ad illos exaravit epistolam ea occasione, quod rogatu Orientalium, imprimisque S. Basilii epist. 74, Appollinarium, Timotheumque discipulum hæresis nomine damnasset, cujus damnationis eos admonitos voluit. *Scitote igitur*, subdens, *quod ... Timotheum Apollinarii hæretici Discipulum una cum impio ejus dogmate damnavimus*. Demum eo damnato locum dubitandi nullum esse amplius de adempto ei gradu in Ecclesia concludit: *Quid igitur depositionem Timothei a me iterum postulatis, qui & h c judicio Sedis Apostolicæ ... abdicatus est*? Addit ab se fidei præscriptam formulam, de qua proinde disputantes ne paterentur: *Jam enim semel formulam dedimus, ut qui se Christianum profiteatur, illud servet, quod traditum est ab Apostolis*. Alteram ad Orientales epistolam exaravit ea occasione, qua Romam ad Concilium ab eo vocati Episcopi Orientales, agnoscentes ab se Romano Pontifici fore parendum, ut constat ex eorumdem epistola Synodica, ex qua plane liquet, quæ Orientalibus haud inficiantibus Romani Pontificis in Episcopos cunctos esset potestas, se Pontifici obtemperare non posse, nec Romam proficisci responderunt, idest ob suarum Ecclesiarum discrimen Constantinopoli detenti. S. Siricius in epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum, quam primam esse decretalium epistolarum a Romanis Pontificibus editarum agnovit eruditus omnis non modo, sed etiam Calvinus, quamque contra Papebrochium genuinam ostendit Pagius, ita fatur: *Pro officii nostri consideratione non est Nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus major cunctis Christianæ Religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium, qui gravantur: quin imo hæc portat in Nobis*

B. Apo-

B. Apostolus Petrus, qui Nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit, & tuetur hæredes: & infra cap. 15: *Explicavimus*, subdit, *ut arbitror, frater carissime, universa, quæ digesta sunt in querelam, & ad singulas caussas, de quibus per filium nostrum Bassianum Presbyterum ad Romanam Ecclesiam, utpote ad Caput tui corporis, retulisti*. Scilicet respondit relationi ab Himerio ad S. Damasum ejus decessorem missæ, ac 15. capitibus Ecclesiasticam disciplinam comprehensam tradidit, cujus decreta Himerio mandat, ut ad alios Episcopos dirigat, & observanda jubet nedum in Provincia Tarraconensi, sed & in Carthaginensi, Bætica, Lusitana, atque Gallæcia. Confer ejusdem epistolas ad Ecclesiam Mediolan. de damnatione Joviniani; necnon ad Africæ Episcopos, qua inter alia, *Per* S. *Petrum*, affirmat, *Apostolatus, & Episcopatus in Christo cœpit exordium*. Quorum similia scripsit S. Innocentius I, de quo statim. Dubitant Quesnellus, & Papebrochius in conatu chron. Crit. in S. Siricio de hac ad Afros epistola: sed eam genuinam recte defendunt Scelestratius Eccl. Afric. dissert. 3. cap. 12; Baluzius in dissert. de Concil. Teleptensi; & Pagius ad annum 386. n. 2.

S. Innocentius I. in epistola ad Victricium Rotomagensem; quam suffraganeis Episcopis, & aliis Ecclesiis ut notam faciat, jubet, ut cognoscatur Ecclesiæ Romanæ praxis, quaque 13. decreta tradit disciplinæ, quorum tertio statuit caussas Clericorum tam superioris, quam inferioris ordinis ab Episcopis Provinciæ judicari secundum Nicænos canones, ita tamen fatur: *Sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus caussis debet reverentia custodiri*. Et infra: *Si majores caussæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam .... post Episcopale judicium referantur*. Hanc S.Innocentii epistolam suggillant heterodoxi, quod in ea quædam legantur, quæ ad verbum continentur in epistola S.Siricii. Verum decreta 12, & 13. hujusce Innocentianæ epistolæ citantur a S. Zacharia Papa epist. 7, & a Concilio Turonensi III. anno 566, vel 567. celebrato can. 20. ex Innocentii epistola: eamque sub Innocentii nomine Dionysius Exiguus in Codicem canonum Rom. Ecclesiæ inseruit, unde eadem Innocentii genuinus dubio omni procul est fœtus. Legito ejusdem epistolam ad Exuperium

rium Toloſanum. Idem S. Innocentius in epiſtola ad Epiſcopos Macedoniæ; *Adverti*, ſcribit, *Sedi Apoſtolicæ, ad quam relatio quaſi ad Caput Eccleſiarum miſſa currebat, fieri injuriam &c.* Neque quis criminetur particulam *quaſi*: nam particulam *quaſi* non ſemper præſeferre adverbium ſimilitudinis, aut accipi pro particula *fere*, aut *pene*, ſed aliquando præſeferre adverbium ſubſtantiæ, & accipi pro particula *reapſe*, ſeu *revera*, notat ipſe Calepinus, & patet ex Johann. 1, ubi Chriſtus dicitur *Quaſi Unigenitus Patris*, qui plane conſubſtantialis eſt Patri: quo in ſenſu ſubſtantivo hic accipi patet ex contextu epiſtolæ. Confer ejuſdem epiſt. ad Decentium Eugub. tom 1. art. 1. relatam. Ad hæc autem in epiſt. ad Patres Concilii Milevitani, quæ inter epiſt. S. Auguſtini eſt 93, quaque Synodicæ relationi de actis contra Pelagium miſſæ reſpondet, ſic habet: *Diligenter, & congrue Apoſtolico conſulitis honori, (honori, inquam, illius, quem præter illa, quæ extrinſecus ſunt, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum,) antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab Orbe noſtis eſse ſervatam.* Et infra. *Quoties fidei ratio ventilatur... nonniſi ad Petrum, ideſt ſui nominis, & honoris auctorem referri debere*, ſcribit. In epiſtola etiam ad Concilii Carthag. Patres ſimili relationi Synodicæ de actis in cauſsa Pelagii reſpondens, quæ inter Auguſtinianas epiſtolas eſt 91, Romanam Sedem dicit eſse *Fontem, & Caput* omnium Eccleſiarum: de quibus duabus Innocentii epiſtolis præclare S. Auguſtinus in epiſt. 106. ad Paulinum dixit: *Ad omnia ille nobis reſcripſit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem.* Denique in epiſt. ad Felicem Nucerinum, *Omnia*, inquit, *quæ poſsunt aliquam recipere dubitationem, ad Nos quaſi ad Caput, & Apicem Epiſcopatus referre, ut conſulta videlicet Sedes Apoſtolica ex ipſis rebus dubiis certum aliquid, faciendumque pronuntiet.* Quæ quidem aperta ſunt adeo, ut gloſsemate illuſtrari non indigeant. Confer epiſtolas ad Alexandrum Antioch.; ad Rufum Theſſal.; ad Epiſcopos Macedoniæ, & ad Epiſcopos Synodi Toletanæ. Conſulendus etiam Emin. Noriſius hiſt. Pelag. pag. 74. præcit. ad PP. Africanos epiſtolas ab Eraſmi, & Voſſii cenſuris vindicans.

Succurrit, auſpicioque ſuo facit S. Zoſimus, qui in epiſt. ad Heſy-

Hesychium Salonitanum Episcopum, *Ad te*, inquit, *potissimum scripta direximus, quæ in omnium Fratrum, & Episcoporum nostrorum facies ire notitiam*: & infra: *Sciet quisquis hoc postposita Patrum, & Apostolicæ Sedis auctoritate neglexerit, a Nobis districtius vindicandum, ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones posse tentari*. Idem in epist. ad Concilii Carthag. Patres in favorem Pelagii, *Patrum*, inquit, *traditio Apostolicæ Sedi tantam auctoritatem tribuit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper, regulasque servaverit, & currens adhuc suis legibus Ecclesiastica disciplina Petri nomini, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam, quam debet exsolvat: tantam enim huic Apostolo canonica auctoritas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut ligata solveret, & soluta vinciret: par potestatis data conditio in eos, qui Sedis hæreditatem, ipso annuente, meruissent: habet enim ipse cum omnium Ecclesiarum, tum hujus maxime, ubi sederat, curam, nec patitur aliquid privilegii, aut aliqua titubare aura sententiæ, cui ipsa sui nominis firma, & nullis hebetata motibus constituit fundamenta, & quæ sine periculo temere nullus incessat*. Hæc, & alia in epist. ad Aurelium, & Patres Concilii Carthagin. habet Zosimus, quibus planum facit potestatem Romano Pontifici in S. Petri persona factam talem esse, tantamque, ut nulla ei valeat comparari, aut contra eniti; sed imo deprimi sub ipsa omnis, fascesque submittere debeat. De S. Zosimo sæpius redibit sermo, quum erit agendum, sive de jure appellationum, sive de hæresi Pelagiana.

S. Bonifacius I. in epist. 15. edit. Cout. ad Episcopos Illyrici scribebat: quod nulli licet Sedis Apostolicæ definitiones ad novum examen adducere, quodque injuriam D. Petro infert, quisquis id facere præsumpserit: quod quum Ecclesia fundata sit supra D. Petrum, quicumque dignitatis sacerdotalis particeps esse cupit, ei se subdere tenetur: quod nullus unquam se Sedis Apostolicæ culmini, cujus judicium in quæstionem accersere nefas est ingens, opponere ausus sit, quin propriam damnationem secum attraxerit: *Nemo unquam*, inquit, *Apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit; nemo in hoc rebellis extitit*

rit, nisi qui de se voluit judicari. Prosequitur deinde affirmando, quod Patriarchales Sedes, æque ac ceteræ S. Sedis auctoritatem agnoscunt: quod in rebus magni momenti ad eam confugere solent, ejusque frequenter auxilium implorarunt: quod S. Athanasius, ejusque in Ecclesia Alexandrina successor id persæpe factitarunt: quod quum in Ecclesia Antiochena divisiones in Episcopatu exortæ fuissent, Sedes Apostolica consultata fuerat non modo, sed quod Flavianus, ut Sedis illius legitimus haberetur Antistes, ad eam recurrere, ejusque gratiam implorare debuerit, quod impetravit: quod etiam quum Theodosius Imperator Nectarium in Constantinopolitanum Episcopum eligi curasset, hujusce electionis confirmatorias litteras a Romano Pontifice, solemni ob id ad eum missa legatione, expetiverit: quod denique sub S. Innocentio I. Orientis Episcopi, qui a Sede Apostolica ob caussam male gestam S. Chrysostomi defecerant, deputationem Romam miserint ad pacem ab ipso postulandam, eamque obtinuerint. Hæc omnia distincte S. Bonifacius I. ibidem: qui in epistola quoque ad Episcopos Thessaliæ *Institutio*, inquit, *universalis nascentis Ecclesiæ de B. Petri sumpsit honore principium*, (quorum simillima ad Concilium Carthag. scripserat S. Innocentius I.) *in quo regimen ejus, & summa consistit. Ex ejus enim Ecclesiastica disciplina per omnes Ecclesias, religionis jam crescente cultura, fonte manavit*. In epistola denique ad Episcopos Galliarum, *Quidquid*, scribit, *vestra Caritas de hac caussa duxerit decernendum, quum ad Nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur*. Agebatur de Maximo Episcopo Valentino, quem multorum criminum, ac Manichææ hæresis maxime reum ad se delatum in Synodo Provinciæ judicandum quidem dimisit, reservato tamen sibi relationis, & confirmationis sententiæ jure. Confer & epist. 4, 5, & 13. in edit. Coutantii ad Rufum Thessalon., ubi præclarum supremæ potestatis specimen præbet.

S. Cælestinus I, de quo plura ubi de Synodo Ephesina egimus, in epist. ad Episcopos per Illyricum constitutos in eamdem conveniebat sententiam de rei Christianæ summa sibi concredita, *Nosque*, ajens, *præcipue circa omnes cura constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in S. Petro Apostolo indulsit*.

Legenda epistola ad Rufum Thessalonic., qua vices suas illi in Illyricum demandat. Item epist. ad S.Cyrillum, quæ refertur par.1. Concilii Ephesini, ubi scribit: *Nostræ Sedis auctoritate adscita, nostraque vice, & loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris; nempe ut nisi 10. dierum intervallo ab hujus nostræ admonitionis die numerandorum nefariam doctrinam suam conceptis verbis* (Nestorius) *anathematizet .... illico Sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat: is vero modis omnibus se a nostro corpore segregatum esse intelligat.* Ad hæc autem in epist. ad Ephesinam Synodum, *Longius*, inquit, *quidem sumus positi, sed per sollicitudinem totum propius intuemur: omnes habet B.Petri Apostoli cura præsentes.* Qui ita loquitur, plane Concilio generali inferiorem, aut in fide fallibilem se haud intelligit.

S. Sixtus III. non alteram a Prædecessore animo præferebat sententiam, dum in epist. ad Johannem Antiochenum una cum Orientalibus jam S. Cyrillo reconciliatum sic loquebatur: *Hæc Sanctitatem tuam volumus prædicare, quæ scribis: expertus es negotii præsentis eventu, quid sit sentire Nobiscum. B.Petrus Apostolus in Successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab ejus se velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primum Magister edocuit? Non hunc auditus per alterum, non sermo lectus instruxit, doctus est cum aliis ore Doctoris: non scripturæ, non Scriptorum passus est quæstionem: absolutam, & simplicem fidem, & quæ controversiam non haberet, accepit.* Quibus certe explicatiora ad confirmanda ambo Pontificis privilegia frugi cuilibet desiderare non est. Ludit itaque Launojus, illusumque se probat, dum ad Pontificem Concilio subjugandum ex Sixti III. epistola ad Episcopos Illyrici producit verba isthæc: *Ut omne corpus capite regitur, ita ipsum caput, nisi suo corpore sustentetur, firmitatem, & vigorem suum perdit, & non tenet, quam habuerat dignitatem.* Quid enim? Quemadmodum corpus capite regitur, sic Ecclesia regitur a Pontifice, atque adeo qui regit ei plane, quæ regenda subjacet, præeminet. Quorsum autem ista? Episcopo Thessalonicensi ea in epistola vices suas demandabat, cum pleno jure Episcopos ad Concilium evocandi: hæc vero, dic sodes, indicia sunt ne Pontificis Concilio potestate inferioris? Sed hæc, uti visum

sum Holstenio, & Tillemontio est, scribebat S.Sixtus de Concilio Ephesino, aut verius, ut putant alii, de Constantinopolitano sub Proclo, cui plane superiorem se præstat verbis sequentibus. *Nec his vos Fratres carissimi constitutis, quæ præter nostra præcepta Orientalis Synodus decernere voluit, credatis teneri, præter id quidem, quod de fide Nobis consentientibus judicavit.*

S. Leo re, ac nomine Magnus tot in locis, tam liquido, tamque luculenter ambo Sedis Apostolicæ privilegia, quibus de agimus, omnem prorsus extra dubitationis posuit aleam, ut persequi velle omnia nec fas sit, aut facile, nec operæ pretium, unde satius erit perstrictim nonnulla, quæ ultro se offerent, verbo attigisse. Præter ea plurima, quæ dedimus, quum de Synodo Chalcedonensi differebamus, is serm.3. relatis verbis Lucæ 22. ita concludit: *Pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conservatur.* Quæ in epist. 5. ad Patres Chalced. confirmans: *Quia*, inquit, *per omnes Ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc a nobis Domino, qui Apostolicæ dignitatis Beatissimo Apostolo Petro primatum fidei suæ commisit.* Amplius hæc in epist. 84. ad Anastasium Thessal. describit: *Sicut Prædecessores mei*, inquiens, *Prædecessoribus tuis, ita etiam Ego dilectioni tuæ, priorum sequutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi, ut curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex institutione divina debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adjuvares, & longinquis a nobis Provinciis præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes:* & iterum ibi: *Vices*, subdit, *nostras ita tuæ credimus Caritati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis:* in fine vero, postquam dixisset magna providentia constitutos fuisse Episcopos, Archiepiscopos, & Primates, concludit: *Per quos ad unam Petri Sedem Universalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil unquam a suo Capite dissideret.* Legendæ quoque ejusdem epistolæ 53. ad Anatolium Constantinop., 62. ad Maximum Antioch., 75. ad Leonem Imperat., 81. ad Dioscorum Alexand., 87. ad Episcopos Africæ, 89. ad Episcopos Provin. Vienn., & illæ, quæ ad Epi-

Episcopos qua Germaniæ, qua Hispaniæ, qua Italiæ, ex quibus palam fiet S. Leonem imperasse Episcopis Græciæ, Asiæ, Ægypti, Africæ, Germaniæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ &c. in quibus cum testatur innumeris consultationibus ad Sedem Apostolicam confugisse illas Ecclesias; tum se se eorumdem Episcoporum judicem, & Caput esse affirmat: ut proinde in verbo suo turpissime mentiti sint Lutherus, & Calvinus, dum veteres Pontifices nihil auctoritatis habuisse extra Occidentem effutiere. Ad hæc serm. 2. in die suæ assumpt., *Soliditas*, ait, *illius fidei, quæ in Apostolorum Principe laudata est, perpetua est, & sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit*. Immensus, & innumerus essem, si universa, quæ hancce in rem protulit S. Leo, vellem proferre, dicta sunto satis: quæ vero pro dictorum confirmatione perfecit, opportuniori in loco, si superis placet, fuse prosequemur.

Ingrediebatur recta in eadem vestigia S. Hilarus, qui in epist. ad Leontium Episcopum Arelatensem, qua ipsum acriter increpat, ideo quod se certiorem non fecisset temerarii ausus, quo Hermes quidam Biterrensibus ordinatus Episcopus, nec ab iis receptus, Narbonensem invaserat Ecclesiam, sic habet: *Quantum reverentiæ in spiritu Dei, qui subditos sibi inhabitat sacerdotes, B. Petro, & Sedi ipsius deferatur, omnibus arbitror esse compertum, quibus paternarum traditionum incorrupta custodia est*. In epistola vero ad Episcopos Galliarum, qua, ut per singulos annos Synodi celebrentur, jubet, in dirimendis gravioribus caussis Apostolicam Sedem consulendam edicit. Idem in Synodo Romana, *Nulli*, ita statuit, *fas sit sine status sui periculo vel divinas Constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare*. Responderunt vero Episcopi: *Ista per S. Petrum, & in perpetuum serventur, optamus*. Itaque ipsius sententia indeclinabile, supremum, ac indefectibile omnino est Apostolicæ Sedis judicium. Eidem sententiæ insistebat S. Simplicius, qui in epist. 4. ad Zenonem Imper. ita eum alloquebatur: *Perstat in Successoribus suis hæc, & eadem Apostolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam Ovilis injunxit; cui se usque ad finem sæculi minime defuturum; cui portas*

tas inferi nunquam prævalituras esse promisit; *cujus sententia, quæ ligarentur in terris, & solvi testatus est non posse nec in Cælo*. Porro hisce SS. Pontificum sententiis adquiescebant dubio procul Episcopi omnes, Ecclesiæque, quibus epistolæ ille inscribebantur, neque quidquam adversus doctrinam in illis traditam mussitatum unquam est. Quid est ergo, quod soli, qui Orthodoxi nomine maxime gloriantur, illis adversarios se præbere non erubescunt? Verum eò, quò tendit, incedat oratio. Consentanea in epist. 5. ad Acacium Constantinop. Episcopum scribit. *Quia*, inquiens, *Sanctæ memoriæ Prædecessorum nostrorum extante doctrina, contra quam nefas est disputare, quisquis rectè sapere videtur, novis assertionibus non indiget edoceri, sed plana, atque perfecta sunt omnia, quibus potest vel deceptus ab hæreticis erudiri, vel in vinea Domini plantandus institui*. Quibus plane duo refractarios illos, Imperatorem scilicet, & Patriarcham admonitos voluit: Apostolicæ Sedis sententiæ omnino standum, idcirco, quod ea super omnem Ecclesiam potis sit, ac per eam perpetuo firma, stabilisque in Ecclesia sit fides; ex quo fieret, ut qui ejus judicio adquiescit, ab erroris periculo longe sit procul. Mitto pleraque alia de Simplicio, ne sim longior, quæ paucis complexus est Baronius ad annum 483. observans illum perinde ac in summa pace, & otio Cathedræ S. Petri insedisse: ex ea Orbis universi Ecclesiis sanxisse leges, cognovisse caussas, definivisse sententias: quos compressisse, quos confirmasse: fastu elatos dejecisse, dejectos loco restituisse: oppressos relevasse, refractarios cohibuisse: hos in hæresi obfirmatos prostravisse, illos ad frugem reversos promovisse: coercuisse Imperatores insultantes: obstitisse victoribus barbaris Regibus: ab Oriente, & Occidente suscepisse legationes, in omnibus arbitrum se illis, atque judicem dedisse: ubi corpore præsens adesse non posset, litterarum, legationumque vicibus subrogatis, præsto fuisse spiritu, atque ubique præfuisse, & profuisse.

S. Felix III. in Acacium haud absimili zelo affectus, ut ad partes catholico dignas Antistite adimplendas incitaret, quæ sibi incumbebant, primas, supremasque hisce ingerere studuit, eique insinuare, scribens: *In diversas generalis Ecclesiæ curas, quas ubique terrarum cunctis populis Christianis, Summi Pastoris vice dele-*

delegante, Beatissimus Petrus Apostolus pervigili moderatione dispensat, continuo me sollicitudo maxima, quæ & Prædecessorem meum incessanter urgebat, tam Alexandrinæ Urbis, quam status fidei totius Orientis regionis excepit. Contumacem Acacium, ac Petro Fulloni Antiochenæ Ecclesiæ pervasori, & Petro Moggo Alexandrino pseudo-Episcopo communicantem cum hisce pestibus anathemate tandem contrivit Felix III, qui aliis dicitur II, quo de argumento alibi. Præstat autem, qui præ aliis privilegia Apostolicæ Sedis bono in lumine collocavit, audire S. Gelasium in epistola 7. ad Episcopos Dardaniæ, & Illyrici sic loquentem: *Cuncta per Mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi: utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio; siquidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Quid vero, quod in epist. 1. ad Euphemium Constantinopolitanum Episcopum: *Confessioni*, inquit, *B. Apostoli Petri portas inferi nunquam prævalituras esse* (Christus) *promisit*? Porro Confessionis B. Petri nomine intelligi non confessionem divinitatis ab eo emissam, sed locum, ubi Romæ conquiescit ejus corpus, ac proinde Romanam Ecclesiam, seu potius Sedem Apostolicam docet ipsemet Bossuetius. Quid amplius? In epist. 8. perhibetur *B. Petrus præstans Sedi* (Romanæ) *ut a portis inferi nunquam pro Domini promissione vincatur, omniumque sit tutissimus portus.* Præterea in epist. 4. ad Anastasium Imper. tom. 2. edit. Hard. auctor est fieri nullatenus posse, *Ut Apostolica Sedes aliqua rima pravitatis, vel aliqua prorsus contagione maculetur.* Confer ejusdem decretum de Apocryphis libris dist. 15. Cap. *Sancta Romana Ecclesia*; epist. 3. ad Episcopos Picenæ prov.; 9. ad Episcop. Orient.; ac Tomum de anathem. vinculo, de quibus alibi copiose.

Nec abludebat sententia S. Anastasius II. ad Anastasium Imper. scribens: *Per ministerium humilitatis meæ, sicut semper est, Sedes B. Petri in universali Ecclesia assignatum sibi a Domino teneat Principatum.* Nempe hisce litteris miserum Imperatorem ab hæresi Eutychiana revocare satagebat. Sed & in epistola gratulatoria ad Clodoveum Galliarum Regem recens

recens baptismo regeneratum sic effatur: *Sedes Petri in tanta occasione non potest non lætari, quum plenitudinem gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, & per temporum spatia repleri sagenam, quam in altum jussus est mittere idem Piscator hominum, & Cælestis Jerusalem Beatus Claviger.* Quibus, ut percipis approbe, privilegia quæ S. Petri fuerant peculiaria, Romani Pontificis facta propria clare, & præclare prædicat. Adjungendus S. Symmachus, qui in epistola, sive apologia ad Anastasium Imper. hæc illi objiciebat: *Catholici Principes quidem semper Apostolicos Præsules institutos suis litteris prævenerunt, & illam confessionem, fidemque præcipuam tanquam boni Filii quæsiverunt debitæ pietatis affectu, cui noscis ipsius Domini Salvatoris ore curam totius Ecclesiæ delegatam.* Quibus indicabat Pontifex morem receptissimum, quo recens inauguratis Pontificibus litteras gratulatorias obsequii, officiique plenas dabant Catholici Principes. Viden a Pontificibus in Ecclesiam universam potestatem sibi adsertam a Domino prædicari! In eadem apologia Symmachus Pontificiam cum Imperatori a dignitatem conferens Pontifices Regibus præesse, ac præstare, illisque reverendos esse ostendit. Porro prælaudatos Pontifices dicto non modo, sed opere in Orientis Imperatores, Synodos, Patriarchas, Episcopos jura exercuisse, eaque ab hæreticorum, & schismaticorum insultibus egregie defendisse, ac in tuto collocasse, luculenter suo loco demonstrabitur. Non secus atque speciatim S. Symmachum Orientalium res curasse, enixeque procurasse, ac inique propterea in ipsum egisse Tillemontium, dum tom. 16. monum. Eccles. p. 725. magnæ desidiæ insimulat, verbisque insolentiæ plenis eidem insultat.

Sæculi VI, & VII. auspicium capiam a S. Hormisda, qui in libello fidei ad Johannem Constantinopolitanum Episcopum misso, cui subscribere deberet, antequam in Sedis Apostolicæ communionem admitteretur, ei jubet, ut Acacio dicat anathema, ejus nomen e sacris diptychis expungat, Chalcedonense Concilium recipiat, & S. Leonis epistolis subscribat. *Ut anathematizato*, inquit eo in libello tradito Legatis, *Acacio.. abrasis eorum de diptychorum inscriptione vocabulis.. Episcopum Constantinopolitanum*

in vestram communionem recipiatis. Porro formula ab Hormisda ad Orientales Episcopos missa adversus Acacium Eutychetis patronum hæc erat; cui omnes jussi sunt syngrapham apponere: *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & a Patrum traditione nullatenus deviare, quia non potest D. N. J. Christi prætermitti sententia dicentis*: Tu es Petrus &c. *Hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata Religio: unde sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & prædicantes ejus omnia Constituta, spero, ut in una communione Vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra, & verax Christianæ Religionis soliditas: profitens etiam sequestratos a communione Ecclesiæ Catholicæ, idest non in omnibus consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Hanc autem professionem meam propria manu scripsi, & tibi Hormisdæ Sancto, & Venerabili Papæ Urbis Romæ obtuli*. Hactenus professio fidei. Ad hæc in epist. 24. ad eumdem Johannem responsoria epistolæ ab ipso receptæ, qua ad Hormisdam fidei professionem miserat, Synodumque Chalcedonensem se recipere, & S. Leonis, & Hormisdæ nomina in sacra diptycha restituisse testabatur, nondum tamen Acacii nomen ab eisdem expunxerat: *Ista*, inquit, *laudanda sunt, si perfectionis subsequatur effectus: quia recipere Chalcedonense Concilium, & sequi S. Leonis epistolas, & adhuc nomen Acacii defendere, hoc est inter se discrepantia vindicare*. Quare Johannem coegit tandem anathema dicere in Acacium, ejus atque Euphemii, & Macedonii Episcoporum, qui in Acacii communione perstiterant, nec non Anastasii, & Zenonis Imperatorum nomina ex tabulis Ecclesiæ abradere. *Posthæc*, inquit, *quid restat, nisi ut Sedis Apostolicæ, cujus fidem te dicis amplecti, sequaris etiam fine trepidatione judicia*. Præterea in epist. 30. ad S. Cæsarium Arelat. referens Episcopos Illyrici, qui Anastasii Imperatoris metu cum Timotheo pseudo-Episcopo Constantinopolitano communicaverant, ad communionem Sedis Apostolicæ rediisse: *Episcopi*, inquit, *tam Dardani, quam Illyrici pene omnes, ne sint errore condemnandi præterito, petentes B. Petri Apostolorum Principis communionem, & scriptis, & legationibus destinatis, se Apostolicæ Sedis*

Sedis regulis obedire confirmant. Plura ubi de gestis Pontificum dabimus de S. Hormisda. Legito apud Harduinum tom. 2. Concil. pag. 1013, & seqq. Epistolas 1. ad Justinum Imperat.; 5. ad Episcopos Hispaniæ; 6. ad Epiphanium Constantinopolit. insertam actis Concilii Constantinopolit. sub Menna act. 5; 10. ad Johannem Nicopolitanum; & 11. ad Possessorem Africanum, nam persequi omnes nec præstat, nec vacat. Confer præterea Bonifacii II. epistolam ad S.Cæsarium Arelatensem, quam ex Mss. Palatino, Laudunensi, Fossatensi, & Tiliano regerit Harduinus eodem tom. 2. pag. 1109, quæ plane non obscuram Pontificiæ supremæ potestatis speciem præsefert, prorsusque infallibilem præsupponit.

Johannes II, postquam Justiniani Imperatoris fidei professionem suo, ac Orientalis Ecclesiæ nomine expositam approbasset, adversantesque illi Acœmetas hæresis nomine ad se delatos condemnasset, plurimo, sed ex eo potissimum capite Imperatorem laudibus exornat in epistola ad ipsum exarata, quæ incipit: *Inter claras*, videlicet: *Quod amore fidei, quod charitatis studio edocti*, inquit, *Ecclesiasticis disciplinis Romanæ Sedis reverentiam conservatis, & ei cuncta subjicitis, & ad ejus deducitis unitatem, ad cujus Auctorem, hoc est Apostolorum Primum, Domino loquente, præceptum est*: Pasce Oves meas; *Quam esse omnium vere Ecclesiarum Caput, & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant*. De Acœmetis demum concludit: *Eos ab omni Ecclesia Catholica esse jussimus alienos, nisi errore damnato doctrinam nostram quantocius sequi, habita regulari professione, signaverint*. Ita loquebatur ex Cathedra, indeque loci sibi loquenti obaudiri omnino jubebat. Interpellatus interea a Senatoribus nonnullis eo de argumento tractationem elucubravit in epistola anno 534. ad eosdem inscripta, quam ex tom. 4. Bibliot. Sanctæ regerit n. 24. Baronius, in cujus epigraphe eorum, quibus nuncupata est, nomina exhibentur. Prætermissis autem, quæ ad rem non conferunt meam, quæque de duabus in Christo D. naturis dogma apprime explanant, quæ probe in rem faciunt, conficiuntque prorsus, hæc habet. *His evidenter ostensum est, quod scripserit Imperator, quod Romana sequatur, & colat Ecclesia .... Hoc est nostræ fidei*

firmamentum. Hæc est fidei nostræ Petra firmissima. Quæ profecto verba Pontificis intima persuasione supponunt ejus fidem labefactari, inficique labe nullo posse modo. Ex hac vero ad Senatores epistola, in qua adeo explicate Justiniani ad se, atque ab se ad Justinianum redditas litteras Johannes commemorat, argumentum validissimum assumpserunt Alciatus parerg. lib. 4. cap. 23, & Cujacius observat. lib. 12. cap. 26. obstruendi os obloquentibus, & obtrectantibus illis, qui prava intemperie exagitati Pontificis Romani auctoritatem deprimendi Johannis II. epistolam ad Justinianum, quæ ab ipso Imperatore Codici suo sub titulo 1. *de Summa Trinitate* inserta legitur, suspectam, aut suppostitiam habent tanquam illam, quæ in nonnullis Codicibus desideratur. Exinde pariter Emin. Baronius ad annum 534. n.31, & seqq. opportunitatem nactus Othomanum I. C., hominemque præ odio in Pontifices MM. impotentem, consiliique irritum, qui lib.1.respons. amicabilium cap. 1. eamdem epistolam pseudo-epigraphis deputare non dubitavit, perstringit, ac profligat; objectas ab eo gerras dispungit, & dispellit, atque ad cumulum Justiniano Romanæ Ecclesiæ Primatum, divinaque alia privilegia fuisse perspecta, optimeque probata ostendit ex ipsius Imperatoris Constitutione ad Epiphanium Constantinopolit. Episcopum L. 7. C. de Sum. Trinit.; epistola ad Johannem P. M. Novella 9; epist. ad Mennam Novella 42; & Constitutione ad Petrum Prætorio Præfectum Novella 131. cap. 2, de quibus recolenda, quæ tom. 1. art. 9. §. 1. de Justiniano Imp. tradita sunt. Ad hæc confer S. Agapeti P. M. Epistolas 1. ad Episcopos Africanos; 2. ad Reparatum Carthag.; 3., & 6. ad Justinianum Imperat.; & 5. ad Petrum Hierosolym. Patriarcham tom. 1. epist. Rom. Pontif., in quibus Pontificiæ supremæ potestatis, ac in fide infallibilitatis egregia specimina emicant, nam de S. Agapeto copiosius alibi.

Vigilius, de quo abunde jam dictum, ubi de Synodo V, nihil non dixit, nihilque non scripsit, quo Apostolicæ Sedis supremam auctoritatem adstrueret, omneque ab ea discrimen errandi amoliretur. In epistola ad Profuturum Bracarensem, non vero ad Eutherium, cujus nomine passim inscribitur in Collect. Concil., sicuti observavit Baluzius tom. 1. novæ collect., ostenditque

ditque ex Codicibus multis optimæ notæ Ecclesiæ Lugdunensis, & Bibliot. Colbertinæ, qua Anabaptismum in Hispania a novis Arianis, & Priscillianistis redintegratum proscribit, *Nulli*, inquit, *dubium est, quod Romana Ecclesia forma, ac fundamentum sit Ecclesiarum, a qua omnes Ecclesias principium sumpsisse nemo recte credentium ignorat. Quoniam licet omnium Apostolorum par esset electio, Beato tamen Petro concessum est, ut ceteris præemineret, unde & Cephas vocatur, quia Caput est, & Primus omnium Apostolorum; & quod in Capite præcessit, in membris sequi necesse est. Quamobrem S. Romana Ecclesia ejus merito Domini voce consecrata, & SS. Patrum auctoritate roborata Primatum tenet omnium Ecclesiarum: ad quam tam summa Episcoporum negotia, & judicia, atque querelæ, quam & majores Ecclesiarum quæstiones quasi ad Caput semper referendæ sunt*: & paullo post: *Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*. Quibus constitutis ita concludit. *Unde omnium appellantium Apostolicam Sedem Episcoporum judicia, & cunctarum majorum negotia caussarum eidem Sanctæ Sedi reservata esse liquet*. Perspicua sunt hæc, quibus plurimam nihilominus aspergent lucem epistola 2. ad Justinianum Imperat. de expositione fidei a suis Prædecessoribus tradita, & epistola 3. ad Mennam Constantinop. de fide illibate retinenda, prout tradita fuit a Pontificibus Summis, quas legere est tom. 1. epistol. Rom. Pontificum. Quæ de suprema Pontificis potestate exponebat Vigilius, iis collineant approbe, quæ de altero infallibilitatis privilegio in epistola 1. ad Eliam, & Episcopos Istriæ exaravit Pelagius II., ubi ex præmissis Christi D. pollicitationibus S. Petro factis Lucæ 22. *Rogavi pro te &c.* hæc infert: *Considerate, Carissimi, quia veritas mentiri non potuit, nec fides Petri in æternum quassari poterit, vel mutari: nam quum omnes Discipulos Diabolus ad excribrandum poposcerit, pro solo Petro se Dominus rogasse testatur, & ab eo voluit ceteros confirmari: cui etiam . . . pascendarum Ovium sollicitudo commissa est: cui & claves Regni Cælorum tradidit, & super quem Ecclesiam suam ædificaturum esse promisit, nec portas Inferi adversus eam præ-*

prævalere testatus est. Ne putarent autem forte privilegia istiusmodi ad S. Petrum dumtaxat pertinuisse, sed Pontificum perinde facta fuisse propria insinuaret, post pauca subjungit: *Nos illam fidem tenemus, & cum omni puritate conscientiæ usque ad sanguinis effusionem defendimus, quæ ab Apostolis tradita, & per Successores eorum inviolabiliter custodita Nicæna Synodus suscepit &c.* Similia repetit in epist. 2, & 3. ad eosdem Istriæ Episcopos referens a Patribus Concilii Chalcedonensis pronunciatum de epistola S. Leonis M: *Ita sapiamus semper, sicut sapit Apostolica Romanorum Sedis Ecclesia*. Nempe perspectum approbe, persuasumque illis Apostolicam Sedem ab omni errore puram, ac tutam esse, veræque fidei retinentissimam.

S.Gregorio M.quæ germana insederit sententia, æstimari fas esset ex modo recitatis epistolis, quas Pelagio jubente ab ipsomet, dum adhuc Diaconus esset, adornatas ad Episcopos Istriæ auctor est Paulus Diaconus lib. 3. de gest. Longob. cap. 10, & idemmet indicat lib.2. epist. 36. Nisi ex eodem illustria loca innumera suppetunt, quin ex iis, quæ Pelagii fecit propria, intimum ejusdem sensum emendicare cogamur. Ergo in epist.72. lib.1. ad Gennadium Exarchum in Africa, de Ecclesia Romana optime meritum, eum adversus Donatistas excitat, atque de jure appellandi etiam a Concilio ad Apostolicam Sedem his admonet verbis, quæ plane supra Synodos potestate eamdem Sedem potiorem statuunt: *Ex Concilio Numidiæ siqui desiderarint ad Apostolicam Sedem venire, permittite; & si quilibet eorum viæ contradicere voluerit, obviate*. Mentem vero suam de prærogativis Romano Pontifici in persona S.Petri a Christo D.collatis magis aperit in epistola 32.lib.4. ad Mauritium Imperatorem: *Cunctis*, scribens, *Evangelium scientibus liquet, quod Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est: ipsi quippe dicitur*: Pasce Oves meas &c. Ego rogavi pro te &c. Tu es Petrus &c. Tibi dabo claves &c. *Ecce claves Regni Cælestis accipit; potestas ei ligandi, atque solvendi tribuitur; cura ei totius Ecclesiæ, & Principatus committitur &c.* Quorum simillima in epist. 34. ad Constantinam Augustam repetit. Ex quibus profecto retunditur impudentia Maimburgi, qui in hist. Pontif. S. Gregorii M.

eò te-

eò temeritatis processit, ut S. Pontificem ob id reprehenderet, quod Mauritio Imperatori morem gerere detrectaverit, ac proinde Baronium vexaret, iccirco quod legem Mauritii incommodam Monachis a S. Gregorio nonnisi emendatam publicam in lucem fuisse emissam affirmavit. Quandoquidem Imperatoriæ Pontificiam longe anteferat potestatem. Conferunt ad hæc autem, quæ in epist. 38. lib. 4. ad Johannem Jejunatorem, qua ejusdem ambitum, quo ad titulum Episcopi *Oecumenici* tumide inhiabat, intra orbitam coercebat. *Certe*, inquit ibi, *Petrus Apostolus primum membrum Sanctæ, & Universalis Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, Johannes quid aliud, quam singularium sunt plebium Capita? Et tamen sub uno Capite omnes membra sunt Ecclesiæ .... & nemo se unquam* Universalem *vocare voluit*. Mirari heic subit sane fidem sublestam eorum, qui S. Gregorii M. opera Parisiis anno 1705. ediderunt, quippe qui Codicibus MSS. Vatic., Anglic., Norm., Corbej., &c., velut ipsi ad calcem epistolæ, quæ iisdem est 18. lib. 5, adnotant, innixi priori loco posita verba ita verterunt: *Certe Petrus Apostolorum primus, membrum Sanctæ, & Universalis Ecclesiæ, Paulus &c.* Ita nempe transmutatione adjectivi *Primum* in *Primus*; & ablatione particulæ substantivæ *Est*, ac divisione periodi S. Petrum ex æquo, atque Apostolos ceteros Ecclesiæ membra, ac particularium Ecclesiarum Capita agunt. Verumtamen, ultraquamquod quæ eo loci sit germana S. Gregorii sententia apertissime adparet ex præcitata epistola ad Mauritium Imper., aliisque paullo post expromendis, quibus S. Petro in Ecclesia Primatum supra ceteros Apostolos dilucide adstruit, non erat cur ii a Codicibus editis recederent, qui diligenter cum optimæ notæ Codicibus multo pluribus MSS. collati legendum jubent: *Petrus Apostolus primum membrum .... Ecclesiæ est*: sicuti reapse legitur in editis Romæ anno 1591, & 1613; Parisiis item anno 1605, nec non in collectione Labbei tom. 5. Adisis doctiss. Desiderantium in S. Augustino vindicato par. 6. lib. 72. ad prop. damnatam 72. Quesnelli.

Hæc quidem de potestate suprema Pontificis. Quid præterea de ipsius in fide infallibilitate S. Gregorio M. fuit persuasum? Adparet hoc liquido ex epist. 52. lib. 4. ad Galliarum Episcopos, ubi

ubi dum ait: *Si quam contentionem ... de fidei caussa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit forte dubietas, & pro sui magnitudine judicio Sedis Apostolicæ indigeat, examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat* (Vicarius Apostolicus Virgilius Arelatensis) *perducere notionem; quatenus a Nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari*: ejusmodi sententiam, ut mihi videtur, ab errore omnino tutam supponit, ac significat. Scripserat idipsum paullo ante ad Virgilium, cui suas in Galliis vices demandabat epist. 50. eodem lib. 4. ita ei injungens: *Si qua inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos caussa emerserit, quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim Episcopis* (ex quo Petrus de Marca lib. 6. cap. 19. conjicit integram convocandorum in Gallia Conciliorum auctoritatem Virgilio non fuisse collatam, siquidem a S. Gregorio ei duodecim Episcopi fuerint adjuncti) *ventiletur, atque decidatur: si autem decidi nequiverit, discussa veritate, ad nostrum judicium referatur*: decretorie nempe dirimenda, atque irretractabili omnino judicio. Expressior est autem, atque explicatior ejus sententia, quam quæ tergiversatione ulla eludi queat, aut vi etiam adhibita evacuari, in epistola 37. lib. 6. ad Eulogium Alexandrinum, ubi postquam ipsum laudasset ab optimo, quo erga Apostolicam S. Petri Sedem se affectum præbebat, animo, præclaris hisce ambo privilegia Apostolicæ Sedis persequitur: *Quis nesciat Sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur? Cui veritatis voce dicitur*: Tibi dabo claves &c. *& rursus dicitur*: Tu aliquando conversus &c. *iterumque*: Pasce Oves meas. *Itaque quum multi sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est*: nempe Antiochiæ, Alexandriæ, & Romæ. Nemo autem, puto, sibi persuadebit ex amore plus æquo amplificandi propria jura profecta istiusmodi, qui noverit, si quem alium, S. Gregorium M. quammaxime vel in nominum, quæ fastus præseferrent speciem, usu parcissimum. Quid ad hæc, quod postquam Episcopos omnes sibi obnoxios ibidem denuntiasset, quinimo ab omnibus ubique obedientiam sibi indiscriminatim

tim deberi lib. 11. epist. 44. ad Johannem Panormit. dixisset, perinde Orientis Patriarchas, ac nominatim Constantinopolitanum procul dubio Romano Pontifici subjacere scripsit in epist. 64. lib. 7. ad Johannem Syracusanum: *De Constantinopolitana Ecclesia quis eam dubitet Apostolicæ Sedi esse subjectam? Quod & D. piissimus Imperator, & Frater noster Eusebius* (Cyriacum legendum scite admonet Baronius) *ejusdem Civitatis Episcopus assidue profitetur*. Ita de Episcopis seorsum. Quid amplius de eisdem simul, ac in Synodo collectis? In epist. 70. lib. 7. ad Eusebium Thessalonicensem, aliosque Græcos Antistites subodoratus, inscio se, & inconsulto, a Cyriaco Constantinopoli congregandum Concilium, ac in eo de nomine Oecumenico eidem tribuendo tractandum, monet, ac jubet, ut Cyriaco obsistant, ac sciant robore omnino carere Synodum, cui semel Apostolica Sedes detraxisset: *Sine Apostolicæ Sedis auctoritate, & consensu nullas*, ajens, *quæcumque acta fuerint, vires habeant*. Infinitus ne sim, mitto cetera plurima, quæ ex S. Gregorio proferri in medium possent.

Quæ tamen horum habet simillima, legere est tum in epist. 46. lib. 11. ad Leontiam Augustam; tum in epist. 56. ad Hispan. Episcopos; tum in epist. 30. lib. 10. Ind. 5, ubi fidei formulam redeuntibus ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam exhibet, eamque describit Baronius ad annum 602. n. 3, & seqq. Certe cum auctoritate summa enixas curas suas extendisse in Ecclesias omnes, scriptisque suis, ut de Italia sileam, invisisse Orientem liquido adparet ex lib. 1. epist. 15, 16, 17, 24, 43, & 70: ex lib. 2. epist. 6, 7, 8, 9, 12, 14, 22, 28, 32, 52, 59, 60, & seqq.: ex lib. 3. epist. 15, & 20: ex lib. 4. epist. 7, 15, 36, 37, 50, 53, 55, & 56: ex lib. 5. epist. 15, & seqq: ex lib. 6. epist. 5, 7, 24, 29, & 31: ex lib. 7. epist. 3, 7, 11, 30, & 48: ex lib. 8. epist. 36, & 42: ex lib. 9. epist. 27, 40, & 69: ex lib. 10. epist. 33, 34, & 58: ex lib. 11. epist. 47, & 49: & ex lib. 12. epist. 2, 3, 8, & 16. Litteris suis lustrasse perinde Africam liquet ex lib. 1. epist. 72, 75, & 82: ex lib. 2. epist. 25, 33, 39, & 48: ex lib. 3. epist. 7, 32, & 35: ex lib. 4. epist. 3: ex lib. 5. epist. 19, & 36: ex lib. 7. epist. 14, & 16: ex lib. 8. epist. 41: & ex lib. 10.

epist. 1, 8, 31, & 35. Eodem sollicitudinis studio adiisse Gallias adparet ex lib. 1. epistr. 45 : ex lib. 4. epist. 51, & 52 : ex lib. 5. epist. 58, & 59 : ex lib. 7. epist. 5, 111, & seqq., ac 120 : & ex lib. 9. epist. 48, 49, 53, & seqq. Hispaniarum Ecclesiis prospexisse dilucide patet ex lib. 1. epist. 41 : ex lib. 4. epist. 46 : & lib. 11. epist. 52. Hibernis opera sua, ac diligenti quidem non defuisse luculenter demonstratur ex lib. 2. epist. 36 : & lib. 9. epist. 61. Anglorum denique res sacras curasse, ac procurasse quammaxime sit exploratum ex lib. 9. epist. 58, 59, & 60 : & lib. 12. epist. 30. Non plura, ne frugi cæteroqui lectori fastidium prolixiori in hanc rem locorum congestione inferam.

Severinus a Decessoribus suis depositi fidei accepti retinentissimus tantum abest, ut ab Heraclio per Exarchum missam Ecthesim Monothelitico errore aspersam reciperet, eique syngrapham apponeret suam, ut potius reprobaverit, dirisque cunctis devoverit: quod argumento est auctoritatis cum ab errore innoxiæ, tum omnium maximæ ex sententia etiam Monothelitarum. Eruitur id autem ex testimonio S. Martini I. in Concilio Lateranensi secret. 3, & adparet liquido ex libro Diurno Rom. Pontif., in quo cap. 3. tit. 6. describitur professio fidei, quæ a Romano Pontifice ante Synodum VI. emitti solebat, quum inaugurabatur, quæ sic habet : *Profitemur etiam cuncta decreta Pontificum Apostolicæ Sedis, idest sanctæ recordationis Severini, Johannis, Theodori, atque Martini custodire, qui adversus novas quæstiones in Urbe Regia* (Constantinopoli) *exortas, & pro propria doctrina cuncta zizaniorum scandala amputasse noscuntur &c.* Ex qua quidem professione fidei Pagius uterque, Senior ad annum 639. n. 4, & Junior in Severino post Garnerium decretum adversus Ecthesim Synodice editum vindicant, quod demum a Johanne IV. ipsius successore adornatum censent Baronius, & Combeffisius. Porro ab hac de Pontificis inerrantia, ac potissima auctoritate persuasione non abludisse Johannem IV. fit manifestum ex epist. 1. ad Scotos adversus Quartadecimanos, & Pelagianos apud V. Bedam lib. 2. cap. 19; & epist. 2. ad Constantinum Imperat., qua Honorium ab omni prorsus hæresis suspicione abstergit. Nec abfuisse Theodorum liquet ex epist. 1. ad Paulum Constantinopolit.

lit., & 2. ad Episcopos Patriarchatus ejusdem. Nec minus S.Martinum I. evidentissimum evadit ex epist. 1. ad Christifideles; 2. ad S. Amandum Trajectensem; 5. ad Johannem Philadelph.; 9. ad Pantaleonem; 11. ad Ecclesias Hierosolym., & Antioch.; & 13. ad Ecclesiam Thessalon., quas omnes percurrere singillatim non præstat. Insistebat profecto vestigiis iisdem S.Vitalianus, qui pro suprema, qua potiebatur, auctoritate Johannem Episcopum Lappæ in Cretæ Insula a Paulo Cretensi Metropolita in Synodo Provinciæ injuste gradu detrusum, atque propterea ad Apostolicam Sedem appellantem Sedi suæ restituit. Quin insuper Paulum acriter objurgavit ob violatos canones, & quod Episcopo Romam appellanti facultatem illò se conferendi haud fecisset: *Propterea*, inquit in epist. ad ipsum, *quæ præcipimus tibi, tuæque Synodo, stude illico peragere, ne cogamur non misericorditer, sed secundum virtutem sanctissimorum Canonum conversari: scriptum namque est: Dominus inquit*: Petre rogavi pro te &c. *Et rursum*: Quodcumque ligaveris &c. Quæcumque demum a Synodo acta irrita denuntiavit: *Itaque statuimus, atque firmamus per hujus nostræ præceptionis auctoritatem omnia, quæ a te, tuaque Synodo contra Canonum instituta, contra legum decreta gesta, confectave sunt, vel sententiam promulgatam adversus eum* (Johannem) *inania, & vacua esse*. Legenda quoque ipsius epistola ad Osuvium Regem Northumbrorum in Anglia, cui necessitatem insinuat sequendi regulas, ac ritus, quos Romana Ecclesia S. Petro acceptos referret. Præstat & legere ejusdem litteras ad Constantem, & Constantinum Imperat. perlectas in Synodo VI. act. 13, ubi ex verbis illis: *Rogavi pro te &c.* S. Petri fidem non modo, sed perinde Romanorum Pontificum nunquam defuturam fore quam valide, tam vere conficit.

Qui præ aliis Romanum Pontificem extra omne prorsus errandi periculum apertissime posuit, dignus est quam maxime, cui utroque auscultetur facili aure, S. Agatho: de quo quidem plura retulimus agentes de Synodo VI, quorum nonnulla ex epistola ad Constantinum, Heraclium, & Tiberium Imperat., quæ refertur cap. *Sic omnes* dist. 19, retexere modo juvat. *Spirituales Oves*, de S. Petro, in ejusque persona de Romano Pontifice inquit

quit ibidem, *Ecclesia ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit: cujus adnitente præsidio hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis catholica Christi Ecclesia, & Universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesque venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi,.. & Sancti quidem Doctores orthodoxi venerati, atque secuti sunt, hæretici autem falsis criminationibus, ac derogationum odiis insecuti*. Approbe, ut vides, arguebat S. Agatho: statuto enim semel in S. Petro, successoreque Romano Pontifice Ecclesiæ universæ Magisterio, exinde necessitas exurgebat, qua Ecclesia teneretur ejus dicto obaudiendi: itaque oportebat illius dicto nullam omnino subesse erroris suspicionem, illumque dicentem Ecclesia universa esse superiorem: quæ duo plane deducebat ex pollicitationibus a Christo D. S. Petro factis paullo post subjungens: *Hæc est vera fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis veraciter tenuit, ac defendit hæc spiritualis Mater vestri tranquillissimi Imperii Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit; sed, ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab Auctoribus suis Apostolorum Principibus; illibata finetenus permanet secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum Discipulorum Principi in sacris Evangeliis fatus est*: Petre, Petre, *inquiens*, ecce Satan expetivit &c. Ego autem pro te rogavi &c. *Consideret itaque vestra tranquilla Clementia, quoniam Dominus, & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum Fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum*. Quibus, obsecro, quid illustrius proferri in rem istam potuit? Qui vero offundere tenebras adhuc conentur, næ ii velle se meridianam lucem obducere ostendunt!

Putasne vero in persuasionem ab hac alteram abiisse, qui S. Agathoni successit loco, S. Leonem II? Quominus id putes, multa profecto sunt, quæ prohibeant, ac potissimum ejus epistola 1. ad Con-

Constantinum Imperat., qua ipsius postulatis faciens satis, ac Synodum VI. confirmans, sic loquitur: *S. Synodus quia definitionem rectæ fidei plenissime prædicavit, quam & Apostolica Sedes B. Petri Apostoli ... suscipit; idcirco & Nos, & per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer, & unanimiter his, quæ definita sunt ab ea, consentit, & B. Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidatam Petram, qui Christus est, ab ipso Domino adepta firmitatem*. Porro istiusmodi consensum a Pontifice adhibitum non solius adhæsionis, sed etiam supremæ jurisdictionis extitisse patet ex adjunctis verbis illis: *B. Petri auctoritate* &c.; sicuti & alibi satis est demonstratum. Horum autem simillima habet in epist. 2. ad Episcopos Hispan., & 5. ad Ervigium Hispan. Regem, quas quidem velut apocryphas S. Leoni abjudicat Baronius, vindicat tamen, & restituit Pagius ad annum 683. n. 5, & seqq. Junge tum S. Benedictum II. in epist. ad Episcop. Hispan., qua monebat, ut nonnulla emendarent, quæ in eorum litteris fidei minus congrua offenderat: tum S. Sergium I, qui, ut auctor est Anastasius, Synodum Trullanam, sive Quinisextam, quamvis obnixe a Justiniano Imperatore obsecratus, comprobare invicta animi fortitudine recusavit: quod præstare detrectavit perinde Johannes VII; atque Ecclesiæ Aquilejensis quam dirum, tam diutinum schisma sua demum auctoritate sedavit: quo de argumento uberius alibi.

Sæculo VIII, & IX. se se offert sanctitatis non minus, quam sapientiæ gemina laude celebratissimus S. Gregorius II. imprimis, qui antequam S. Bonifacium Evangelium prædicatum in Germaniam permitteret, de ipsius fide certior fieri voluit, acceptoque fidelitatis sacramento, eam, quam modo exposuerat, fidem ut constanter retineret, & accurate doceret, postquam fuisset adhortatus, præterea in epist. 2. ad eumdem exarata consultus ab eo, & commonefactus de re Christiana ab se in Germania supra modum amplificata, *Bene nosti*, rescripsit, *quia B. Apostolus Petrus & Episcopatus principium extitit, & consulenti tibi de statu Ecclesiæ non ex Nobis, quasi ex Nobis, sed ejus gratia, qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit disertas, qualiter tenere debeas, Apostolici vigoris doctrinam dicimus*. S. Gregorio III. hanc epistolam attribuit

buit Gratianus C. *Presbyter* 2. q. 5; C. *Quod proposuisti* 32. q. 7; C. *Parvulos* de Consecr. dist. 4; & C. *De homine* dist. 5: quam in opinionem abiisse videntur Hincmarus opusc. 7. capp. 15, & 18; Ivo par. 8. cap. 78, & Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 12. Sed S. Gregorio II. tribuendam ostendunt Baronius, Sirmondus, & Harduinus ex data epistolæ anno 10. Leonis, & Indictione 10, quæ cogruunt anno Christi 726, quo anno Pontificatum gerebat S.Gregorius II. In epist. ad Atolphum, Godolaum, Wilarium, Guntharium, Alboldum, Thuringosque alios, *Vos*, inquit, *ad meliora, & potiora optamus proficere, & ad confirmandum fidei vestræ propositum S. Sedi Apostolicæ religiosis mentibus adhærere, & prout opus poposcerit, sacræ Religionis a memorata S. Sede Apostolica spirituali omnium fidelium Matre solatium quærere, sicut decet filios hæredes Regni*. Quibus Thuringos recens a S. Bonifacio fide christiana imbutos, ne ab ea exciderent, ut Apostolicæ Sedi adhærerent indivulse, admonebat, & adhortabatur. De ejus utraque epistola ad Leonem Isaurum, quas S. Gregorio III. attribuunt Labbeus, & Cointius, S. Gregorio II. vero restituunt, & vindicant Baronius, & Pagius ad annum 726. n. 5, dicam, si superis placet, ubi de subducto a Leone Isaurico dominio incidet mihi sermo.

Par in sententia stabat; & perstabat S. Zacharias, qui in epist. 4. ad prælaudatum S. Bonifacium Moguntinum scribebat: *Mansit, & manet Catholica Dei Ecclesia ... B. Apostolorum Principis illuminata doctrinis*. Paucis, sed expressis S. Petro acceptam refert Ecclesiæ eidem superstructæ in fide firmitatem. Quid autem de Pontificis auctoritate potissima animo præceptum haberet, perinde dilucide promit in epist. 2. ad S. Burchardum Wirtzeburgensem, quæ in collect. epist. Rom. Pontif. inscribitur Wittæ; 10. ad præfatum S. Bonifacium; 11. ad Episcopos Galliæ, & Germaniæ; ac in præfat. Synodi I. Romanæ anno 743. celebratæ. Stephanus II, aliis III. in epistolis ad Pippinum Regem Francor. tum S. Petri, tum suo nomine nuncupatis S. Romanam Ecclesiam eximiis exornans titulis *Ecclesiarum omnium Caput, & Matrem, supra firmam Petram fundatam, Christianæque fidei fundamentum* denominat. Quorsum vero ista spectabant, nisi eò, ut

ob

ob oculos poneret, quanto operis pretio tum ob fidei puritatem, qua fulget, tum ob auctoritatis plenitudinem, qua fungitur, ejusdem res sive civiles, sive sacræ curandæ essent, & procurandæ? Plane ejusdem potestatis supremæ, ac præ Synodo potioris egregium præbuit specimen idem Stephanus in pseudo-Synodi VII. dictæ Constantinopoli anno 754. ab Hagiomachis numero 338. non minus, uti legitur actione 7. Concilii Nicæni II., adversus SS. Icones habitæ damnatione: ex qua proinde animum palam detrahendi præfatæ pseudo-Synodo assumpisse S. Stephanum Juniorem auctor est Stephanus Diaconus in ejus vita.

Hadrianus I, de quo abunde jam dictum, ubi de Synodo Nicæna II., sive Oecumenica VII, tot in locis, tamque liquido, ac luculenter de propriæ Sedis prærogativis mentem aperit suam, ponitque in aprico, ut quæ eum incesserit, de germana sententia nefas sit suspicari. Enim vero in epist. ad Constantinum, & Irenem Imperat. hæc habet: *Princeps Apostolorum B. Petrus, qui Apostolicæ Sedi primitus præsedit, Apostolatus Principatum, ac principalis curæ Successoribus suis, qui in ejus sacratissima Sede perenniter sessuri sunt, dereliquit: quibus & auctoritatis potestatem, quemadmodum a Salvatore nostro Domino Deo ipsi concessa est, & ipse quoque suis contulit, ac tradidit divino jussu Successoribus Pontificibus*. Quibus præhabitis de potestatis summa in persona S.Petri sibi demandata, ad ejusdem potestatis exercitium descendens, eamque supra Synodum exercens, atque ad Romanæ Ecclesiæ traditionem expensa, explanataque de SS. Imaginum cultu doctrina subnectit: *Imprimis pseudo-Syllogum illud, quod sine Apostolica Sede enormiter, & irrationabiliter, nequiterque contra Sanctorum Venerabilium Patrum traditionem de sacris Imaginibus actum est, anathematizetur præsentibus Missis nostris*. Periocham istam, non secus atque ab hinc usque in finem epistolæ in Codicibus Græcis deesse post Anastasium adnotat Binius: sed Anastasius, qui Synodum hancce interpretatus est, eique suppar exigebat, a Græcis reprehendi a Pontifice ægre ferentibus abrasa fuisse affirmat. Infra igitur pergens Apostolicæ Sedis prærogativas stabilire super ea verba: *Tu es Petrus* &c. subjungit: *Cujus Sedes in toto Orbe terrarum Primatu fungens Caput omnium*

Dei

Dei Ecclesiarum constituta est ... Quæ unamquamque Synodum & sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit. Post pauca prosequitur, magisque potestatem suam prædicat: *In toto*, inquiens, *Orbe terrarum ab ipso Redemptore Mundi B. Petro Apostolo Principatus, & potestas data est, & per eumdem Apostolum, cujus vel immeriti vicem gerimus*, (quod ut alibi observatum est in idem recidit ejus sententia ac ex asse successisse,) *S. Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia usque hactenus, & in ævum tenet Principatum, ac potestatis auctoritatem*. Quamobrem idem in epist. ad Tarasium Constantinopolitanum Antistitem ab ipso exigit, ut Apostolicæ Sedis Principatum super universam Ecclesiam agnoscat, ejusdemque Sedis fidei individue adhæreat: postquam enim denuntiasset a S. Petro Ecclesiæ retineri Principatum, subdit: *Cui si adhærere cupit vestra Sanctitas, & nostræ Apostolicæ Sedis, quæ est Caput omnium Ecclesiarum Dei, sacram, & orthodoxam formam incorrupte, & incontaminate ex profundo cordis, & sinceritate mentis* (intelligant ex iis tandem Jansenistæ Pontificiis decretis intimam deberi ex corde obedientiam) *custodire studet, ut revera orthodoxa, & Dei ultrix existens &c.* In Labbeana collect. tom. 7. p. 700. huicce Hadriani epistolæ præfixa legitur hujusmodi epigraphe : *Dilecto Fratri Tarasio Generali Patriarchæ* &c. Verumtamen editor ad marginem recte admonuit adjunctum *Generali* a Græculo quoppiam gentilium suorum potestati exaggerandæ incumbente assutum fuisse. Recte, inquam, quippe in epist. præmem. ad Imperatores Pontifex *Universalis* nomen Tarasio inditum reprehendit, acriterque repellit. Ad præclara isthæc in epist. ad Carolum M., qua ipsum admonet, & adhortatur, ut Apostolicæ Sedis puræ doctrinæ potius, quam erroribus, quibus scatebant undique libri Carolini ad se missi, fidem adhiberet suam, hæc habet a S. Gregorio M. ad Mauritium Imperat. scriptis simillima: *Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro Claves Regni Cælorum, & totius Ecclesiæ cura commissa est: ipsi quippe dicitur*: Pasce oves &c. Rogavi pro te &c. Tu es Petrus &c. Tibi dabo Claves &c. *Ecce cura ei totius Ecclesiæ, & Principatus committitur, & ipse vices suas Vicariis suis Pontificibus relinquere*

quere dignoscitur Ecclesiæ curam gerendi. Quibus profecto illustriora nescio an desiderare morosior quispiam possit; ut proinde supervacaneum sit plura ad hæc confirmanda superaddere, quæ horum simillima præsto alioquin ex Capitulis Ingilramno traditis cap. 3, nec non ex epistolis cum ad Tilpinum Remensem, tum ad Episcopos Hispaniarum suppeterent.

De SS. Leone III, & Paschali I. abunde, opinor, pertractatum alibi est; properandum itaque ad alios, a quibus nec prope, nec procul aberrabat Gregorius IV, qui in epist. ad Episcopos Galliæ, Germaniæ, & Europæ de jure agens sibi proprio qua Occidentis Patriarchæ nedum, sed imo qua Orbis Primati de Episcoporum caussis dignoscendi, ac dijudicandi: *Quia*, præmittit, *cunctarum, divina dispensatione, Ecclesiarum curam gerimus, omnibus nostra poscentibus suffragia Apostolica auctoritate subvenire optamus*. Quam quidem officii sui particulam conficiens ex verbis illis Lucæ 22. *Confirma Fratres tuos*, exindeque progrediens ad evincendum appellantium Episcoporum caussas Apostolicæ Sedi integras fore dimittendas hanc reddit rationem: *Quia sic vices suas* (Apostolica Sedes) *aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*. Plurimis postquam jus istud ex Prædecessorum suorum, ac Conciliorum statutis confirmasset, quæ passim in Decretorum suorum collectionem Gratianus intulit veluti 2. q.6. C. *Decreto*, q. 7. C. *Si quis*; 25. q.1. *Divinis*; 2. *Præceptis* 12. dist.4. *Licet* 45. dist., & alibi, pergit: *Expectandi sunt ergo magis, atque corrigendi Rectores Ecclesiæ, quam statim, & absque nostro consulto judicandi: quum majora negotia, & difficiliores caussarum exitus SS. Patrum Canones spiritu Dei conditi, & totius Mundi reverentia consecrati jubeant sub nostra expectatione suspendi, nostroque moderamine finiri*. Agebatur de Aldrici Cenomanensis Antistitis causa, qui gravem a Comprovincialibus passus invidiam ad Apostolicam provocaverat Sedem, quemque propterea loco manere, & permanere suo jubet Pontifex, donec apud se in judicio fuisset de innocentia expertus; converso ad Gallos Episcopos sermone subjungens: *Nulli fas est vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta ... sitque alienus a Divinis, & Pontificalibus officiis*,

qui noluit praeceptis obtemperare Apostolicis. Non præstat integram describere epistolam plurimis horum similibus redundantem, sed magis patiare te dimitti ad Emin. Baronium, qui eamdem ex MSS. Bibliot. Vatic., & S. Mariæ supra Minervam exhibet ad annum 839. n. 2, & seqq. Juvat interea non prætetire, quod idem Pontifex, quum in Gallias adventasset, eumque Gallicani Episcopi gradu amovere ausu summo essent comminati, audacissimos Antistites compescuit, atque intra orbitam cohibuit quibusdam instructus, communitusque regulis a Paschasio ad id paratis, ut auctor est ipsemet Paschasius in vita Walæ Abbatis: *Ei dedimus*, ajens, *nonnulla SS. Patrum auctoritate firmata, Prædecessorumque suorum conscripta, quibus nullus contradicere possit: quod ejus sit potestas, imo Dei, & B. Petri Apostoli, ire, emittere ad omnes Gentes pro fide Christi, & pace Ecclesiarum; pro prædicatione Evangelii, & assertione veritatis: & in eo esset omnis auctoritas B. Petri excellens, & potestas viva, a qua oportet omnes judicari, ita ut ipse a nemine judicandus esset*. Confer ejusdem Pontificis epistolàm 3. ad Episcopos Regni Francorum, quam ex Bibliot. Floriacensi descriptam exhibet Harduinus tom. 4. Concil. pag. 1275.

Non degenerabat a Decessorum suorum sententia Sergius II, qui eo ipso, quo Ecclesiæ universalis curæ intento incumbebat studio, Romanæ, ac propriæ juribus loco tenendis integris, indeque ubique exercendis insistens, in epistola ad Episcopos Transalpinos significavit Apostolicæ Sedis vices ab se Drogoni Metensi demandatas, ideoque a cunctis eidem obediri oportere. *Quia Nos*, inquit, *cunctarum sollicitudo angit Ecclesiarum, ubi ipsi esse non possumus, more Præcedentium nostrorum, moderationis nostræ Vicarios damus. Ad nostræ igitur humilitatis vicem cunctis Provinciis trans Alpes constitutis Drogonem Archiepiscopum Metensem .... constituimus, ut ab hac Sede Sanctissima Apostolorum Principis auctoritate percepta, vestris necessitatibus vice nostra idoneus ubique minister existat*. Expositis dein juribus ipsi factis congregandi Synodos, cognoscendique caussas appellationis in prima instantia ad Sedem Apostolicam delatas, ac dijudicandi de personis cunctis Ecclesiasticis, subdit: *Salvo in omnibus hujus univer-*

universalis Romanæ Sedis Primatu, nostrique Præsulatus honore: Quem nempe potissimo eo loco ponebat, ad quem appellere cunctis fas afforet, ex quove Ecclesiæ universæ prospicere, a Domino sibi datum indicabat. Quæ approba pariter hæserit persuasio S. Leoni IV. fit perspicuum ex epist. ad Episcopos Britanniæ, ubi Sergio II. consona suggerens; *Si*, inquit, *inter quos damnandos esse dixerunt homines, fuerit Episcopus, qui suam caussam in præsentia Romanæ Sedis Episcopi petierit audiri, nullus super illum finitivam præsumat dare sententiam; sed omnino eum audiri decernimus*. Hæc de suprema Pontificis potestate. De privilegio pariter infallibilitatis in admonit. ad Synodum Romanam anno 853. hæc habet. *Nulli fas sit absque proprii honoris periculo . . . adversus Sedis Apostolicæ decreta inviolato solidata fundamine unquam ausu temerario penetrare*. Conferunt huc quam maxime, quæ Benedictus III. dedit in epistola ad Hincmarum Remensem, quam quidem plerisque in locis ab Hincmaro depravatam observat Baronius, integram vero ex codice Antonii Augustini ipse describit ad annum 853. n. 14, & seqq.

S. Nicolaus I, de quo pleraque ubi de VIII. Synodo, si quis alius Pontifex, Apostolicæ Sedis privilegia egregie vindicavit tum a nonnullis contra obnitentibus Gallis, tum ab obtrectatoribus Græcis, ac præsertim a Photio primo Græcanici schismatis incentore. Principio in Synodo Romana anno 863. capit. 5. generatim id statutum, cautumque summopere jussit, nemini absque ingenti piaculo fas fore Pontificiis decretis obsistere, & obluctari: *Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholica fide, pro Ecclesiastica disciplina &c. a Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit*. Quæ plane gemino privilegio tum supremæ potestatis, tum infallibilitatis omnino innixa supponit, & insinuat. Utrumque vero hoc privilegium ut magis, magisque confirmaret, optimoque loco collocaret, quid non scripsit, decrevit, egit? Mox enim universæ Ecclesiæ curam sibi a Deo concreditam asserit, ut in epist. 1. ad univers. Catholicos: *Quoniam cunctarum Christi Ovium cura constringimur, quum vices ipsius gerimus, cui specialiter divinitus dicitur*: Pasce Oves meas: *& iterum*: Tu aliquando con-

do conversus &c. *Non potuimus negligere quominus visitaremus oves dispersas, & dissipatas, vel quominus confirmaremus in fide, & bonis moribus fratres nostros, & proximos*: & in epist. 13. ad S. Ignatium: *Onera totius Ecclesiæ bajulamus ... sustinemus cunctorum gravamina*. Mox super universam Ecclesiam esse erectam Sedem Apostolicam, itaut Principatum divinæ potestatis non modo, sed in fide firmitatem sit adepta, affirmat, ut in epist. 2. ad Michaelem Imperatorem: *Principatum divinæ potestatis... super solidam fidem Apostolorum Principis ... constituens* (Christus) *ejus primam Sedem deliberavit; nam voce Dominica ipsi dictum fuerat*: Tu es Petrus &c. *Petrus denique a firmitate petræ, quæ Christus est, structuram universalis Ecclesiæ inconcussam, & fide robore solidatam... munire non cessat*. Plurimis, ac præclaris id persequitur in epist.8.ad eumdem Imperat., liquido ostendens Romanum Pontificem potestate supra Concilia potiri: *Non ergo dicatis non eguisse vos in caussa pietatis Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta Concilia sua auctoritate confirmat, & sua moderatione custodit: unde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt*. (Quod probat exemplis pseudo-Synodi Ephesinæ II, & Constantinopolitanæ Iconoclastarum.) *Quoniam quum secundum Canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum, patet profecto Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus; juxta quod & Bonifacius, & Gelasius Sanctissimi Præsules non suis adinventionibus, sed Ecclesiæ Romanæ consuetudinem non ignorantes dicunt*. Refertur Cap. *Patet* 9. q. 3. Refertur & cap. *Si Romanorum* dist. 19. *Romanorum Pontificum*, inquiens, *decreto ceterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur; ita ut quod Sedes Apostolica approbavit, hodie teneatur acceptum; quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur*. Refertur etiam Cap. *Arguta* 2. q. 6, ubi ait: *Venerandi canones judicia totius Ecclesiæ ad hanc Sedem deferri jubent*. Id vero totum in unius Pontificis utrumque privilegium tandem refundit:

Pri-

Privilegia, ſubjungens, *iſtius Sedis perpetua ſunt, divinitus radicata ... permanent, Deo gratias, hactenus illibata ... & quouſque Chriſtianum nomen prædicatum fuerit, illa ſubſiſtere non ceſſabunt ... Nam & inter cetera is, per quem Nobis præcipue iſta ſunt privilegia collata*, Tu aliquando converſus, *audivit a Domino*, Confirma fratres tuos.

Qua Apoſtolicam Sedem nulla unquam hæreſis labe infectam perhibet: quin imo ad eamdem pro recta fide ediſcenda undique Eccleſias confugiſſe; ut in epiſt. 6. ad Photium: *Univerſitas credentium ab hac S. Romana Eccleſia, quæ Caput omnium eſt Eccleſiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei depoſcit, criminum ſolutionem, qui digni ſunt, exorant*. Et infra. *Conſtat S. Romanam Eccleſiam & omnium Eccleſiarum Caput eſſe, & ab ea rectitudinem, atque ordinem in cunctis Eccleſiaſticis inſtitutionibus ... exquirere, & ſectari*. Et in epiſt. 9. ad Michaelem Imperatorem: *Quum hæc Apoſtolica Sedes ſemper in ſana doctrina perſtiterit*. Qua ſtatutis ab Apoſtolica Sede jugiter adhæſiſſe Eccleſiam univerſam, ut in epiſt. 10. ad Clerum Conſtantinop.: *Noſtis, quæ ab ea ſtatuta fuerint, hæc univerſalem ſemper Eccleſiam tenuiſſe, ita ut contra ſingulos errores in Eccleſia exortos prior hæc ſecundum Primatus ſui auctoritatem ſententiæ terminum dederit, & ita demum univerſalis Eccleſia, licet aliquantulum temporis in quibuſdam reluctata ſit, quæ illa tamen probavit, quandoque probaverit, & quæ illa refutavit, ipſa refutaverit*. Et in epiſt. 5. ad prælaudatum Imperatorem: *De ejus* (ſcilicet Apoſtolicæ Sedis) *conſultu, quæ Eccleſiaſticis conveniunt negotiis, quæ agenda fuerint irretractabiliter cuncta diſponere, ordinare, atque definire potuit*: nempe Eccleſia Conſtantinopolitana. Nunc Apoſtolicæ Sedis officio deputat rerum Eccleſiaſticarum ubique gentium curam gerere, ut in epiſt. 18. ad Carolum Calvum: *Sedes hæc ſancta, atque præcipua, cui Dominici gregis eſt ſollicitudo, curaque commiſſa, in omnibus Mundi partibus rectitudinis ſuæ diſpoſitione ſalubri cuncta ordinare, perficereque divino freta procurat auxilio*. Nunc in more poſitum affirmat undique terrarum pro remedio ſpirituali ad Romanam Eccleſiam confugere, ut in epiſt. 20. ad Carolum Calvum, & 21. ad Hermentrudem Reginam: *Fidelium uni-*

universitas gentium ex variis Mundi partibus cujuscumque sint ordinis, vel ætatis, si qua forte criminis noxa ... detinentur, ad hanc Sanctam omnium terrarum Matrem Romanam Ecclesiam, ut salutare percipiant remedium, recurrunt. Confer epistolam 17. in append. 1. ad Rivoladrum Episcopum, & 24. in append. ad Hincmarum Remens. Ad hæc privilegia Apostolicæ Sedis data esse in Ecclesiæ universæ juvamen, ut in epist. 32. ad Episcopos Synodi Silvanectensis: *Privilegia Sedis Apostolicæ tegmina sunt, ut ita dicamus, totius Ecclesiæ Catholicæ ..., & munimina sunt circa omnes impetus pravitatum*. Adi-sis epist. 28, & 29. ad Hincmarum Remensem; 33, 34, & 44. ad Rothadum Suession.; sermonem in Synodo Rom. anno 865. ejus caussa habitum; epist. 40. ad Carolum Calvum; 37, & 41. ad Hincmarum; 42. ad Episcopos Galliar.; 45. ad Franconem Tungrensem; & 70. ad Hincmarum, & Episcopos Galliar. de Græcorum calumniis.

Quid plura? Quando super Ecclesiam se potem esse repetit in epist. 5. in append. 1. ad Hincmarum: *Pastoralis sollicitudinis cura constringimur, & loci sublimitate, qua Nos superna providentia totius domus suæ generalitati præposuit, provocamur, ut Apostolatus nostri apex in ea tamquam lapis positus angularis ad imitationem ipsius, fidelibus quidem, & humilibus tutissimum, & firmissimum refugium ... exhibeat*. Et paucis interjectis. *Proinde dilectio tua sequens instituta Majorum, ea, quæ possunt aliquam recipere quæstionem, ad Nos quasi ad Caput, & apicem Episcopatus referre studuit*. Legesis epist. 9. append. 1. ad Rotlandum Arelat. Quid vero, quod Ecclesiæ universæ, ac Synodis præfinire leges Apostolicæ Sedis partes esse confirmat, ut in epist. 13. ad Rodulphum Bituricensem, ejusque suffraganeos in append.? *Capiti Religionis, idest Sanctæ Apostolicæ Sedi hærete*. Et infra. *Quam, rogo, validitatem vestra poterunt habere judicia, si nostra quomodolibet infirmantur, de quibus nec retractari licet? Vel quod robur Concilia vestra obtinere valebunt, si suam perdiderit Sedes Apostolica firmitatem, sine cujus consensu nulla Concilia vel accepta esse leguntur? Aut legite sacros Canones, & Synodalia gesta revolvite, & videte, quod Sedi Apostolicæ non solum quoslibet Metropolitanos, quorum caussa eidem est Sedi semper servanda, verum etiam Patriar-*

triarchas moris fuisse pro emergentium qualitate damnasse, vel etiam absolvisse, jusque semper, & fas habuisse de omnibus Sacerdotibus judicare; utpote cui facultas est in tota Christi Ecclesia leges speciali prærogativa ponere, ac decreta statuere, ac sententias promulgare. Confer & epist. 19. in append. ad eumdem Rodulphum; & 23. ad Wenilonem Senon., ejusque suffraganeos.

Denique de indefectibilitate Romanæ Ecclesiæ expresse differens eamdem ab indefectibilitate sedentis in ea Pontificis derivat, & repetit in respons. ad consulta Bulgar. resp. 106. *B. Petrus, qui in sede sua vivit, & præsidet, dat quærentibus fidei veritatem. Nam & S. Romana Ecclesia semper sine macula fuit, & sine ruga: nimirum quia ille hanc instituit, cujus fidei confessio divinitus exstitit approbata: ad quam videlicet Christianitatis fidem .... vobis insinuandam .... ecce scripta nostra ... destinavimus.* Romanæ rursus Ecclesiæ consuetudines amplecti, atque ab ea consulta accipere Episcopos omnes, Ecclesiasque consuevisse commemorat epist. 1, & 2. ad Adonem Viennensem in append. 2. Solemne item Episcopis jugiter fuisse convenire ad Concilia Romæ celebranda in epist. 3. ad eumdem scribit, non secus ac caussas graviores, necnon appellationum ad eamdem deferendas fore, qualis caussa Wlfadi, admonet in epist. 11. ad Episcopos Synodi Suessionensis; 12. ad Hincmarum; & 13. ad Carolum Regem. Diutius in his immoratus iccirco sum, quod de Pontificis sanctitate, doctrinaque præclarissimi sententia pertractaretur, quique nihil habuit antiquius, quam Apostolicæ Sedis privilegia, qua a Græcorum conviciis vindicare, qua contra Gallorum conatus defendere; de quo proinde Hadrianus II. successor in epist. 31. ad Adonem Viennens. scripsit: *Acta præfati Pontificis tanto a nullo patimur quolibet pacto convelli, quanto ipse Nobis, quasi quoddam novum sydus apparens, & vitæ, vel doctrinæ suæ fulgore errorum tenebras abigens, non quod abolendum, sed quid imitandum sit, & fecit, & docuit.* Cujus certe imitationis indicia sunt inter clara alia epistola 1. ad Synodum Tricassinam, 2. ad Synodum Suession., & 3. ad Carolum Calvum. Sed de eo statim. Interea si his omnimode non efficitur, quod intendimus, nescio plane, quibus demum effici possit.

Sufficitur nihilosecius, suffragioque efficit suo Hadrianus II., qui,

qui, ut silentio prætercam epistolas ad Lotharium Regem, ad Synodum Trecensem, ad Episcopos Synodi Suessionensis, ad Carolum Regem, ad Basilium Imperat., ad Synodum Duziacensem &c. intimæ sententiæ ipsius locupletes testes, in Synodo Romana, quæ refertur act. 7. Synodi VIII. generalis, his allocutus legitur ex versione Anastasii: *Intolerabilis est ista præsumptio, & hanc aures præcordiorum, fateor, sustinere non possunt. Quis autem vestrum, precor, tale quid audivit, vel quis hujusmodi temeritatis saltem lectione immensitatem invenit? Siquidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solum licitum est minoribus Majorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus respuendi; quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec ceterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis præcessisset auctoritas.* Quia scilicet, ut adnotat Lupus cap. 7., Legatis in privatis instructionibus a S. Agathone demandatum fuerat, quatenus si Græci Præsules Honorium in diptychis hæreticorum inscriptum vellent damnatum, alias in Ecclesiarum pacem haud consensuri, eumdem Honorium dispensatoriè damnari, & pro illorum salute immolari, utpote qui aliquid caussæ dedisset, non repugnarent. Post hæc in formula fidei, quam Synodo VIII. subscribendam transmisit, hæc habet Hadrianus: *Quia non potest D. N. J. Christi prætermitti sententia dicentis:* Tu es Petrus &c. *hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata Religio, & sancta celebrata doctrina.* Quibus plane supremæ in Concilia ipsa Generalia potestati, infallibilitatis privilegium apertissime accumulat. Johannes VIII. jungendus, qui in epist. ad Lambertum Spoletanum Comitem scripsit: *Sedes Apostolica libera semper existens, habens Domini auctoritatem dicentis*: Ego rogavi pro te &c. Item in epist. 36, & 37. ad Rostagnum Arelatensem Episcopum, & Episcopos Galliarum, verba ipsamet usurpavit S. Gregorii Magni in epistolis ad Virgilium Arelatensem 50, & 51. qua de re inter alias illæ Johanni VIII. a Natali abjudicantur, sed imme-

immerito, uti Criticis temperatioribus visum est. Idem vero in Synodo Romana anno 877. celebrata; & Trecensi II. anno 878. *Romana*, ait, *Ecclesia est Magistra, Mater, & Caput Ecclesiarum.* Similia repetit in epist. 131. ad Idelfonsum Regem Gallæciæ; 93. ad Basilium, Constant., & Alexandrum Imperat.; 86. ad Cler. Salonit.; 75, & 88. ad Michaelem Bulgar. Regem. Præterea in epist. 22. ad Petrum Comitem, quem adhortatur ad operam impendendam suam apud præmemoratum Regem, quatenus uni Romanæ Ecclesiæ gentis suæ sacra regenda permitteret, hæc habet: *S. Romanam Ecclesiam B. Petrus in hac fide fundatam proprio sanguine cum Paulo Domino Deo consecravit, & dedicavit... Sicut aqua non potest alibi tam munda, & limpida, quemadmodum in fonte, unde originem protrahit, inveniri; ita fides numquam omnino poterit alibi tam pura, & tam nitida reperiri, sicut in Ecclesiæ nostræ vivario, ubi eam non tecta perstillantia, quibus litigiosa mulier, idest hæretica pravitas, comparatur, sed ille polorum Claviger uberrime, & purissime congregavit, qui ex ipso fonte vivo hanc cælitus hausit, & limpidissimam conservandam mandavit.* Similia habet in epist. 2. ad Landulphum Capuanum; epist. 11. ad Deltum Episcop.; 81. ad Anspertum Mediolanen.; 94. ad Clericos Constantinop; 96. ad Patricios Constantinop.; & epist. 11. ad Adalardum Turonensem in appendice apud Harduinum tom. 6. p. 1.

Stephanus V, aliis VI. (qui nempe Stephanum II. quamvis triduo post electionem fatis functum inter Pontifices numerant) litteris Basilii Imperatoris in Marinum I, & Hadrianum III. decessores suos contumeliarum, probrorumque cumulatissimis, quod Photium sede motum restituere detrectassent, respondens, quod potestatem Imperatoriam inter, ac Pontificiam intercederet, longum, latumque discrimen adnotat, quamque sublimi loco, & honore præ Imperatoria Pontificia haberi deberet, his admonet: *Quemadmodum*, inquiens, *vobis rerum temporalium principatus a Deo est traditus, ita Nobis per Coriphæum Apostolorum Petrum rerum spiritualium Principatus. Datum tibi est, ut cures quo pacto Tyrannorum impietatem, & immanitatem potentiæ ferro præcidas, subjectis tuis jura administres, leges condas, terra, marique exercitum rite componas. Nostri vero cura gregis tanto præ-*

stantior est, quantum inter cælestia, ac terrena discrimen. Obtestor igitur tuam pietatem, ut Principum Apostolorum instituta sequare, magnaque veneratione prosequare: omnium enim in Orbe terrarum Ordo, & Pontificatus Ecclesiarum a Principe Apostolorum Petro originem accepit, per quem & Nos sincera, & incorrupta doctrina instruimus omnes, & docemus. Legesis, si libet, ejusdem Stephani VI. epistolam ad Episcopos Orientis: necnon Johannis IX. epistolam ad Stylianum anno 893., ut vult P. Raderus, vel anno 895., ut autumat Baronius exaratam. Benedictus IV. in epist. 2. ad Clerum, & populum Lingonensem horum similium habet refertissima, quæ omnia otium non suppetit singillatim oratione complecti.

Sæculo X., & XI. auctoritate sua, auspicioque plurimum confert, probeque Leo VII., qui in epist. 3. ad Gallos, & Germanos sic scribit: *Scitis, quod ab ipso Domino B. Petro Principi Apostolorum, ejusque Vicariis omnium Ecclesiarum cura commissa est, Veritatis voce dicente:* Tu es Petrus &c. *Cui etiam proprias Oves commendavit dicens:* Pasce &c. *Et idcirco pro universis Ecclesiis sollicitudinem gerimus, & veluti in specula positi, quid per totius Orbis Provincias geratur, vigilanti cura insistimus.* Ita loquens indicavit profecto supremas Pontificis, cujus nutu cuncta dirigi oportet, in Ecclesia esse partes, eique ex officio a cunctis parendum; proculque abesse periculum omne, ut edocenti Pontifici auscultantes a recta deflectant. De Johanne XII. agam commodius alibi, quamque ex eo Apostolicæ Sedis auctoritati detrahendi, invidendique arripiunt nonnulli, ansam prorsus amoliar. Interea jungere juvat Johannem XIII., qui in epist. 1. ad Episcopos Britanniæ, cujus meminit Innocentius III. lib. 11. ad Bartholom. Turonen., etsi a nonnullis tribuatur Johanni X, hæc habet: *Quia vice B. Petri Apostolorum Principis, Domino Deo dignante, omnium Ecclesiarum curam suscepimus, sollicitudinem, qua uniuscujusque fides integra in eodem Domino reservetur, ubique severe observare debemus.* Adeo ne vero sollicitus esset alienæ fidei, si ipsemet in fide falli, & fallere non esset nescius? Ad hæc Benedictus VI. decessoribus haud dispar in epist. ad Fridericum Salisburg., cui Apostolicas vices in Norico, & Pannonia concedit, sic præfatur. *Totius Ecclesiæ san-*

ſanctum conſtituit (Chriſtus) *Petrum Principem, cui Gregem commiſit Eccleſiaſticum tertio ei dicens*: Paſce &c. *Cui etiam ligandi, atque ſolvendi tradidit poteſtatem dicens*: Quodcumque ligaveris &c. *Et non ſolum Sancto talis conceſſa eſt Petro potentia, ſed etiam ſuis Succeſſoribus ejus vicem in Eccleſia tenentibus eadem ligandi, atque ſolvendi a Deo tradita eſt poteſtas. Sancti itaque Petri Apoſtoli Succeſsores per loca, prout opus fuerat, atque decuit, conſtituerunt Archiepiſcopos, qui eorum vicem tenerent in Eccleſiis, quia ipſi univerſas regere non poterant Eccleſias.* En unde profectum, atque in more poſitum, ut qui Apoſtolicæ Sedis vices agerent, ubique conſtituerentur! Similia ſcribit Benedictus VII. ad Gallos, & Germanos. De ſingularibus vero in S. Petro acceptis prærogativis loquens Gregorius V. in diplomate, ſive privilegio pro Abbatia S. Ambroſii: *Poſtquam*, inquit, *Beato Petro Apoſtolorum Principi Dominus, ac Redemptor N. J. Chriſtus ... ligandi atque ſolvendi in Cælo, & in terra poteſtatem tribuit, etiam januas Regni Cælorum reſerandas conceſſit, ſupra ſoliditatem fidei ſanctam ſtabilire dignatus eſt Eccleſiam, ſecundum veridicam vocem dicentis*: Tu es Petrus &c. Ecce ex S. Petri in fide ſtabilitate rite repetitam Eccleſiæ univerſæ in fide ſtabilitatem! Legeſis ejuſdem epiſtolam ad Arnulphum Remenſem, quæ Silveſtro II. tribui ſolet.

Ea ſane, quæ intime animo infixa inſedebat, perſuaſio in cauſſa erat, cur Pontifices in propriis explicandis privilegiis eaſdem pariter loquendi formulas uſurpare ferme ſolerent. In his Johannes XVIII. in epiſt. 1. ad Jordanum Lemovicenſem, & Galliarum Epiſcopos, lecta in Conciliis Bituricenſi, & Lemovicenſi II. anno 1031. *Ad paſtoralem*, ſcribebat, *ſollicitudinem pertinet, quum aliquid controverſiæ in Eccleſia oritur ..., extirpare radicitus*. Et infra. *Petrum Principem Apoſtolorum credimus, quia Apoſtolos conſtituit, ſicut eſt Marcus, Mathias ..., Lucas, Paulus, & Barnabas.* Et paucis interjectis pergit. *Nos in firma petra ædificati Martialem Apoſtolum nominari poſſe definimus.* Indicia ſunt ne iſta, ſodes dic, a Conciliorum, aut Canonum legibus coarctatæ Pontificiæ poteſtatis, qua cauſſæ, aut controverſiæ in Eccleſia exortæ definitivo dirimi judicio nequeant? Propriorum jurium S. Leone IX. tena-

cior an fuerit, profecto nescio: sed nescio quoque an rem facerem gratam, si quam ille propriis vindicandis, exponendisque privilegiis impendit, operam persequi sermone omnem vellem: unde satius erit, & utilius, sexcentis missis, nonnulla deligere, nec diutius imo in iisdem immorari. Itaque data ad Thomam Africanum Episcop. epist 3, postquam Carthaginensis Archiepiscopi Primatum in universam Africam confirmasset, finitiva sententia deponi Episcopos non posse inconsulta Sede Apostolica declaravit his verbis: *Hoc autem nolo vos lateat non debere præter sententiam Romani Pontificis universale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi: quia etsi licet vobis aliquos Episcopos examinare, definitivam tamen sententiam absque consultu Romani Pontificis non licet dare: quod in SS. Canonibus statutum si quæritis, potestis invenire... Scilicet quia omnium Ecclesiarum majores, & difficiliores caussæ per sanctam, & principalem B. Petri Sedem a Successoribus ejus sunt definiendæ*. Quæ eadem repetit in epist. 4. ad Petrum, & Johannem Africanos Episcopos, quæ egregie de Episcoporum, & Archiepiscoporum institutione disserit: *Hoc vos non lateat, non debere præter scientiam Romani Pontificis universale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi*. Cujus rei hanc reddit rationem: *Quia omnium Ecclesiarum majores, & difficiliores causæ per sanctam, & principalem B. Petri Sedem a Successoribus ejus definiendæ sunt, utpote cui divinitus dicitur*: Confirma &c. Tibi dabo &c. Quam vero animo de peculiari infallibilitatis prærogativa approbam præferret sententiam, planam facit in epist. 5. ad Petrum Antiochenum, ubi postquam dixisset Romanam Ecclesiam Ecclesiæ universæ prælatam, ad eamque difficiliores causas definiendas referri debere, subdit: *Solus est Petrus, pro quo ne deficeret ejus fides Dominus, & Salvator asseruit se rogasse dicens*: Simon Simon ecce &c. Ego autem rogavi &c. *Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in Throno illius usque in sæculum sæculi; sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit*. Potissime autem in epist. 1. ad Michaelem Cerularium, & Leonem Acridanum Photiani schismatis instaurato-

ratores stylum suum exacuit, atque utrumque Romani Pontificis ab iis impetitum privilegium vindicandum suscepit. Exscribenda integra epistola esset, siquidem nullus sit apex, qui huc apprime non collineet. Ex paucis tamen, quæ delibamus, cetera facile dantur intelligi. Ibi igitur hæc habet inter alia: *Taliter S. Ecclesia super petram, idest Christum, & super Petrum, qui prius Simon dicebatur, ædificata, quia Inferi portis, disputationibus scilicet hæreticorum, quæ vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera, quæcumque sunt vera*: Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam. *Cujus promissionis effectum se precibus impetrasse a Patre idem Filius protestatur, dicendo ad Petrum*: Simon Simon &c. Ego autem rogavi pro te &c. *Erit ergo quispiam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per Successores suos reprobata, & convicta, aut expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & Fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?* Idem argumentum versat in epist. 7. ad Constantinum Monomachum. Cui cohærentes Nicolaus II. in epist. 3. ad Gervasium Remensem supra S. Petrum *Fundamentum universalis Ecclesiæ solidatum* ait: & Alexander II. in epist. 1. ad Mediolanenses *Universalis Ecclesiæ curam* sibi incumbere scribit: in epist. 14. ad præmemorat. Gervasium Remen. in S. Petro *Christi Ecclesiam ædificatam*: & in epist. 21. ad Archiep. Galliæ: *Totius universalis Ecclesiæ regendum, ac disponendum sibi statum incumbere*. Confer Ivonem par. 9. cap. 6. q. 10. 37; & Gratianum 7. q. 2. C. *In tuis*; 32. q. 5. C. *Notificasti*; 35. q. 4. C. *Ad Sedem*, & alibi sæpe.

Æqui, bonique facias, quæso te, si modo, quod operæ est pretium, vel in compendifaciendis, quæ ex S. Gregorio VII. affluunt, testimoniis paullo amplius ero prolixior. Quam illustria, tam innumera sunt ista, adeo ut non attingere vel obiter nefas sit: attingere vero vel brevius nescio, an nequeam. Tanti autem majoris testimonia ejusmodi frugi viro facienda obtingunt, quod a Pontifice sapientia, & Sanctitate præstantissimo fuerint pro-

profusa nedum, sed quod tum propugnata fuerint quam maxime, quum ad eadem oppugnanda communi impetu facto undique nefarii hostes irruerent. Is itaque lib. 1. epist. 7. ad Beatricem, & Mathildem S. Romanæ Ecclesiæ fidem eximiis celebrat laudibus: *Immobilem Petram* vocans: & epist. 64. ad Alphonsum Castellæ, & Sancium Aragoniæ Reges, asserens Romanam Ecclesiam *a Petro, & Paulo supra firmam petram per Christum fundatam, cui portæ inferi, idest linguæ hæreticorum, numquam prævalere potuerunt*. Lib. 2. epist. 31. ad Henricum Imperat. a S. Romanæ Ecclesiæ in fide firmitate firmitatem in fide Ecclesiarum omnium reposcit: *Bene*, inquiens, *universi Orientales præstolantur, quid fides Apostoli Petri inter diversas opiniones eorum decernat. Instat enim nostro tempore, ut impleatur, quod pius Redemptor speciali gratia dignatus est Apostolorum Principi indicare, ac præcipere dicens*: Ego pro te rogavi &c. Lib. 3. epist. 18. Simeonem Hispanum Episcopum adhortans ad Apostolicæ Sedis decretis obedientiam, hanc ex Lucæ 22. deducit caussam: *Apostolica enim Sedes Deo gubernante firma permansit ab ipsis primordiis, eoque tuente illibata perpetuo permanebit, testante eodem Domino*: Ego pro te rogavi &c. Lib. 4. epist. 2. ad Herimannum Metensem supremam Pontificis Romani potestatem in Ecclesiam, qua latet patet, universam vindicandam suscipiens: *Ubi*, scribit, *Deus B. Petro principaliter dedit potestatem ligandi, & solvendi in Cælo, & in terra, nullum excepit, nihil ab ejus potestate subtraxit*: & epist. 28. ad Hispanos infallibilitatis prærogativam subtexens: *Sancta*, inquit, *& Apostolica Sedes Princeps, & universalis Mater omnium Ecclesiarum, ad conservandam Catholicæ fidei veritatem ... documenta, & salutifera administrat monita*. Lib. 6. epist. 35. ad Archiep. Rotomag., Turonens., & Senonens., quos Lugdunensi ceu Primati subesse jubet, & obedientiam præstare, de Pontificiæ potestatis vario genere, ususque differens: *Sedes Apostolica*, scribit, *Spiritu Sancto edocta per diversas Provincias, & Regna Præsules, Archiepiscopos, & Primates ordinavit ... Neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret*. Percurre totam epistolam, qua affabre constitutos in Ecclesia hierarchicos gradus, eisque ceu Mo-

Monarcham præfectum Romanum Pontificem facile perſpicies.

Ad hæc lib.7.epiſt.24.ad Willelmum Abbatem Hirſaugienſem, S. Ambroſii laudato nomine, de neceſſitate communicandi cum Romana Eccleſia, eique in doctrina fidei conſentiendi verba faciens: *Hæreticum eſſe conſtat*, inquit, *qui Romanæ Eccleſiæ non concordat*. Lib. 8. epiſt. 1. ad Synnadenſem Archiepiſ., qui cum Armenis in violatæ fidei ſuſpicionem ei venerat, poſtquam Græcorum calumnias in Romanam Eccleſiam ejaculatas poſthabendas, nec ab impendenda eidem Rom. Eccleſiæ obedientia ceſſandum, *Ut quæ per B. Petrum ab ipſis fidei primordiis a SS. Patribus omnium Mater Eccleſiarum adſtruitur, & ita uſque in finem ſemper habebitur*, denuntiaſſet; alio præterea ex capite ab ejus obſequio non reſiliendum ſubjungit, quod a fide deficere Pontifex in ea præſidens nullo poſſit modo: *In qua nullus unquam hæreticus præfuiſſe dignoſcitur, nec unquam præficiendum, præſertim Domino promittente, confidimus, ait enim Dominus Jeſus*: Ego pro te rogavi &c.: & epiſt. 21. ad Herimannum Metenſem, laudatis ex Matth. 16. verbis: Tu es Petrus &c., ex iis iſta extundit. *Hoc privilegium B. Petro Apoſtolorum Principi cæleſti decreto principaliter traditum; atque firmatum SS. Patres cum magna veneratione ſuſcipientes, atque ſervantes S. Rom. Eccleſiam tam in generalibus Conciliis, quam etiam in ceteris ſcriptis, & geſtis ſuis univerſalem Matrem appellaverunt, & ſicut ejus documenta in confirmatione fidei, & eruditione ſacræ Religionis, ita etiam judicia ſuſceperunt, in hoc conſentientes, & quaſi uno ſpiritu, & una voce concordantes, omnes majores res, & præcipua negotia, nec non omnium Eccleſiarum judicia ad eam quaſi ad Matrem, & Caput debere referri, ab ea nuſquam appellari, judicia ejus a nemine retractari, aut refelli debere, aut poſſe*. Quæ confirmat teſtimoniis ſubinde SS. Gelaſii in epiſt. ad Anaſtaſ.; Julii in epiſt. ad Orient.; Gregorii M. lib. 2. de privileg. Monaſt. S. Medardi in epiſt. ad Senatorem; & lib. 4. epiſt. 31. ad Mauritium Imper.; Zachariæ in epiſt. ad Pippinum; & Symmachi in Synodo Rom. Viden S. Petro, quæ de Romanæ Eccleſiæ privilegiis prædicantur, accepta referri! Viden ejuſmodi privilegia ea eſſe cum Primatu conjunctam ſupremam in Concilia poteſtatem, ac in fide infalli-

fallibilitatem! Legenda integra epistola sacræ eruditionis cumulatissima. Quid plura? Profecto a S. Gregorio VII. Pontificis infallibilitatem, supremamque potestatem fuisse propugnatam adeo verum, ut ipsimet, quos oppugnamus, fateri cogantur, ut proinde veritas ab ipsomet D.Fleurio hist. Eccles. lib.63. n.12. confessionem extorserit: de scripto namque illo, cui titulus: *Dictatum Gregorii Septimi*, loquens, quod opus Gregorii VII. legitimum fœtum non censet, qua in sententia Criticos nunc communiter suffragatores habet, fatetur tamen ex 27. articulis, quibus comprehenditur, quosdam veros esse, quosdam autem falsos: veris adnumerat sequentes: quod Ecclesia Romana a solo Christo fundata fuerit: quod majores caussæ ad illam referri debeant: quod Ecclesia Rom. nunquam erraverit; nec pro catholico habendus sit, qui huic Ecclesiæ non conjungitur. Ex Fleurio ergo sequitur Ecclesiam Romanam esse in fide infallibilem, supremaque in Ecclesia, etiamque supra Concilia potestate potiri.

Neque ab his parum, aut plurimum abludebat, qui ejus postea in locum successit, pridem vero operam commodaverat suam omnem, Victor III: quippe qui, ut auctor est Leo Hostiensis in Chron. lib. 3. cap. 49, dum Cassini demoraretur, præcipienti Henrico jam ab Imperii Sede a S. Gregorio VII. deturbato, ut sibi fidem juraret, ac Monasterii investituram de manu sua susciperet, ac minas denique, si abnueret, intentanti respondit inter alia: *Sedes Apostolica Domina est nostra, non ancilla, nec alicui subdita, sed omnibus prælata, & ideo nulla omnino ratione sub jugo a quoquam mitti potest... Neque Regem ipsum, neque totum simul Orbem, si in unum conveniret, se ab hac depellere posse sententia*. Idem prætcrea, uti refert præcit. Leo Hostiensis cap.71, in Synodo Beneventana constitutione edita adversus Hugonem Archiep. Lugdunensem, & Richardum Massiliensem Abbatem in Pontificem maledicentissimos, quos propterea a communione suspendit, Synodi Patres ita alloquitur: *Vobis auctoritate Apostolica præcipimus, ut ab eis abstinere curetis, neque illis omnino communicetis, quia Ecclesiæ Romanæ communione sua se sponte privarunt: nam ut B. scribit Ambrosius, qui se ab Romana Ecclesia segregat, vere est habendus hæreticus*. Quibus pariter verbis

bis paullo ante S. Gregorius VII. oportune fuerat usus. Cedo vero, eidem viæ insistebat pariter, sicuti sui par erat, Urbanus II, qui in epist. 5. ad Eliam Barensem Episcop. de S. Romanæ Ecclesiæ Primatu, deque impendenda ei propterea obedientia proloquens: *Instituente*, inquit, *Domino Ecclesiarum omnium Princeps est, cui ut Matri summa debet ab universis reverentia exhiberi*. Primatus istius præ aliis esse appendicem supremam in Episcopos omnes, necnon in omnem Ecclesiam auctoritatem adeo, ut nec ab ulla Synodo coarctari ejus valeat sententia, in epist. 20. ad Richerium Senonen., & ceteros Galliar. Episcopos dilucidis his edocet verbis: *Quum luce jam clarius constet Apostolicæ Sedis Pontifici non solum Episcopos, & Primates, sed ipsos etiam Patriarchas divina institutione esse subjectos, quum noverint ab omnibus ad ipsum, ab ipso autem ad neminem appellandum; quum sciant ei soli fas esse de omni Ecclesia judicandi, ipsum vero nullorum subjacere judicio: nec vos illud credimus ignorare, quod sola, nulla Synodo præcedente, Sedes Apostolica valeat suo statui restituere, quos Synodus inique damnaverit, ipsius vero nemini liceat retrahere judicia*. Data fuit epistola ea occasione, quod Regem a Pontifice excommunicatum Galli Episcopi absolvere ausi essent.

Paschalis II, quum gravi necessitate compulsus, & ad liberandum se, ac Romanos captivos, atque incendia, rapinas, cædes, aliaque mala, quibus affligebatur Ecclesia, propulsanda Henrico V. Imperatori privilegium investiturarum indulsisset per vim ab ipso exortum, Concilium Lateranense III. convocavit, in quo se male egisse confessus postquam fuisset, privilegiumque concessum diris omnibus devovisset, Brunus vero Signinus Episcopus subjunxisset: *Gratias agamus Omnipotenti Deo, qui Dominum Papam Paschalem, qui præsenti Concilio præsidet, audivimus proprio ore damnantem privilegium illud, quod pravitatem, & hæresim continebat*: ad hæc quidem cavillatorie subtexens, *Qui illud fecit hæreticus fuit*: at Johannes Cajetanus ad hæc commotus Signino quum respondisset: *Tu ne & hic, & in Concilio nobis audientibus Romanum Pontificem appellas hæreticum? Scriptum, quod fecit D. Papa, malum quidem fuit, sed hæresis non fuit*; Paschalis, inquam, horrendo hæresis nomine graviter pulsatus,

manuque silentium indicens, in hæc verba fatus est: *Fratres, & Domini mei, Ecclesia ista numquam habuit hæresim, imo hic omnes hæreses Eutychiana, & Sabelliana contrita, Photinus, ceterique hæretici destructi sunt: pro hac Ecclesia Filius Dei in passione sua oravit, quum dixit*: Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua &c. Videndi Bail in summa Concil. tom. 2. ad sæcul. XII. Concil. Lateran. III, & Harduinus tom. 6. Concilior. part. 2. pag. 1800, & seqq., ubi refert epist. 38. ad Norigaudum Episcop. Augustod.; epist. 90. ad Petrum Acheruntinum Archiepiscopum; & epist. 103. ad Henricum Regem, & Episcopos Angliæ, in quibus Paschalis tum fidem Sedis Apostolicæ indefectibilem, tum ejusdem supremam auctoritatem liquido adstruit ex verbis Christi: *Tu es Petrus &c. Pasce oves &c. Rogavi pro te &c.* Idem Paschalis in epist. 5. ad Archiepiscopum Panormitanum relata a Baronio e Codice Vaticano ad annum 1102, & cap. *Significasti* extra de elect., alias ad Archiepiscopum Poloniæ inscripta apud Harduinum, sed verius ad Colocensem, ut alibi ex Florente adnotatum fuit, sic habet: *Ajunt in Conciliis statutum non inveniri; quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, quum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas*. Quorum simillima repetit, confirmat, illustratque in epist. 75. ad Guidonem Vienn. *Potestatem*, inquiens, *ligandi, atque solvendi in Cælis, & in terra B. Petro, ejusque Successoribus a Deo principaliter traditam illis Ecclesia verbis agnoscit, quibus Petrum Dominus allocutus est*: Quodcumque ligaveris &c. *Ipsi quoque & propriæ firmitas, & alienæ fidei confirmatio eodem Deo auctore præstatur, quum ad eum dicitur*: Rogavi pro te &c. Quibus quid, rogo, expressius proferri potest; atque ad Pontificis, quibus de agimus, privilegia loco confirmanda, bonoque in lumine collocanda efficacius?

Ad Sæculum XII, & XIII. referendo nunc pedem, ex Pontificum serie, quæ deinceps obtinuit, nullum offendere profecto est, qui acceptam a Decessoribus de propriæ Sedis divinis prærogativis, doctrinam tenacissime non tenuerit, ac retinuerit: quos omnino omnes in aciem producere operæ plena res esset; juvat atta-

attamen, ac intereſt, paucis ſaltem, quoad ejus fieri poterit, eos perſtringere, quorum eo potior, quo expreſſior poſſit æſtimari ſententia. In hos itaque ingreditur Calliſtus II, qui in Concilio Remenſi anno 1119. celebrato pro inveſtituris adverſus Henricum V. ita fatus eſt, ut ferunt acta collecta ab Heſſone Scholaſtico apud Harduinum: *Domini Patres, & Fratres... Scitis quandiu Eccleſia contra diverſas hæreſes laboravit, & ſicut per B. Petrum, cui ſpecialiter dictum eſt a Domino*: Rogavi pro te Petre &c. *Simon Magus judicio Spiritus S. ab Eccleſia Dei eliminatus periit: ſic uſque ad noſtra tempora idem per Vicarios ſuos ſequaces Simonis Simonis expugnare, & ab Eccleſia Dei extirpare non deſinit. Ego quoque... ejus Vicarius ſimoniacam hæreſim... ab Eccleſia Dei omnibus modis eliminare deſidero.* Ad hæc vero in epiſt. ad Archiepiſcopos Remenſem, Rotomagenſem, Bituricenſem, ac ceteros Galliarum Epiſcopos, quos ad Concilium Remenſe vocabat, ſic exorſus idem Calliſtus legitur: *Eccleſiarum omnium Romana Eccleſia Mater, & Caput ab ipſo Domino conſtituta, omnes per Orbem terrarum poſitas Eccleſias tanquam propria membra debet uberibus caritatis confovere. Unde Nos &c.* Adeundus Harduinus tom. 6. part. 2. pag. 1999. Cui plane complaudebat apud Ordericum Vitalem hiſt. Eccleſ. lib. 12. Johannes Cremenſis eodem in Concilio in hæc effatus. *Apoſtolica Sedes Caput omnium Eccleſiarum a Domino, & non ab alio conſtituta eſt: & ſicut cardine oſtium regitur, ſic Apoſtolicæ Sedis auctoritate omnes Eccleſiæ Domino diſponente reguntur &c.* Sed propoſitum eſt hic Pontificibus unum facere locum, ad quos proinde regrediatur oratio. Altera ab hac intime non inſidebat Honorio II. perſuaſio, qui perinde in epiſtola 7. ad Petrum Cluniacenſem ita ſcribebat: *Siquidem S. Romana Eccleſia, quæ a Deo ſibi conceſſum omnium Eccleſiarum retinet Principatum, tanquam diligens mater ſingulis debet Eccleſiis inſtanti vigilantia providere. Ad ipſam enim quaſi ad Caput, & Matrem ab omnibus eſt concurrendum, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & a ſuis oppreſſionibus releventur.* Qui rurſus in epiſt. ad Epiſcopos Angliæ, qua ipſos admonet ab ſe in Angliam Sedis Apoſtolicæ Vicarium mitti Johannem Cardinalem, cum quo illos religionis negotia pertractare præcipit, ſic præfatur:

tur: *Quamvis in extremis terrarum positos ad Petri tamen Apostoli curam Christianæ fidei vos facit universalitas pertinere. Quum enim Petro dictum est*: Pasce oves meas: Pasce agnos meos, *profecto nulla Ovium, nullus Agnorum exceptus est ad Christi consortium pertinentium, qui non Petri commissus sit pastioni speciali*. Similia habet in epist. ad Sugerium Abbatem Sandionysianum.

Innocentius II. alienis juribus in tuto collocandis intentus, suisque illa suffulciens in epist.4. ad Willelmum Patriarcham Hierosolym., qua ipsi præcipit, ne Fulcherium Tyrensem Episcopum ad Romanam Ecclesiam venientem impediat, utque ipsi justitiam faciat, sic exorditur: *Magisterium totius Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ institutionis B. Petro Apostolorum Principi Cælesti privilegio esse collatum Evangelica declarat auctoritas*. Luculentius in Concilio Lateranensi II, ut ex actis ab Auctore Chronici Mauriniacensis collectis refert Harduinus, de Sedis Apostolicæ suprema potestate ita Patres allocutus est: *Nostis, quia Roma Caput est Mundi, & quia a Romani Pontificis licentia Ecclesiastici honoris celsitudo, quasi feudalis juris consuetudine, suscipitur, & sine ejus permissione legaliter non tenetur. Scitis etiam, quia ejus proprium est, ut dissentientes pacificet, & confusa sapienter disponat, & ordinet ... Unde quia inordinatæ personæ* (Petri Leonis scilicet pseudo-Pontificis) *inordinata sunt decreta, quodcumque ille statuerat, destruimus; quoscumque exaltaverat, degradamus; & quotquot consecraverat, exordinamus, & deponimus*. Item in rescripto, seu epistola ad Henricum Senonensem, Reynaldum Remensem, eorum Suffraganeos, & S. Bernardum sic ait: *Testante Apostolo, sicut unus Deus, una fides esse dignoscitur, in qua tanquam immobili fundamento, præterquam nemo aliud potest ponere, firmitas Catholicæ Ecclesiæ inviolata consistit. Inde est, quod B. Petrus Apostolorum Princeps pro eximia ejus fidei confessione audire meruit*: Tu es Petrus, & super hanc petram &c. *Petram utique firmitatem fidei, & Catholicæ unitatis soliditatem manifeste designans ... Nos itaque, qui in Cathedra S. Petri, cui a Domino dictum est*: Tu aliquando conversus confirma Fratres tuos ... *residere conspicimur, destinata Nobis a vestra discretione capitula, & universa ipsius Petri* (Abælardi) *dogmata ... cum suo Auctore damna-*

damnavimus. Legesis Lucii II. epist. 3. ad Raymundum Toletanum apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1235, qua Toletanam Ecclesiam ad sublimiorem præ Hispanicis aliis gradum exaltans, eumdem interea de obedientia impendenda Romanæ supremo cunctarum loco constitutæ, deque communione sacrorum cum eadem tenenda commonefaciebat.

Insita, & intesta sententia itidem ista erat Eugenio III, ad quem S. Bernardus libros de Consideratione, & epistolas plerasque Sedis Apostolicæ privilegia luculenter, & præclare exponentes dedit, de quibus suo loco. Nam in Brevi ad Canonicos S. Petri, quibus quartam partem oblationum concedebat, sic ait inter alia: *Petrus petra est, & fundamentum fidei, & ne ruamus, in soliditate nos firma sustentat ... Petrus principatum tenens ex potestate ligat, & solvit ... Petrus firmamentum nostrum est, ac domus fortitudinis, & in fide ejus plantati, & radicati sumus*. Præterea in epist. 14. ad Canonicos S. Genovefæ ita loquitur: *Quisquis Catholicæ fidei veritatem, & veræ Religionis caritatem habere dignoscitur, Caput omnium Ecclesiarum S. Romanam Ecclesiam esse non dubitat, sed firmat, & eam tanquam devotus filius veneratur*. Rursus in epist. 71. ad Cistercienses, qua eorumdem Constitutiones confirmat, scribit: *Sacrosancta Romana Ecclesia sic in B. Petro Apostolorum Principe a Domino promissionem obtinuit, quod universalis Ecclesiæ fundamentum existeret, & præceptum accepit, ut Christianæ fidei professores in fide, religione, omnique sanctimonia confirmaret*. Quid amplius? Epist. 72. ad Johannem Toletanum Archiepisc., qua primatum Toletanæ Ecclesiæ jam ab Honorio, & Lucio assertum confirmat, sic exorditur: *Potestatem ligandi, atque solvendi in cælo, & in terra B. Petro, ejusque Successoribus auctore Domino principaliter traditam illis Ecclesia verbis agnoscit, quibus Petrum idem est Dominus allocutus*: Quæcumque ligaveris &c. *Ipsi quoque & propriæ firmitas, & alienæ fidei confirmatio ad eodem Deo paratur, quum ad eum dicitur*: Rogavi pro te Petre &c. *Oportet ergo Nos, qui in B. Petri residemus loco .... prava corrigere, recta firmare &c.* Quid tandem, quod in epist. 83. ad Clerum, & Populum Toletanum: *Quia*, inquit, *Apostolicæ Sedi tanta est à Domino collata potestas*

ſtas, ut quod pro ſacris dogmatibus fidelium moribus Dominico tempore præſcripſit, hodie teneatur acceptum, quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur; quanto magis, quæ in Sacramentis Miſſarum, & aliis divinis officiis inſtituiſſe dignoſcitur,.. debent ab omnibus prorſus reverenter aſſumi? Adiſis dicta abunde de Concilio Remenſi, ejuſdemque Bullam Canonizationis S. Henrici, qua Eccleſiam Romanam vocat Conciliorum omnium firmamentum: nam oratione percurrere omnia non præſtat.

Anaſtaſius IV. ejus e veſtigio in Sede non minus, quam in ſententia ſucceſſor paucis equidem in epiſt. 8. ad Canonicos Lateranenſes, qua eorum inſtitutum confirmat, ſed adeo præclaris utrumque poteſtatis ſupremæ, ac in fide infallibilitatis privilegium Romani Pontificis factum proprium complexus eſt, ut nulla ejus teſtimonium eludi tergiverſatione queat, vimque apertiſſimam inferre oporteat, qui infirmare, aut elidere illud velit: ita enim ibidem inquit. *Poteſtatem ligandi, atque ſolvendi tam in Cælis, quam in terra B. Petro, ejuſque Succeſſoribus auctore Domino principaliter traditam illis Eccleſia verbis agnoſcit, quibus Petrum eſt idem Dominus allocutus:* Quodcumque ligaveris &c. *Ipſi quoque & propriæ firmitas, & alienæ fidei confirmatio eodem Deo auctore præſtatur, quum ad eum dicitur:* Rogavi pro te &c. *Oportet igitur &c.* ut ſuperius in epiſt. Eugenii III ad Archiepiſc. Toletanum. Legenda etiam illius epiſtola ad Archiep. Bracarenſem. Accipere nunc non pigeat, quæ ad ſummam Apoſtolicæ Sedis auctoritatem communiendam accumulabat Hadrianus IV, qui poſtquam in epiſt. 7. ad Baſilium Archiep. Theſsalon. pro Græcorum concordia dixiſſet: *Traditum eſt, quonam modo SS. Patres divino ſpiritu illuminati omnium Eccleſiarum Primatum Sacroſanctam Romanam Eccleſiam abſolute obtinere juſſerint, & ad ejus ſententiam omnium judicium referri præſcripſerint:* poſtquam in epiſt. 36. ad Henricum Gradenſem Patriarcham ſcripſiſſet: *Super omnes* (Eccleſias) *ſuperni diſpoſitione conſilii ſacroſancta eſt Romana Eccleſia conſtituta, ad cujus examen univerſarum Eccleſiarum negotia referrentur, & cujus ſtatuta univerſa multitudo fidelium ſequeretur:* in alia 39. ad eumdem Henricum epiſtola, qua indulget, ut in Imperii Conſtantinopolitani Urbibus,

in quibus Veneti Ecclesias habebant, Episcopos consecraret, sic ait: *Redemptor noster, quum Ecclesias veluti micantes stellas in diversa Mundi climata latius propagasset, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cujus B. Petrus Apostolorum Princeps extitit gubernator, tanquam splendidum Solem omnibus superesse, & singulas ei Ecclesias, ut pote membra suo capiti, statuit subjacere: quod ex illis verbis manifestius declaratur, quibus eumdem Petrum est Dominus allocutus*: Si diligis me, pasce Oves meas: Tu es Petrus &c. *Petra vero, supra quam legitur esse fundata, nullas scissuras recipit, nullas patitur sectiones. Hoc idem rursus demonstratur, quum dicitur*: Quodcumque ligaveris &c. *Ipsi quoque & propriæ firmitas, & fidei alienæ confirmatio data est, quando a Magistro audire meruit*: Rogavi pro te Petre &c. *Istis itaque, & aliis rationibus Sancta, & Apostolica Ecclesia, quæ cælesti privilegio inter alias obtinet Principatum, tantam ab ipso Capite D. Jesu Christo prærogativam accepit, ut auctoritatem habeat singularem universis per Orbem Ecclesiis providendi, & in eis statuere, quæ cognoscit statuenda*. Clara hæc sunt, & præclara, quam quæ inflecti sinistra interpretatione possint, multoque minus inique infringi. Conferunt & huc quam maxime, atque hæc confirmant, quæ habet geminatis in litteris ad Fridericum Imperatorem legendis apud Baronium ad annum 1157. n. 2, & 11.

Alexander III. in epist. 48. ad Indorum Regem, quem vulgo Presbyterum Johannem vocant, operam impendens omnem, ut illum ad Christiana sacra perduceret, in id potissimum incumbit, ut illi suadeat, & persuadeat, quæ in Ecclesia Romana sacra retinentur, dogmata omni dubio procul ab errore tuta esse; quæque in eadem residet, dignitatem, ac potestatem, omnium potissimam esse, ac præstantiorem: *Apostolica*, ajens, *Sedes omnium in Christo credentium Caput est, & Magistra Domino attestante, qui ait B. Petro*: Tu es Petrus &c. *Hanc siquidem Petram Christus esse voluit in Ecclesiæ fundamentum, quam præconat nullis ventorum turbinibus, nullisque tempestatibus quatiendam. Et ideo non immerito B. Petrus, supra quem fundavit Ecclesiam, ligandi, atque solvendi specialiter, & præcipue inter Apostolos alios meruit accipere potestatem, cui dictum est à Domino*:

mino:

mino: Tibi dabo claves &c. Et infra. *Nos autem in B. Petri Cathedra positi... vos ab his articulis, in quibus erratis à Christiana, & Catholica fide, volumus revocare: quum ipse Dominus B. Petro, quem omnium Apostolorum Principem fecit, dixit*: Et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos. Quibus consona omnino sunt, quæ in epistola ad Episcopos Tusciæ Later. III. Concilio præfixa scribit. Quo pariter in Concilio cap. 1. de elect. Summi Pontificis, postquam statuisset Romani Pontificis electionem a duabus Cardinalium partibus faciendam, subdit: *Ex hoc tamen nullum canonicis Constitutionibus præjudicium generetur, in quibus majoris, & sanioris partis debet sententia prævalere, quia quod in his dubium venerit superioris poterit judicio definiri. in Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad Superiorem haberi.* Habetur Cap. *Licet* extra de Electione. Recolenda a nobis dicta, ubi de Concilio Lateranensi III. Conferri præterea possunt epist. 21. ad Principes Boreales in append. 1., & epist. 1. ad Gislebertum Cisterc. in append. 2.

Quo gradu eis superior esset, eo potiorem Episcopis potestate se esse, eoque perinde loco se positum, ex quo prolabi in errorem nequiret, ut palam faceret Urbanus III, epistolam 1. ad omnes Episcopos de sui electione sic exorditur: *Cælestis altitudo consilii ... Sacrosanctam Romanam Ecclesiam..., supra petram fidei soliditate fundavit; illud ei tribuens in Apostolicæ confessionis fortitudine firmamentum, cui nec procella turbinis, nec prævalere possit spiritus tempestatis ... Licet enim vel crebra decedentium mutatione Pastorum in varia discrimina frequenter inciderit, vel per mundanæ malignitatis incursum persecutiones innumeras pertulerit, & labores, nunquam tamen eam gratia divina deseruit, quo minus robur ejus in qualibet tentatione perficeret, & inde obtineret spei suæ gaudium, unde susceperat fidei firmamentum*. Cui apprime cohærens Cœlestinus III. in epist. 5. ad Episcopum Lincolniensem scribebat: *Mediator Dei, & Hominum D. Jesus Christus totius Ecclesiæ disciplinæ caput, & magisterium Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ voluit reservari, & omnes alias ipsius ordinationi, & correctioni subesse, ita quod concessa ei specialiter plenitudine potestatis, ejus etiam sit ceterarum*

rum excessus corrigere, & quod laudabiliter agitur, auctoritate Apostolici culminis approbare. Consona repetit in epist. 8. ad Episcopos Angliæ, quos in partem sollicitudinis assumptos dicit, Ecclesiam vero Romanam accepisse plenitudinem potestatis. Similia habet in alia epist. 13. ad eumdem Episcopum Lincolniensem: scilicet asserit ex verbis illis *Super hanc petram &c.* Ecclesiam Romanam super immobile fundamentum perpetua stabilitate fundatam Ecclesiarum omnium magisterium cepisse, & primatum, ac plenitudinem potestatis. Legesis & epist. 17. ad Willelmum Scot. Regem. Easdem Cælestini epistolas describit Rogerius Hovedenus, quæ hac de caussa exaratæ sunt. A Gaufredo Archiepiscopo Eboracensi in Dunelmensem Episcopum, aliosque irrogatum fuerat anathema, a quo ad Apostolicam Sedem appellantes à Cælestino sunt absoluti: qui vicem rependentes Gaufredum plurimorum apud Pontificem accusarunt, a quo proinde inquirendi in ejus facinora Lincolniensi Episcopo, aliisque Provincia est demandata. Apostolicam Sedem appellavit Gaufredus, at Pontificio coram tribunali non comparens, sacrorum administratione interdictus a Cœlestino est.

Innocentius III, cujus quia hacce de re, si testimonia essent congerenda, in immensum copia excresceret, unum vel alterum delibare satius duco, in epist. ad Camaterum Patriarcham Constantinop. his illum ad fœdus restituere, & corrigere ad frugem adorsus legitur: *Pro eo* (Petro) *Dominus se orasse fatetur, inquiens in articulo passionis*: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua &c. *Ex hoc innuens manifeste, quod Successores illius nullo unquam tempore deviarent, sed revocarent magis alios, & confirmarent hæsitantes; propter hoc ei alios confirmandi potestatem indulgens, ut aliis necessitatem imponeret obsequendi*. Atque hæc eadem intime universis Episcopis Græcis insinuabat scribens: *Ad conservandum autem in ea* (Ecclesia) *mysterium unitatis, unum eidem, B. Petrum videlicet, Dominus Caput instituit, & Magistrum, cui Oves Christi, dicente Domino*: Pasce oves meas, *sunt sine distinctione commissæ; alienis ab ovili dominico reputatis, qui Petrum in suis Successoribus non agnoscunt Pastorem*. Sed & similia habet in epist. ad Episcopos Provin. Arelat.,

lat., & habetur Cap. *Majores* extra de baptismo. Quæ serm. 2. de Consecr. Rom. Pontif. confirmans: *Nisi ego*, inquit, *solidatus essem in fide, quomodo possem alios in fide firmare? Quod ad officium meum noscitur specialiter pertinere, Domino protestante*: Ego rogavi pro te Petre &c. *Rogavit, & impetravit, quoniam exauditus est in omnibus pro sua reverentia: & ideo fides Apostolicæ Sedis in nulla unquam turbatione defecit, sed integra semper, & illibata permansit, ut Petri privilegium persisteret inconcussum*. Et infra. *In tantum enim mihi fides necessaria est, ut quum de ceteris peccatis Deum solum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari*. Conspirat in hæc itidem serm. 3. de consecr. ajens: *Officium injungit, quum dicit*: Confirma Fratres tuos; *auxilium impendit, quum ait*: Ego pro te rogavi Petre; *exauditur enim in omnibus pro sua reverentia*: Dominus mihi adjutor non timebo, quid faciat mihi homo: *Propter caussam vero fornicationis Ecclesia Romana posset dimittere Pontificem Romanum, fornicationem non dico carnalem, sed spiritualem, idest propter infidelitatis errorem, quoniam*, Qui non credit, jam judicatus est ... *Ego tamen facile non crediderim, ut Deus permitteret Romanum Pontificem contra fidem errare, pro quo oravit in Petro*: Ego rogavi &c. Ad hæc verba *Non facile crediderim* quam exultat Bossuetius par. 2. lib. 15. cap. 11! quod scilicet pia fiducia hæc opinio sit. At sane Innocentii loca inter se collata id significant distinctum ab illo Pontificem, qua singularis persona est, & qua Ecclesiæ universalis magister ad Ecclesiam dicit. Legendæ ejusdem epistolæ ad Leonem Regem Armeniæ; ad Vulcanum Dalmatiæ, & Diocliæ Regem; ad Archiepiscopos, & Episcopos Galliar.; ad Archiepiscopos Compostellanum, & Lugdunensem C. *Cum Marthæ*; & ad Episcopos Schalaholtdensem, & Hotensem in Islandia, horum similium cumulatissimæ; quæque omnem amovent de ancipiti ejusdem sententia suspicionem, eamque sinistre accipi non sinunt.

Gregorius IX. in epist. 5. ad Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, postquam diluisset Græcorum objectiunculam postea a Calvinistis retextam, qua ea ratione S. Petri in Ecclesia Primatum impetebant, tum quod Christus Dominus primum

mum sit, & præcipuum fidei fundamentum, præter quod aliud poni nullatenus potest, tum quod S. Paulus in faciem S. Petro resistendo argumento fuerit S. Petrum superiori loco haud ab se habitum, ex Johan. 1, Matth. 16, & Ephes. 4. S. Petri, ac Romani Pontificis Primatum, ejusdemque appendicem, supremam scilicet in Ecclesia auctoritatem, optima in luce collocasset, ad alteram Primatui adnexam prærogativam, infallibilitatem videlicet, descendens subdit: *Prævidens Dominus, quod Ecclesia a Tyrannis conculcaretur, & ab hæreticis laniaretur, & schismaticis, dixit*: Rogavi pro te Petre &c. *Ex quo colligitur evidenter, quod ad Sedem Petri omnis quæstio fidei referenda sit*. Hanc epistolam dederat ea occasione, quod unionis redintegrandæ spem ille fecisset magnam, quam subinde pro Græcorum more fefellit vir ad omnem confingendi artem compositus. Legenda ea epistola apud Wadingum ad annum 1233, ad quam Gerardus Vossius scholia dedit, eamdemque post ipsum notis illustravit Johannes Pamelius. Qua vero sollicitudine Græcorum pravas affectiones curandas susceperat, haud impari Russiæ Regem instruere aggressus, *Domino*, inquit in epist. 99. lib. 5, *in Evangelio docente didicimus, quod unum est Ovile, ac etiam unus Pastor: & quod suarum Ovium Christus custodem specialem, & præcipuum B. Petrum esse constituit; dum quodam singulari privilegio traditis ei Clavibus Regni cælestis, ligandi, atque solvendi sibi contulit potestatem, singulariter, ac tertio ei dicens*: Pasce Oves meas. *Porro ab hoc Ovili videtur extraneus, & a grege Domini alienus, qui Christi Vicario, & Successori B. Petri subesse contempserit, ac humiliter obedire, qui assumptus est in potestatis plenitudinem, ceteris in partem sollicitudinis evocatis: & pro quo Christus in Petro Patrem rogavit, ut non deficeret fides ejus*. Incedebat in eadem vestigia Innocentius IV, qui ut Joannichum Serviæ Metropolitam Græcorum schismate, atque erroribus a capite ad talos aspersum ad frugem reduceret, hisce usus est verbis: *Mediator Dei, & hominum Christus Jesus in Petri petra, Romana videlicet, & Catholica, & Apostolica Ecclesia omnium fidelium Christi Matre, quam sicut ipse fundavit, & rexit, ac regit; & quæ super alias cunctas Orbis Ecclesias divina dispositione Pri-*

 matum

matum fidei, sic solide fundamenta locavit, sicque illam insolubili vinculo copulavit eidem, quod .. ipsius fidei immaculata sinceritas apud eamdem Ecclesiam permanens semper purior eluceseit. Quo pacto erroris omnino expertem Romanam Ecclesiam, eodem prorsus Ecclesiis omnibus potestate superiorem prædicabat. Hinc C. *Majores* de Baptismo, quod jampridem scripserat S. Innocentius I, rescripsit: *Quoties fidei ratio ventilatur, omnes Episcopos ad Petri Sedem referri debere, quod per totum Mundum possit Ecclesiis in commune prodesse*. Legendus idem Innocentius IV. in 6. decretal. lib. 2. tit. 14. cap. 2. *de Sententia, & re judicata*, in sententia scilicet lata adversus Fridericum II. Imper., de quo in Concilio Lugdun. I. Alexander IV. autem lib. 2. epist. 325. auctor est locupletes Innocentio IV. suo decessori oblatas a Græcis unionis ineundæ caussa octo propositiones acceptas accidisse, probatasque. Eas alio in loco exhibuimus; eisque Pontifici Romano utrumque privilegium infallibilitatis, & supremæ potestatis, idest Primatum ejus generis, cujus ea gemina privilegia essent appendices, adsertum fuisse adversus ejusdem osores ostendimus.

Urbanus IV. eamdem ferme, quam jampridem SS. Hormisdas, Agapetus, Nicolaus I, Hadrianus II. &c. Orientalibus subsignandam proposuerant, fidei professionem ad Michaelem Imperatorem misit: sic vero unionis summam init, & statuit. *Ut hujusmodi unitatis Ecclesiæ gratia firma, & illibata penitus servaretur, unum eidem unitati Dominus, videlicet B. Petrum Apostolorum Principem, Caput constituit, & Magistrum, ut illam quasi Noe arcam, extra quam animantia derelicta in aquas diluvii submerguntur, in ipso Apostolorum Principe, velut in uno cubito consummaret, eique Magisterium Ecclesiæ suæ conferens, & Primatum, Oves, & Agnos suos pascendos ... commisit: & ne, ipsius Principis fides deficeret aliquando, pro ipso efficaciter exoravit; quod quum postmodum aliarum Ecclesiarum nonnullæ fuerint hæreticorum errore fœdatæ, Romana Ecclesia, cui idem B. Petrus Magister extitit, immaculata remansit, nullamque prorsus labem contraxit hæreticæ pravitatis. Neque huic institutioni Dominicæ SS. Patres postmodum restiterunt, sed ipsius Principis Successorem, tanquam illum, qui Christi vices in terris obtinet, vene-*

venerantes, & ad ejus judicium in fidei recurrentes dubiis, ejus auctoritate hæreses condemnarunt, manentes sicut membra in eorum capite, Apostolico scilicet Throno Pontificum Romanorum, a quo quærendum est quid sit tenendum, quidve credendum, quum ejus sit reprehendere, statuere, ordinare, disponere, præcipere, solvere, & loco illius ligare, qui ædificavit illum; & quod nulli alii, sed ipsi soli, quod plenum est, tradidit, & concessit. Huic etiam Throno omnes Catholici jure divino caput inclinant, & Primates Mundi veram confitentes fidem, tanquam ipsi Domino Jesu, obediunt, & intendunt, ac in illum tanquam in solem respiciunt, & ab eo lumen veritatis, & fidei ad salutem recipiunt animarum. Quibus quid, obsecro, proferri expressius, & efficacius potuit ad demonstrandum sive ex divinis promissionibus S. Petro factis, sive ex SS. Patrum jugiter, ac religiose in Ecclesia retenta traditione Romanum Pontificem tali, tantaque præditum potestate, ut eadem in Ecclesia nec potior sit, nec par: eoque fidei loco tutissime firmatum, ut excidere inde in errorem nequeat? Ita vero Græcis insinuantem putasne amplificandis propriæ Sedis prærogativis, exaggerandisque plus æquo studuisse? Putet, per me licet, qui cavillari, & calumniari ingenium suum facit, nefas ego quidem vel id fingere cogitatione reputaverim.

Clementi IV. in eamdem viam ingresso redintegrandi, si Superis placeret demum, ad unitatem devios Orientales nihil in votis accidebat optatius, & antiquius, quam incepto insistere, ac stylobatem veluti statuere, cui tam gravis negotii tractatum tuto superimponeret, Primatum nempe suum, adnexasque prærogativas loco stabilire, ratus futurum haud facile aliter, ut toties tentata unio numeris absolveretur suis. Itaque cum eodem Imperatore unionis negotium instaurans, eumdemque instruendum suscipiens abhinc incepit: hoc est, postquam præmisisset super universam Ecclesiam potestatis plenitudinem inesse Romano Pontifici, subjunxit: *Sicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debet judicio definire. Ad quam Ecclesiam Romanam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus appellare &c. & eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ, ipsarumque Prælati & obedien-*

dientiam, & reverentiam ipsi debent, apud quem sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit; quarum multas, & Patriarchales præcipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit: sua tamen prærogativa tam in generalibus Conciliis, quam in quibuscumque aliis semper salva. Ne vero suspicio incesseret aut dolo hæc dici, aut in his dictis latere dubii vel levis aliquid, quo minoris ejusmodi dicta æstimari contingeret, ac minus æqui, bonique fieri, sigillum hoc veluti apponit: *Nec licet, nec expedit in dubium revocari præmissam veræ fidei puritatem, tot sacræ Paginæ auctoritatibus; tot Sanctorum roboratam sententiis; tot Romanorum Pontificum stabili definitione firmatam.* Hanc ipsam fidei formulam B. Gregorius X. ad Michaelem Imperatorem perinde subscribendam misit, de qua legendæ tum epistolæ ad ipsum repetitæ, tum ipsius Constitutio, quæ incipit: *Exultat Mater Ecclesia* anno 1274. edita; extatque in Bullario Romano: de qua quidem fidei professione opportunior agendi se locus offeret.

Respiciunt pariter huc, quæ pio ex proposito ad exitum perducendi optatam, totiesque tentatam unionem cum intime Græcis Episcopis insinuaverat, tum sedulo Apocrisariis suis injunxerat Nicolaus III. relatus tam a Raynaldo ad annum 1278. n.5, & seqq., quam in 6. cap.17. de Elect., & electi potest., ubi inter alia, *Hujus muneris*, habet, *sacramentum ita Dominus voluit ad omnium Apostolorum officium pertinere, ut in B. Petro Apostolorum omnium Summo principaliter collocaret: ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet: hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum id, quod ipse erat, voluit nominari dicendo*: Tu es Petrus &c. Qua quidem in sententia anteiverat S. Leo M., accessit dein homonymus Nicolaus IV. in litteris zelo refertissimis, quas ad Urosium Sclavorum Regem; ad Patriarcham Jacobitarum; ad Dionysium Taurisii Episcopum, aliosque Asiæ, & Africæ Antistites; Regesque Armeniæ, Georgiæ, Hiberiæ, Æthiopiæ, Tartariæ, Bulgariæ, & Serviæ inscripsit, ac nominatim Aytono, Demetrio, Davidi, Argoni, Coblæ, Caydono, Nicolao, Cassiano, Georgio, Stephano &c. Regibus nuncupavit, quas legere præstat apud

apud Raynaldum ad annos 1288. n. 29, & seqq.; 1289. n. 56, & seqq.; & 1291. n. 33, & seqq., neque enim singulatim recensere refert. Ex innumeris tamen, quibus affluxit Bonifacius VIII, illustriora nonnulla retexere juvat, aliis indicatis, quæ lustrare avido lectori, prout allibuerit, in potestate erit positum. In epistola 268. lib. 4. ad Sembat Armenorum Principem ad probandum, quod Pontificem apud unum residet auctoritas solvendi leges de gradibus consanguinitatis, inter quos ille matrimonium cum Isabella iniverat, argumentum assumit ex potestate suprema soli Pontifici Romano in persona S. Petri a Christo D. collata in hæc disserens: *S. Romana Ecclesia non solum venerandorum Conciliorum definitionibus, & B. Petri æternæ vitæ Clavigeri meritis, Ecclesiis ceteris est prælata; sed Evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri eidem Petro dicentis:* Tu es Petrus &c. *in Orbe terrarum obtinuit Principatum.* Ad demonstrandum deinde descendens, quænam Principatus hujusmodi partes essent, ac prærogativæ eximiæ, pergit. *Hæc Romana Sedes Mater est fidei, sola auctoritatem ab ipsis exceptam præstat Conciliis, jura statuit, & omnibus legem ponit. Hinc sive Patriarchatus cujuslibet apicem, sive Metropoleon primatus, aut Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum cujuscumque ordinis dignitatem instituit: inde dispensationum supra jus absolutam obtinuit potestatem, ac verbo, quo Cælum, & terra constructa sunt, terreni, & Cælestis Imperii jura quæsivit.* Quæ quidem tam liquida, & tam luculenta satis, superque pro sexcentis haberi quamvis possint, confirmantur tamen magis, magisque ex horum simillimis, quæ passim habet in epist. 271. ad Gregorium Armenorum Catholicum; in epist. post 5. lib. 7. ad Episcopos Moguntinum, Coloniensem, & Trevirensem; in epist. 78. ad Nicolaum Ostiensem; in epist. ad Philippum Galliar. Regem, quæ incipit *Ausculta* apud Raynaldum ad annum 1301. n. 31; in Constitut. incipiente: *Unam sanctam*; & in altera, quæ incipit: *Nuper ad audientiam*; ubi inter alia, *Si deviat*, ait, *terrena potestas, judicabitur a potestate spirituali: si deviat spiritualis, minor a majore: si vero suprema, a Deo solo, non ab homine poterit judicari.*

In Sæculo XIV, aut XV. facere oporteret finem: quid enim plura

plura conglomerare præstat, quæ cò demum recidunt, unde horum series deducta est? Nisi sunt, tum qui perspectam habere affatim, quoad ejus fieri potest, intimam, quæ Pontifices omnes incesserit hac de re persuasio, delectantur; tum qui plurimorum habere suspectam fidem, quippe qui in propria adhibentur caussa testes, non desinunt: quibus hac nunc ratione offendo ostendendo in invidiam vocari ab iis deberi omnes, aut omnino neminem, siquidem una omnibus sententia insederit. Atque quidem auspicando a Clemente V, quem accusabit nemo, opinor, in suis juribus consectandis extra orbitam excurrisse, is in litteris Concilii Viennensis convocatoriis cum ad Philippum Francorum Regem, Regesque alios, tum ad Archiepiscopos, Episcopos &c. paucis, sed præclaris ambo Pontificis Romani privilegia, idest infallibilitatis in fide, ac superioris omnino potestatis, complexus, & optimo in lumine collocans, *Sancta*, inquit, *Romana Ecclesia, Mater alma fidelium, Caput est, disponente Domino, Ecclesiarum aliarum omnium, & Magistra: a qua, veluti a primitivo fonte, ad singulas alias ejusdem fidei rivuli derivantur: ad cujus regimen voluit Christi clementia Romanum Pontificem vice sui deputare Ministrum, ut instructionem, & doctrinam ipsius eloquio veritatis Evangelicæ traditam cuncti Renati fonte baptismatis teneant, & conservent: ut qui sub hac doctrina cursum vitæ recte peregerint, salvi fiant; qui vero ab ea deviaverint, condemnetur*. Esset ne vero, dic sodes, necessaria ad salutem doctrina a Romano Pontifice tradita, si a recta docendi regula deflectere idem posset; vel eidem docenti aures denegare Concilium impune posset? Conferunt huc, atque ad horum cumulunt faciunt, quæ Johannes XXI, sive XXII. in Diplomate Canonizationis S. Thomæ Aquinatis habet, ubi & Angelici Doctoris interpretem se exhibet inquiens: *Doctor idem omnem suam doctrinam ad ejusdem Ecclesiæ* (Romanæ) *fidei normam reduxit, quam Petri ore diffusam stabilem noverat, & nullis concussionum flatibus agitandam; quum ab ipso Domino audire meruit*: Tu es Petrus &c. Ego pro te rogavi &c. *Dumque pro Petro Christus rogat, ne deficiat fides ejus, pro ejus Ecclesia intercedit*. Quibus plane innuit a Pontificis in fide firmitate Ecclesiæ firmam fidem pendere: non

non id autem præsefert, ut autumant adversarii, verbis illis Christum D. de fide Ecclesiæ proloquutum fuisse, non ita de fide Petri. Confer, si otium suppetat, ejusdem epistolas ad Usbechum Tartarorum Imperat.; ad Offinium Regem Armeniæ; ad Patriarchas, Archiepiscopos &c. in Bullario Constit. 3; ad Zachariam Archiepiscopum S. Thadæi in Tartaria; ad Georgium Regem Georgianorum; ad Clerum, & populum Tartarorum; ad Constantinum Patriarcham Armenorum; ad Orosium Serviæ Regem; ad Gedeminium Regem Russiæ; Constitutionem *Licet* adversus Marsilium Patavinum, & Johannem Jandunensem; litteras ad Elchigadanum Tartarorum Imperat.; eamdemque gentem universam; aliasque passim ad alios plerosque, quas in suis annalibus tom.15. ad annos 1318; 1321; 1323; 1324; 1327; 1329, & 1333. regerit, & describit Raynaldus, in quibus Apostolicæ Sedis auctoritatem supremo gradu adeo dilucide collocat, atque ab omni prorsus errore tutam adeo luculenter prædicat, ut de germana ejus sententia dubitandi non sit locus.

Benedictus XII. in Diplomate, quod incipit: *Benedictus Deus*, quo visionem beatificam Sanctis, ac purgatis animabus statim post mortem asseruit, subjungens adversam opinionem affictam perperam decessori suo Johanni XXII, de Ecclesiæ Romanæ divinis prærogativis multa præfatur huc non incongrua, viroque frugi non ingrata, inter quæ notabiliora ista: *Deus Romanam Ecclesiam in Ecclesiarum omnium Caput erexit dicente Domino*: Tu es Petrus &c. *Sua miseratione non deserit, . . . sed custodit: quatenus in se stabilis maneat fundata supra firmam Petram . . . Pro qua* (Ecclesia), *ut in se ipsa subsistens alios confirmaret, passionis suæ tempore Salvator noster Jesus Christus Patrem exorasse perhibetur dicens*: Simon, Simon &c. Ego autem pro te rogavi &c. Mirari subit sane verba hæc apertissima a Bossuetio nihili fieri: sed ipsius potius apinas flocci, naucique pendendas fore opportuniori in loco, ubi objecta Johanni XXII. dispungenda erunt, operæ pretium erit ostendere. Alterum Apostolicæ Sedis privilegium adstruit idem Pontifex relatus extra de elect. lib. 1. tit. 3. verbis illis: *S. Romana Ecclesia, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet Principatum a Deo,*

utpote Mater universorum Christifidelium, & Magistra, quatuor Patriarchales Sedes instituit, inter quas, post ipsam Romanam Ecclesiam, Constantinopolitanam primam, Alexandrinam &c.; ipsasque multis prærogativis, & honoribus decoravit. Quibus consentanea tradit in litteris ad Alanorum Principes, ad Tartarorum Episcopos &c., atque ad Armenorum Regem, & Patriarcham, quas exhibet Raynaldus ad annum 1338. n. 77; 1340. n. 74; & 1344. n. 45, & seqq.

Eodem spectabant, eodemque consilio suggerebantur, quæ Clemens VI. in litteris ad Consolatorem Armeniæ Catholicum anno 1351, explicatissimam Pontificii Primatus, adnexorumque Apostolicæ Sedi privilegiorum professionem ab eo exigens, scribebat; cujus professionis, apud Raynaldum perlegendae ad præcitatum annum n.2. & seqq., hæc summa. S.Petrum a Christo Domino plenissimam jurisdictionem accepisse; ejus ceteris Apostolis particula dumtaxat facta; eaque lege affecta, ut S. Petri auctoritati obnoxia esset. S. Petro in hacce plenitudine auctoritatis velut ex asse succedere Romanos Pontifices, eamdemque exercere indistinctim in Ecclesiam omnem, qua late patet Orbis. S.Petro non modo succedere, sed Christi Domini in vices subingredi Pontificem, ejusque potestate agere, quæcumque peragat. Pertinere perinde ad eum judicium ferre de omnibus, nemini vero licere ipsum in judicium accersere; neque ab ipsius judicio appellare fas esse. In potestate ipsius esse positum Ecclesiasticas dignitates amplificare, transferre, ac diminuere: ab eisdem detrudere, aut detrusos redintegrare. Pontificiam dignitatem laicæ cujcumque Imperiali, aut Regali quoad *institutionem, correctionem, & destitutionem* obnoxiam nullo esse modo. Ab uno Pontifice canones generales procudi posse, Indulgentiasque plenarias elargiri. In Romanam Ecclesiam rebelles, aut ab ea extorres extra salutem esse. Circa Sacramentorum administrationem diversos ritus indulgere Pontificis unius esse, ac præscribere: qui autem in Romana Ecclesia receptos colunt, approbam rem agere procul dubio, neque coargui absque piaculo posse. *Solum Romanum Pontificem dubiis emergentibus circa fidem Catholicam posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhærendum,*

rendum, finem imponere: & esse verum, & catholicum, quidquid ipse auctoritate Clavium sibi traditarum a Christo (ex Cathedra velut loquuntur) *determinat esse verum: & quod determinat esse falsum, & hæreticum, sit censendum*. Postremo in libris veteris, ac novi testamenti a S. Romana Ecclesia traditis veritatem indubiam, ac divinam contineri. Post quæ tam expressa, quis non miretur præfidentiam quammaximam, qua Natalis hist. Eccles. ad sæcul. XIII, & XIV. cap. 2. art. 4. ex illis capitulis 5, 8, & 13. intelligi, accipique jubet, salvis attamen tum Concilii generalis suprema potestate; tum Episcoporum a Christo Domino immediate derivata auctoritate: volens decretis circa fidei dogmata a Pontifice adornatis accedere Ecclesiæ assensum debere. Næ articulis a Clemente VI. exhibitis manifestam vim infert, inque aversum a Pontificis mente sensum inflectit: quippe qui articulos ab se propositos ab Armenis accipi plane juxta communem, & obvium sensum volebat, ac proinde juxta communem Ecclesiæ sensum illos fuisse exaratos oportet: videlicet juxta quod S. Gelasius P. M. jampridem in epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ de Concilii Chalcedonensis decretis scripserat: *Sicut id, quod prima Sedes non probavit, constare non potuit; sic quod illa censuit, Ecclesia tota suscepit*. Eodem sensu, quo ad Armenorum Catholicum hæc perscribebat Clemens VI, præconcepta fuerant, quæ ad Græcorum Patriarcham, & Episcopos anno 1343. perlegenda apud Raynaldum ad eumdem annum n. 17, & seqq; exaraverat: quam pariter in rem conferunt quam maxime litteræ ab eodem anno 1351, quas n. 20. regerit Raynaldus, ad Dyrrachinum, Ragusinum, & Traguriensem Antistites nuncupatæ, quibus ut orthodoxam fidem, Romanæque Ecclesiæ rem apud Rascios, Albanos, & Sclavos curarent diligentissime, & procurarent, auctorem se præbebat. Quod autem ad protestationem, qua dicta sua omnia Ecclesiæ decretis submisisse fertur, pertinet, exinde pessime obganniendi occasionem arripere Pontificiæ inerrantiæ hostes inferendi Pontificem ejusdemmet testimonio errare posse, opportuniori in loco ostendetur. Interea relegere juvabit Raynaldum ad annum 1351. n. 38; ubi objectioni isti occurrit, omnemque oblatrandi ansam Novatoribus eripit.

Majorem lucem, mutuamque his afferunt, & hinc accipiunt, quæ Innocentius VI. pio zelo incensus eodem ipso, qui Prædecessores suos pervaserat, redintegrandi ad unitatem cum Romana Ecclesiam Orientalem, expressit in epistolis tum ad Clerum, populumque Philadelphiensem, quæ tamen eorum culpa effectu caruere: tum ad Johannem Cantacuzenum Græcorum Imperatorem, quem invitans *ad unitatem S. Romanæ, ac universalis Ecclesiæ, & agnitionem Catholicæ fidei, quam*, inquiebat, *Ecclesia ipsa veritatis Magistra, & nescia falsitatis tenet, docet, & prædicat*: tum ad Nersem Archiepiscopum Armenorum, in memoriam ei revocans articulos, quos ad Armenorum Catholicum Consolatorem, Regemque Constantinum Clemens VI. conscripserat: tum ad Stephanum Rasciæ Regem, quem ad consilium de schismate abolendo susceptum perficiendum, atque Ecclesiæ Romanæ gremio se cum gente sua aggregandum incitabat. Quæ vero ad Joannichium Serviæ Metropolitam scripsit, clara sunt adeo, & præclara, quam ullo prætermitti modo possint. *Mediator Dei*, ait, *& hominum Christus Jesus in Petri petra, Romana videlicet, & Catholica, & Apostolica Ecclesia, omnium fidelium Christi Matre, quam solus ipse fundavit, rexit, ac regit, & quæ super cunctas alias orbis Ecclesias obtinet Divinæ dispositione Primatum fidei, cujus idem ipse Christus auctor est, sic solide fundamenta locavit, sicque illam insolubili vinculo, & inseparabili unione copulavit eidem, quod licet multos ab ipsius Ecclesiæ corpore, fallente Diabolo, vel contagiosus hæresis morbus abjecerit, vel scissura damnati schismatis separaverit, ipsius tamen fidei immaculata sinceritas apud eamdem Ecclesiam inseparabiliter permanens, velut granum tritici, quod per abscessum paleæ purgatius remanet, & lux fulgentis syderis, quæ apparet clarior per excussionem offuscantium nebularum, semper purior elucescit*. Pergens deinde provocare eum ad propositum cum Romana unionis redintegrandæ perficiendum concludit: *Qui extra ipsius Ecclesiæ communionem fuerit, est proculdubio extra fidem: & qui extra fidem manserit, divinæ gratiæ particeps esse non poterit; nec adoptionem filiorum recipiet*. Ad præclara hæc, quæ de Pontificis infallibilate habet, faciunt perinde,

quæ

quæ de ipsius potissima, ac suprema potestate idem perhibet in Const. incip. *Sollicitudo pastoralis officii* anno 1353, qua leges, sive pactiones a Cardinalibus in Conclavi sancitas, quas servare juraret quisquis in Pontificem salutari obtingeret, exscindens tanquam contrarias Constitutionibus B. Gregorii X, & Clementis V, a quibus cautum fuerat, ne Cardinales Sede vacante de aliis negotiis, præterquam de Ecclesiæ Romanæ provisione facienda, tractatum instituerent, certis dumtaxat exceptis casibus, inter alia illud prodit: *Temerarium, & insanum apud Catholicos asserere vel sentire: Quod Romanus Pontifex successor Petri, & Vicarius Jesu Christi non sit vocatus, & assumptus in plenitudinem potestatis: quæ profecto apud ipsum non esset, si ex aliorum consensu, arbitrio, vel adminiculo dependeret.*

Urbanum V. urgebat vehementer idem, quod suos intime decessores incesserat, studium Græcanicum schisma excindendi, sanciendæque utriusque Ecclesiæ unionis toties tentatæ, toties que irritæ. Ejus ergo curæ, votisque cessit, & successit tandem, quod posteaquam Johannem Palæologum litteris sollicitasset sæpius, fideique formulam, quam jampridem Michaeli Palæologo Urbanus IV, & Clemens IV, ac postmodum Græcis in Concilio Lugdunensi II. B. Gregorius X. præscripserant, nuncupandam proposuisset, idem Imperator spem, quam profitendæ fecerat, effectu compleverit, Romamque appulsus anno 1369. Pontifice M. coram fidei professionem emiserit, quam dato Diplomate, relato a Bzovio, & Raynaldo, publici juris fecit ad omnem suæ fidei ambiguitatem tollendam declarans suprascriptam fidem se profiteri: *Prout eam veraciter tenet, & fideliter docet, & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia*. Junge ejusdem Pontificis litteras ad Albaniæ Principes; Encyclicas ad universos Christifideles; ad Contarenum Ducem Venetiarum; ad Clerum Constantinopolitanum; ad Græcos universos; ad Magnum Camum Tartarorum; & ad Tartarorum gentem universam, in quibus eadem passim exprefse de Romana Ecclesia prædicat privilegia. Græcis ad gremium Ecclesiæ Romanæ redituris eamdem fidei formulam conscripsit Gregorius XI, quam ad annum 1374. n. 3, & 1369. n. 2. describit Raynaldus: apud quem pariter legendæ prostant ab eodem

dem Pontifice exaratæ litteræ ad Johannem Cantacuzenum Ord. S. Basilii; ad Emanuelem Palæologum Græcorum Imperatorem ad annum 1375. n.2, & seqq; & ad Cretæ Insulæ Episcopos ibidem n.25, quæ quia eodem recidunt demum, eisdemque redundant, atque ad hanc procurandam Ecclesiarum unitatem a Prædecessoribus suis frequens fuerunt conscriptæ, non est cur singillatim describantur. De Martino V. abunde jam dictum, ubi de Concilio Constantiensi part. 1. art. 4, quo loci legendam ejusdem Constitutionem *Inter cunctas* admonui. Juvat loci interea legere etiam ejusdem litteras ad Manuelis Imperatoris Filios anno 1418. inscriptas apud Raynaldum n. 17; nec non Constitutionem incip. *Regnans in sæcula* anno 1426. edita apud eumdem Annalistam n. 1. De Eugenio IV. luculenter etiam actum, ubi de Conciliis Basileensi, & Florentino. Perlegere tamen præstat ejus litteras ad Jacobum Scotiæ Regem anno 1436. 4. Non. Aprilis, quarum exemplar a Raynaldo exhibetur n.30; ad Marcum Tarantasiensem Archiepiscopum suum in Oriente Apocrisarium anno 1437, quas describit n. 14. Raynaldus; Constitutiones *Inscrutabilis* eodem anno die 3. Kal. Jan.; *Cum in sacro* anno eodem 15. Kal. Martii; *Lætentur Cæli* anno 1439. prid. Non. Julii; *Moyses vir Dei* eodem anno pridie Nonas Septemb.; *Quemadmodum Romana Ecclesia* anno 1440. 5. Kal. Junii; *Exultate Deo, & Cantate Domino* anno 1442. die 10. Kal. Decemb.; *Postquam ad apicem* anno 1443. Kal. Januarii; *Multa, & admirabilia* anno 1444. pridie Kal. Octob.; *Benedictus sit Deus* anno 1445. die 7. Non. Augusti; Litteras demum ad Patriarchas, Episcopos &c. Orientis, quas ad annum 1444. n. 17, & seqq. refert Raynaldus.

Atqui eluserant hactenus pias, enixasque Pontificum curas Græci pro ingenio levissimo, ac versatili a fœdere, quod mox pepigissent, ac scriissent, e vestigio resilientes, turpissimeque ad vetus schisma relapsi. Quare Nicolaus V. Pont. M., postquam in epist. a Constantinum Palæologum Græcorum postremum Imperatorem, in qua de privilegiis Romani Pontificis lucide adeo, ac luculenter differebat, ut quot verba, tot oracula ex afflatu Spiritus Sancti effusa recte affirmaverit auctor Græcus defensionis Concilii Florent. cap. 5. sect. 14, (quem quidem Gennadium Con-

Constantinopolitanum Patriarcham, sive Georgium Scholarium autumant Fabius Benevolentius, & Leo Allatius, eoque nomine inscriptum opus extat in Bibliot. PP. Coloniensi, & alibi legitur; sed verius Josephum Methonensem operis legitimum parentem fuisse probant Matthæus Caryophilus, & Petrus Arcudius, quinimo sibimet ipsum vindicat idem Josephus in responsione ad libellum Marci Ephesini apud Labbeum tom.13. pag. 707;)postquam, inquam, nihil prætermisisset eorum, quibus Græcos ad frugem, atque ad receptionem decretorum Concilii Florentini adduceret, in obstinationis pœnam, contemptusque Pontificiæ admonitionis, Imperii, Urbisque excidium vaticinatus est. Tantum autem abfuit, ut Pontifici sive admonenti, sive vaticinanti auscultare Græci voluerint, ut imo eam epistolam, datis ad Bohemos Hussitas litteris, conviciis lacessiverint, hæreticosque illos sint adhortati, ut secum una in sententia manentes nihili facerent omnino Florentini Concilii decreta. Adeundi Spondanus ad annum 1451, & Pagius in Nicolao V. Quæ Græcis insinuare curaverant Prædecessores, eadem Apostolicæ Sedis privilegia ab invidia, quam ex Latinis plerique conflare non erubescebant, liberare debuit Callistus III: qui propterea in epistola ad Fridericum III. Imperatorem, quæ apud Æneam Sylvium est 371, qua refellit Germanorum querelas de pecuniarum extorsionibus, quasi eas in usus suos, non in sacram contra Turcas expeditionem, jussisset, ac insumeret, dignitatem suam dicteriis ab iis impetitam, hisce redimit, ac in tuto collocat. *Nota est omnibus Apostolicæ Sedis auctoritas: manifesta cuique primæ Sedis dignitas: vulgata per Orbem Vicarii Dei potestas, cui dictum est a Domino*: Pasce oves meas. *Nec hujus, aut illius Provinciæ, sed universi Orbis Præsulatum in Apostolicæ Sedis specula consequuti sumus*. Quæ qui tenet, percipit probe a Christo Domino vices suas gerentis in terris Pontificis auctoritatem eo gradu positam, quo non esset superior, e quove parendi sibi omnibus per Orbem necessitatem imponeret.

Pius II, de quo plurima jam par. 1. art. 4. in proleg., præperquamquod, dum adhuc Æneæ Sylvii nomine audiret, ingenio, animoque huc incumbens, ut decessorem calumniis appeti-

tum

tum defenderet, in epist. 338, & 369. ad Martinum Meyer id consilii arripuit, ut Apostolicam Sedem eo dignitatis, auctoritatisque fastigio constitutam demonstraret, unde ejaculatas in se calumnias despiceret, Pontifex inauguratus ea præstitit, quibus liquido commonstraret, quo demum loco Apostolica Sedes esset habenda. Enim vero Constitutione *Execrabilis* anno 1459. edita appellationes omnes a Pontifice ad Concilium proscripsit, multaque ignominiæ nota affecit. In epistola 374. ad Martinum Meyer, quam exhibet Raynaldus ad annum 1459. n.39, & seqq., diffusius, ac dilucidius prosequutus fuerat, quæ hic perstringit, in medium productis ex SS. Innocentio I, Gelasio I, Symmacho, Johanne I, Stephano IV, Nicolao I, &c. nitidissimis testimoniis ostendens a Concilio potius ad Pontificem, tanquam ab inferiori ad superius tribunal appellare fas esse, nefas autem posthabito Pontifice ad Concilium appellationem appellere. *Gelasius*, inquit inter alia ibidem, *Sacros Canones ait sanxisse, ne unquam ab ea Sede appellaretur, neque Concilium excepit; & amplius de Romana Sede, quod illa etiam, quos Synodus inique damnaverat, absolvit. Quo dicto declarat a Synodo ad Papam appellatum fuisse, eoque modo majorem Synodo Papam extitisse*. Ad hæc abunde Constitutione *In minoribus* anno 1463. Rectori, & Universitati Coloniensi inscripta, opinionem, in quam quondam concesserat, de Concilii suprema auctoritate retractans, atque oppositam, veramque sententiam de Pontificis auctoritate supra Concilium induens, tum ex Sacræ Scripturæ expressis locis, tum ex SS. Patrum liquidis testimoniis, tum invictis rationum momentis Pontificis supra Concilium potiori gradu ponit auctoritatem, adeo ut suspicionem omnem ab se sit amolitus. Atque hæc quidem de potestate. Quid autem de Pontificis infallibilitate? Eam in epistola 396. ad Mahometem II. Turcarum Tyrannum, quam describit Raynaldus ad annum 1461. n.44., & seqq., qua Pontifex prolixa, eaque erudita, elegantique oratione de Christianæ Religionis veritate, & Mahometicæ absurditate differit, persuasus fore, ut si semel immanissimi Turcæ istius animum demulcere, & fidei lumine imbuere sibi liceret, a tanta Christianorum clade, cui inhiabat vir ille sanguinum, actutum absterreret, nec non
evo-

evocaret a tanta, cui incumbebat, in Christianæ Religionis subversionem crudelissima conspiratione. Ea igitur in epistola hæc inter alia hancce in rem habebat: *Ad Petrum Vicarium suum inquit Salvator*: Tu es Petrus &c. Rogavi pro te Petre &c. *Prævaluissent portæ Inferi, & defecisset fides Petri, si falsum esset Evangelium, quod sequimur. Sed manet fides magni Pastoris in Ecclesia Romana, quæ nunquam inventa est errasse, neque errabit in æternum: Magistra est enim, & Mater omnium fidelium, & disciplina veritatis.* Quibus quam probis, tam planis Pii verbis, quas Mahometes obtusas præbuit aures, faxint Superi, ne sint ex Catholicis pariter, qui præbere non vereantur. Quæ autem minarum, superbiæque plena rescripsit Turca, quæque præterierunt Bzovium, Raynaldum, Spondanum &c., legat, qui velit, in additionibus Augustini Oldoini ad Ciaconium, ex quo excerptum exhibet Pagius in Pio II; mihi enim properandum aliò est. Potius itaque confer præterea eumdem Pontificem in epist. ad Bosniæ Proceres apud Raynaldum ad annum 1461. n. 136, & seqq; nec non in epist. ad Universos Christifideles de ineunda in Turcas expeditione apud eumdem ad annum 1463.n.29,& seqq., ubi horum multa habet cumulatissima.

In eadem etiam cogitatione, curaque versabatur Sixtus IV. Apostolicæ Sedis auctoritatem vindicandi ab insultibus, quibus impudentissime ab infensis hominibus, infestisque impetebatur. Quare latam ab Alphonso Toletano Archiepiscopo in Petrum Oxonensem in Synodo Complutensi sententiam confirmans, edita anno 1479. Constitutione *Licet*, propositioni inter alias improbæ, qua profligatissimus ille inquiebat: *Romanum Pontificem super his, quæ universalis Ecclesia statuit, dispensare non posse*: ignominiæ dicam inflixit. Explicuit magis, magisque sententiam egregiam suam in Constitutione, quæ incipit: *Cum superiori anno*, qua Venetos a Pontifice ad Concilium provocantes compescebat, cujus exemplar ad annum 1483. Raynaldus, & Berninus tom. 4. hist. hæres. ad sæcul. XV. cap. 11. exhibent, inter alia sic ajens: *Nos attendentes, quod de minoribus ad majores Judices dumtaxat appellare legalis permittit auctoritas; & propterea inhibet ab Imperiali, & præfato Prætorio judicio appellari; & quod non homo,*

sed is dumtaxat, qui solo verbo fecit Cælum, & terram, Apostolicam Sedem, & in ea sedentem prætulit universis etiam Conciliis, quæ ab ea robur accepisse SS. Patrum decreta testantur, & etiam Gelasius Papa Fausto Legato scribens, dum ait: Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad ejus Sedis examen voluere deferri, ab ipsa autem nunquam appellari debere: & ipsam de tota Ecclesia judicare; de ipsius autem judicio nunquam judicari senserunt. *Et dum scribit ad Orientales Episcopos dicens*: Sedem prædictam nulla Synodo præcedente solvendi, quos Synodus inique damnaverat, & damnandi, quos oportuit, nulla existente Synodo, habuisse facultatem. *Testantur etiam quamplurimorum antiquorum Conciliorum epistolæ, in quibus verba illa apponuntur*: Salva in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. *Et quod de iis ... Pius Papa II. in Conventu Mantuano auctoritate Apostolica in perpetuum valitura Constitutione, omnes qualitercumque appellantes a Romano Pontifice Canonum transgressores, & illos .. aliud Caput in Ecclesia Dei, ac imaginarium majus, & sublimius Tribunal confingentes contra Apostolum dicentem*: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod Christus instituit: *hujus Sanctæ Sedis Primatum negare; Ecclesiæ unitatem dividere, non unum solum privilegium eidem Ecclesiæ adimere, sed præcipuam, & principalem dictæ Sedis auctoritatem, quam & vox Christi, & Majorum traditio, & Canonum fulcit auctoritas, penitus subvertere non verentur, præ ceteris detestabiliores esse, & eorum appellationes hujusmodi .. non solum irritas, & inanes, sed fraudulosas, & sacrilegas, & hæreticas esse declaravit.* Quibus ex decessorum suorum, suique met sententia instructis subjungit. *Ex quibus manifeste infertur, quod hujusmodi ... appellatio ... est ipso facto nulla .. .sacrilega, & abhorrenda extitit, & ut ad Tribunal Omnipotentis Dei interposita ... sustineri non potest, nisi alterum de duobus affirment: videlicet vel Omnipotentem ipsum B. Petro Apostolorum Principi, & per eum ejus Successoribus omnimodam potestatem in terris non tradidisse, & aliquid de ea retinuisse: vel quod a Vicario ad eum, cujus vices gerit, cujusque unum, & idem Tribunal est, valeat appellari: quorum primum hæreticum, aliud vero a sacris Canonibus alienum esse nemo ambiget.*

Si

Si desiderare sit his explicatiora, atque efficaciora ad revincendos quotquot, ac retundendos, qui Romani Pontificis potissimum, positumque supra Synodos etiam in terris esse Tribunal aut dubitent adhuc, aut denegent, dicant, sodes, & decernant, qui res non ex animi sententia, sed uno ex veritatis amore metiuntur, quique jura, injuriasque ex æquo, justoque existimant.

In dirimendis fidei controversiis divino præsidio instructum se præbuisse Alexandrum VI. ex eo ostendit Raynaldus ad annum 1501. n. 37. potissimum, quod Ruthenorum Baptisma juxta Græcanicum ritum administratum, sub expressione scilicet tertiæ personæ: *Baptizetur N. servus Jesu Christi &c.*, validum, nec ullo repetendum modo in iis, qui a schismate ad gremium Romanæ Ecclesiæ regrederentur, æque, probeque definivit. Nec eum etiam in fidei orthodoxæ docendæ studio a Decessoribus suis descivisse, neque etiam a sententia decessisse Prædecessoribus itidem probata de Apostolicæ Sedis indefectibili fide, potiorique in Ecclesia potestate exploratum sit ex epistola ad Constantinum Georgianorum Regem legenda apud Raynaldum ad annum 1496. n. 21, & seqq., cui formulam fidei profitendæ eamdem præscribit, quam olim Græcis Eugenius IV. proposuerat, cujus rei hanc ei rationem reddebat: *Quoniam omnibus Christifidelibus expedit pro necessitate salutis æternæ in fide, & obedientia cum sancta Romana Ecclesia convenire, ubi Caput, & Sedem Christus D., & Apostolus Petrus ipsius Vicarius universo Orbi Christiano reliquerunt.* Quandoquidem autem tum quam maxime temporis magno numero hæretici homines, ac præsertim Pichardi ex Waldensium genere profligatissimi Sychophantæ oblatrare non desinebant Ecclesiam Romanam insigni infamia flagrare, pietatis studium in ea restinctum, flagitiorum licentiam solutam, morum disciplinam ad omnem effusam libidinem, fierique perinde inferentes non posse, ut in Ecclesia Romana pura permanserit, quæ fuerat tradita fides a S. Petro, factumque propterea ut se se ab ejusmodi Ecclesia tantis inquinata maculis averterent, præstat inter alios, qui ad hanc procul amovendam injuriam, propulsandamque invidiam operam commodarunt suam, adire

Henricum Institorem egregium Ord. Præd. doctorem ; qui tractatu adornato, cujus specimen exhibet Raynaldus ad annum 1498. n. 25, & seqq., spartam hancce exhausit, hæreticis ansam obloquendi omnem eripuit, aditumque interclusit a Romanæ Ecclesiæ reverentia, obedientiaque resiliendi.

Ad Sæculum XVI, & XVII. nunc excurrendo, Julius II. pulcherrimam supremæ suæ potestatis speciem expressit tum in epist. ad Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem, eumdem sacro ense, ac pileo natalitio Domini veteri Romanæ Ecclesiæ ritu consecrato exornans:(quo de ritu adeundi Christophorus Marcellus lib. 1. Sacr. cœrem. sess. 7. cap. 3; Theophilus Raynaudus de gladio, & pileo sect. 1. §. 3. tom. 10. oper.; Berninus hist. hæres. tom. 4. sæcul. XVI. cap. 9; Pagius in Urbano VI; & Victorellus in addit. ad Ciaconium tom. 2. pag. 624.) tum in diplomate incip. *Cælestis altitudo* ad indictæ se inconscio Pisanæ pseudo-Synodi auctoritatem omnem evertendam edito, absque insigni schismatis flagitio, Apostolica Sede invita, Synodum indici nequire, indictam vero nulla ratione tenere ostendens: tum ac maxime in Constit. incip. *Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ*, hanc ratione habita Pontificis eidem præfecti omnium prorsus errorum expertem prædicans, auctoritateque perinde supra Synodos, Ecclesiamque universam extollens. Ad suffulciendam autem Pontificis adversus Pisanum Conciliabulum auctoritatem sub id temporis operam contulerunt non modicam sive apologetico, & epistolis Angelus Vallis Umbrosæ Anachoreta, sive tractatibus adornatis de auctorit. Papæ, & Concilii Franciscus Poggius, & Thomas de Vio Cajetanus, quorum excerptum recitat ad annos 1511, & 1512. Raynaldus. Contra quidem pseudo-Synodo calamum commodarunt suum, adversusque Julii auctoritatem exacuerunt Decius Jurisconsultus Mediolanensis, Jacobus Almainus Theologus Parisiensis, & Zacharias Ferrerius Vicentinus: sed ii immaniter adeo extra omnem veritatis orbitam excesserunt, ut ab æqui, justique æstimatoribus despicatui habiti sint. Supremam denique manum iniquis adversus dignitatem suam attentatis Julius apposuit diplomate edito, quod incipit: *Sacro approbante Concilio*, quo ex Lateranensis Concilii consen-

sione

sione acta omnia nefaste in Pisana pseudo-Synodo diris cunctis devovit.

A Julio II. incepta prosequens Leo X, perducereque ad exitum exoptans, ut quæ Prædecessori suo de propriæ dignitatis præstantia infixa fuisset persuasio, insitam pariter, intestamque sibi patefaceret, absolutissimaque auctoritate, qua egerat ille, sibi agendum proponens in Constit., quæ incipit: *Divina disponente Clementia* anno 1516. in sess. 11. Concilii Lateran. edita, in hæc effatur: *Primitiva illa Ecclesia in angulari petra a Salvatore nostro Jesu Christo fundata, Apostolorum præconiis elata, Martyrumque sanguine consecrata, & aucta, ubi primum juvante Domino per Orbem terrarum lacertos movere cœpit, provide attendens, quantum oneris humeris impositum haberet, quot oves pascere, quot custodire, ad quot etiam remotissima loca oculos intendere oporteret, divino quodam consilio Parochias instituit, Diæceses distinxit, Episcopos creavit, & Metropolitanos præfecit: ut tanquam membra Capiti obsequentia, cuncta secundum ejus voluntatem salubriter in Domino, & tanquam rivuli a perenni fonte, Romana videlicet Ecclesia, derivantes, ne angulum quidem Dominici agri irrigatum dimitterent.* Postquam autem in hac Constitutione explicuisset concordata cum Francisco I. Galliarum Rege, progressus ad Pragmaticæ Sanctionis abrogationem Constitutione altera, quæ incipit *Pastor æternus* eodem anno, in eodem Concilio, eademque sessione evulgata, hæc præmittit: *Migraturus* (Christus D.) *ex Mundo ad Patrem in soliditate petræ Petrum, ejusque Successores Vicarios suos constituit: quibus ... ita obedire necesse est, ut qui non obedierit, morte moriatur: & alibi legitur: in Ecclesia esse non potest, qui Romani Pontificis Cathedram deserit.* Post quæ pergens ostendere plurimo ex capite dignam, quæ abrogaretur, Pragmaticam sanctionem, ex eoque potissimum, quod Apostolicæ Sedi haud levem afferret injuriam; quove minus abrogaretur, nihil officere Basileensis Concilii auctoritatem subjungens: *Nec illud*, inquit, *movere debet, quod Sanctio ipsa, & in ea contenta in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, a Bituricensi Congregatione recepta, & acceptata fuerunt: quum ea omnia post translationem ejusdem Basileensis*

leenſis Concilii per f. m. Eugenium Papam IV. factam, a Baſileenſi Conciliabulo, ſeu potius Conventicula, quæ præſertim poſt hujuſmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint: quum etiam ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, tanquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſolvendorum plenum jus, & poteſtatem habere, nedum ex S. Scripturæ teſtimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque Canonum decretis; ſed propria etiam eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſte conſtet. Quorum nonnulla ſpecimina ibidem ſubjicit, ad hæc ſubjungens: *Quum de neceſſitate ſalutis exſiſtat omnes Chriſtifideles Romano Pontifici ſubeſſe, prout divinæ Scripturæ, & SS. Patrum teſtimonio edocemur, ac Conſtitutione fel. mem. Bonifacii Papæ VIII., quæ incipit,* Unam Sanctam, *declaratur: pro eorumdem fidelium animarum ſalute, ac Romani Pontificis, & hujus Sanctæ Sedis ſuprema auctoritate, & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ unitate, & poteſtate, Conſtitutionem ipſam, ſacro præſente Concilio approbante, innovamus, & approbamus, ſine tamen præjudicio declarationis S. m. Clementis Papæ V, quæ incipit:* Meruit &c. Satis, ac ſuper hæc quam luculenta, tam liquida haberi poſſent ad evidentem omni ex parte faciendam, quam animo perferret Leo ſententiam: niſi quod feret non ægre lector pro liberali ingenio ex eodem Pontifice indicari adhuc locum inſignem tum ex Conſtitutione *Exurge Domine* adverſus Lutherum, ubi inter alios errores a num. 25. ad 28, quibus profligatiſſimus ille Apoſtolicæ Sedis prærogativas appetebat, proſcribit: tum ex Conſtitutione 45, qua Henricum VIII. Angliæ Regem ob egregium librum de ſeptem ſacramentis adverſus Lutherum adornatum illuſtri defenſoris Eccleſiæ titulo cohoneſtavit; ubi inter alia his auſpicatur: *Nos, qui Petri, quem Chriſtus in Cælum aſcenſurus Vicarium ſuum in terris reliquit, & cui curam gregis ſui commiſit, veri Succeſſores ſumus, & in hac Sancta Sede, a qua omnes dignitates, & tituli emanant, ſedemus &c.* Ex quibus reliqua intelliges probe, quæ ex eodem Pontifice adhuc ſuppeterent.

Horum

Horum simillimis locupletissima habet, luculenterque exagitat Hadrianus VI. in epistola ad Fridericum Saxoniæ Ducem, quam tom. 9. pag. 1901. exhibet Harduinus, & ad annum 1522. n. 73, & seqq. describit Raynaldus, Lutheri, cui ille favorem impendebat, a quo anno 1517. jacta sectæ suæ impiæ fundamenta fuerant, scelera, vitia, schisma, hæresesque suggillans, ubi de perfidissimo illo præstigiatore inter alia scribit: *Non modo Sacerdotes Dei, sed & Principem Sacerdotum, Petri Successorem, Jesu Christi in terris Vicarium tam nefandis, infamibusque nominibus, tam inauditis conviciis, ac blasphemiis nusquam non lacerat, discerpit, & insectatur, ut ea commemorare pudica refugiat lingua, & audire horreant aures castæ. Qui Apostolicam Cathedram, in qua præsedit Caput Apostolorum Petrus; cui præfuerunt tot Sancti Pontifices; quam Ecclesiam principalem, unde sit exorta unitas Sacerdotalis, Sanctus ille, & gloriosus Martyr Cyprianus non dubitat asserere; impio, ac pestilenti ore Cathedram pestilentiæ, antichristianam, diabolicam, & si qua potuit excogitare nefandiora, toties appellare non cessat.* Quis autem tam hebes animo, qui vel paullula facilitate uti velit, probe ex his non perspiciat, quo demum ducatur spiritu, quicumque Apostolicæ Sedis sive dignitatem, sive doctrinam nauci floccique faciat? Quod vero ex Hadriano, dum adhuc doctor singularis audiret, obtrudere nonnulli audent, non hujus dispungere loci est, ac depellere. Launojus sane lib. 4. epist. 7. tom. 5. p. 1. in hujus præ aliis Pontificis laudes effusus, ob id potissimum celebrat, quod *Sacros Canones non sine urgenti, & necessaria caussa relaxare instituit, & Ecclesiam ad eorumdem Canonum institutum regendam suscepit.* Cujusmodi præconium, si fraus non lateat, qua agere ipsi est frequens, mirari subit profectum ab homine sublestissimæ fidei, qui nullam in Pontifices non quærit invidiam. Quemadmodum vero Friderico, ne a Romanæ Ecclesiæ communione ad Lutheri castra se rapi sineret, auctor fuerat Hadrianus, ita Carolo V. Imperatori, Ordinibus Ecclesiasticis in Germania, atque Cæsareis Oratoribus, Apostolicæ Sedis sive dignitati, sive doctrinæ quantum observantiæ, quantumque obedientiæ deferri deberet, insinuare procuravit enixe Paulus III. tum litteris exaratis, tum responsis oretenus datis;

datis ; de quibus adeundus Raynaldus ad annum 1544. n. 7, & 1548. n. 4, & 29.

Julius III. in Const. *Cum ad tollenda* actis Concilii Tridentini inserta sess. 11. consilium agitans de eodem Concilio resumendo, propriæ, quam facile supra Synodum efferebat, potestati ut prospiceret, ad Pontificem pertinere expresse enunciavit *Generalia Concilia indicere, & dirigere*. Nec conjectura aberrabit, qui ex sententia Julii, cum quo consilium omne suum utique communicaverat, profecta habeat, quæ ad Claudium Abyssiniæ Imperatorem exaravit S. Ignatius in litteris, quas ex Maffejo, & Orlandino describit Raynaldus ad annum 1555. n. 8, quem de Romanæ Ecclesiæ religione tenenda, & retinenda, nec non Apostolicæ Sedis summa auctoritate colenda, & recolenda admonens, & adhortans, inter alia de discrimine auctoritatis Apostolos, ac Præsules alios Ecclesiarum inter, & S. Petrum, ac Romanum Pontificem intercedente hæc habet illustria. *Cæteris quidem Apostolis auctoritatem Christus D. noster impertiit delegatam, ac veluti extra ordinem: at S. Petro, ejusque Successoribus ordinariam dedit, ac plenam, uti ab hoc Summo Pastore, tanquam a fonte, reliqui animarum Pastores peterent, eidemque acceptum ferrent, quidquid omnino juris ad suum quisque munus, ac regimen obtinerent. Quod olim adumbrasse per Esaiam videtur Dominus, quum de Eliacim loquens Pontifice Maximo*: Et dabo, *inquit*, Clavem domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat, claudet, & non erit, qui aperiat: *Quo videlicet typo figuratus est Petrus, ejusque Successores, quibus datam integram potestatem declarant Claves, consuetum utique symbolum, & insigne pleni, atque absoluti Dominii*. Ejusmodi auctoritatis exercitium subinde multis confirmat, atque ex confessione tandem Orientalium in Concilio Florentino emissa, nec non ex decreto unionis ibidem ab Eugenio IV. edito, & ab Orientalibus ultrocitroque ambabus ulnis accepto. Conferunt ad hæc confirmanda ad eumdem Claudium Imperatorem a Paulo IV. exaratæ deinde litteræ apud Raynaldum legendæ ad annum 1556. n. 42. Præter enixam, qua Paulus IV. religionem erigere, ac restituere, ubi collaberetur, ac ubi non obtineret, invehere, & amplificare stude-

studebat, operam, ob quam propterea restitutum ipsi in Capitolio simulacrum inscripsit Clemens XI: *Scelerum Vindici integerrimo: Catholicæ fidei acerrimo Propugnatori*; emicuit potissimum ejus de potestatis suæ amplitudine, ac in fide firmitate sententia in Const. 13. incipiente *Ineffabilis* anno 1558. edita, qua restituens festivitatem Cathedræ Romanæ S. Petri, verba S. Leonis M. propria facit, & a S. Petro fundatam Romanam Ecclesiam ideo ait: *Ut ubi Caput superstitionis erat, illic Caput existeret Sanctitatis: & quæ prius erat Magistra erroris, fieret Magistra veritatis, ... & per sacram B. Petri Cathedram ipsa Urbs Caput Orbis effecta latius præsideret Religione divina, quam antea præsedisset dominatione terrena*. Legenda quoque ipsius Constitutio 19, quæ incipit: *Quum ex Apostolatus officio*, horum simillimis refertissima.

Pro ea, qua Pius IV. distinebatur cura, ac discruciabatur rem christianam ad exitium pronam redintegrandi, Consistorio 4. Septembr. anno 1560. celebrato id inter alia cautum summopere voluit, ut Apostolica Sedes eo auctoritatis summo loco staret, quo eam in Concilio Florentino Eugenius IV. egregie statuerat: persuasus scilicet religioni optime rem omnem cessuram, si qui religioni præest, Romanus Pontifex, quo par esset, honore haberetur. Perinde in partes operæ, curæque undequaque accersens Ecclesiarum Antistites, hinc Gallos præsertim ad grassantes errores excindendos ut vires omnes conferrent, excitavit: illinc alios ubique omnes ad Concilium Tridentinum invitavit, in quo demum communi collato consilio de medio decerneretur exundantem hæresum colluviem tollendi, aut coercendi. Id autem obiter heic observasse non distædeat, quod quam tum temporis in transversum incessit Claudius Espencæus, in eam se abripi sententiam, ad eumque se allidi scopulum incautus sinens, in quem incidebant Adiaphoristæ, sive Indifferentes, quibus plane obnixa Pontificis sollicitudo ad Romanæ Ecclesiæ unitatem reducendi segreges admodum ingrata accidebat, persuasus pariter, sicut ipsemet scribit in epistolis tum ad Michaelem Hospitalium, tum ad Odettum Castillionæum, homines hoc est ad Calvinianas partes pronos, grave, rigidumque ob religionis caussam negotium hæreticis facere nec expedire, nec conferre,

ſed quadam συγκατάβασῃ, ſive œconomia magis utendum, atque obſecundandum, donec adverſa, diverſaque pars accommodaret ſe ſe, quo putandi modo profecto vel nolens perduelles confirmabat in præconcepta nimiæ ſeveritatis, a qua tamen abhorrebat quam maxime, Pontificem accuſandi audacia, quam immaniter, inquam, abs vero aberrabat ille, tam ad rectum accedebat tramitem Gerardus Rambaldus Epiſcopus Civitatenſis, dum confutandas adorſus conditiones, quibus hæretici pacem, fœduſque confici tandem poſse mentiebantur, lib. 1. confutat., cujùs excerptum ex Ms. Vatic. ad annum 1560. num. 60. Raynaldus exhibet, hæreticos tum obgannientes nec Concilium a Papa indici, nec Papam Concilio præeſse debere, objurgabat, profligabat, oſtendebatque tum ex Sacræ Scripturæ teſtimoniis, præſertim Oſeæ 1, 11; Matth. 15, 18; & Johan. 21, 18; tum ex SS. Patrum traditione, ac potiſſimum Cypriani, Auguſtini, Hieronymi, & Chryſoſtomi; tum Conciliorum ſive auctoritate, ſicuti Nicæni, & Chalcedonenſis; ſive exemplo, ſicuti Ariminenſis, oportere omnino, ut Concilia Apoſtolicæ Sedis judicio decernantur, indicenturque, quæ legitima, ut recipiantur, & quæ illegitima, ut reſpuantur: ideoque Apoſtolicam Sedem auctoritate antecellere. Confirmabant hæc omnia, quæ obtrudentibus hæreticis Concilium non a Pontifice, ſed ab Imperatore fuiſſe indicendum, rependebat Gaſpar Cardilius uni Pontifici id juris vindicans, quo de argumento paullo poſt. Quamquam, ut quæ Pontifici de propriis juribus, ac prærogativis intime inſita eſſet ſententia, explorata evadat, non opus eſt conjecturis augurari, quum luculenta, ac liquida adpareat ex litteris tum ad Nicolaum Frydum Archiepiſcopum Nachiſivanenſem in Armenia majori; tum ad Neemam Patriarcham Jacobitarum deſcriptis a Raynaldo ad annum 1562. n. 30, & ſeq. Ad hanc attamen illuſtrandam magis operam non modicam conferunt, quæ fuſe, ubi de Tridentino Concilio, ſunt diſputata: quibuſque plurimam adhuc lucem afferent, quæ Gallis nonnullis moroſioribus intercedentibus, ne Canoni 8. ſeſſ. 7. Pontifex poteſtate præditus *in Eccleſiam univerſam* insereretur, ex Pontificis, Legatorum, Epiſcoporum, ac Theologorum ſententia repoſita fuiſſe refert apud

apud Raynaldum ad annum 1563.n.8,& seqq.Gabriel Palæottus. Atque quidem quod ad Legatos attinet, eximium, quo afficiebantur Pontificis *in Ecclesiam universam* auctoritatem loco stabiliendi suo, studium enicuit in scheda ad Ferdinandum Imperatorem transmissa, ubi ex Matth. 16, & Johan. ult.; ex Conciliis Chalcedonensi act.4,& 16;Lugdunensi I.C.*Ubi periculum*;Alexandrino sub S.Athanasio in epist. ad S.Julium; Constantiensi sess.40, & in censura art.40.Wicleffiani; Basileensi sub initium, sess.12, & in resp. Synodali; Florentino in decreto unionis, & Lateranensi ultimo sess. 5.sub Julio II, & sess. 6. sub Leone X.; ex Pontificibus MM. Julio I. in epist. ad Orient.; Gregorio II. in Synodo Romana anno 724; Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi; Julio II, & Leone X. locis indicatis; ex SS. Cypriano lib.5. epist. 2. ad S. Cornelium; Chrysostomo in cap. 16. Matth.; Ambrosio in 1. Timoth. 1; Johanne Damasceno in Lucæ 7; Anselmo Cantuariensi in epist.ad Urbanum II; Bernardo lib.2.de consid. cap.6, & Thoma Aquinate lib. advers. Græcorum errores cap. 63, & lib. 4. contra Gentiles cap. 76. conceptis verbis Pontificis potestatem in universam Ecclesiam comprobant. Confer Baronium ad annos 587. n. 8, & seqq; 595. n. 32, & seqq; & 785. n. 30, & seqq. Neque in hacce provincia exornanda impares præbuerunt se se præ aliis Patriarcha Hierosolymitanus, Archiepiscopi, & Episcopi Hydruntinus, Rossanensis, Tarentinus, Rheginensis, Lancianensis, Mutinensis, Albiganensis, Senogalliensis, Vestanus, Neocastrensis, Parmensis, Vintimilliensis &c. Neque ex Theologis, ac Jurisperitis operam desiderari suam permisere inter alios Gabriel Palæottus, Scipio Lancellotus, Johannes Baptista Castellius, Didacus Payua, Cornelius Melchior, Jacobus Lainius &c., de quibus adeundus Raynaldus ad annum 1563. n. 9, 11, 100, 119, & seq. Confer denique Pii IV. litteras ad Patriarcham Ninives; nec non confessionem fidei eidem Pontifici Michaelis Patriarchæ Armenorum nomine nuncupata ab Abagaro apud Raynaldum ad annum 1564. n. 51, & seq.

Ut pulcherrimam, qua se tum summopere potem reputabat, amplissimæ potestatis ingereret speciem, S. Pius V. in Constitutione 88.incipiente *Romanus Pontifex* anno 1569. edita, qua

R 2 vesti-

vestigiis innixus Alexandri III, Innocentii III, & Pauli IV, a quibus Portugaliæ, Bulgariæ, & Blachiæ, Hiberniæ, & Bohemiæ Reges fuerant inaugurati, Cosmum Medicæum Etruriæ Magnum Ducem ab se constitutum decrevit: tum in Constitutione 101. anno 1570. evulgata, ac incipiente: *Regnans in excelsis*, qua Elisabetham prætensam Angliæ Reginam ab Ecclesia ejecit, Regnoque exuit, quo multo ex capite immerita erat, Romanum Pontificem, utpote Christi Domini Vicarium, super gentes, & regna Principem constitutum affirmat, qui evellat, & destruat, dissipet, & disperdat, plantet, & ædificet. De altero vero inerrantiæ dono Apostolicæ Sedi a Christo Domino collato testis accedit locuples Gregorius XIII. in litteris repetitis ad Patriarchas Nestorianorum Angamalæ, Jacobitarum Nehemen, Chaldæorum Simeonem Dense; atque ad Reges Coccini, Bungi, Japoniæque alios apud Victorellum in addit. ad Ciacconium. Sed & Sixtus V. pectoris adamantini Pontifex, propriæque auctoritatis vindex acerrimus, retinentissimusque ad exprimendum summum, quod distringebat, jus sive in Henricum IV. Navarræ Regem Constitutione *Ab immenso*, quem dira excommunicatione devinxit, ac Regno dejecit, sive in Elisabetham Reginam Angliæ, quam ab Ecclesia extorrem, ac regno imparem denunciavit, quæ S. Pius usurpaverat ex Hieremia verba, propria eadem fecit. Juvat etiam intueri auctoritatis supremæ ab eodem exercitæ egregium specimen in Constitutione *Romanus Pontifex*, qua Ecclesiarum Antistites de antiquo usu invisendi statis temporibus Apostolorum limina admonet, Romanumque Pontificem de pastorali officio ab ipsis præstito certiorem faciendi, ad quem ut se deinceps componerent jubet, ac mandata Apostolicæ Sedis adimpleturos se jurarent: cujus officii ab se ipsis impositi eam esse rationem scirent, quod Romano Pontifici a Christo Domino ea potestas in Ecclesia tributa sit, qua veluti in vinea alia evellat, & plantet, alia destruat, & ædificet, ut expedire viderit. Non moror autem, quæ tum ab Othomanno, & Bellojo conficta, commenta, ac calumnias, quæ conflatæ fuerunt: nam iis, qui tum occurrerent, viri doctrina, pietateque præstantes non defuerunt. Pergam potius perstringere, carptimque complecti, ut dicendi tandem

dem fiat modus, quæ cæteroquin vel copiosa vix oratione comprehendi posſent. Atque in his præ aliis, quæ habet Clemens VIII. in litteris ad Gabrielem Alexandrinum Patriarcham, cujus legationis acta legere eſt apud Baronium ad calcem tom. 6; in oratione ad Ruthenorum Oratores ejus nomine a Sylvio Antoniano recitata, quam Baronius in append. tom. 7. regerit, ac in allocutione ad eoſdem habita mox, atque fidei profeſſionem ab eorumdem ore excepiſſet. Quæ Paulus V. in litteris ad Catholicos Angliæ anno 1606. 10. Kal. Octob., & 1607. 10. Kal. Septemb., quibus juramenti formulam a Jacobo Angliæ Rege propoſitam prohibebat; ac in fidei inſtructione ad Eliam Neſtorianorum in Chaldæa Sacris præfectum exarata, quam Synodo anno 1616. Amidæ celebrata una cum ſubjectis ſibi Epiſcopis amplexatus eſt: quibus de geſtis agit diligenter Petrus Strozza, qui Paulo V. tum a ſecretis epiſtolis erat. Perſimilem fidei formulam profitendæ Armenis, & Maronitis præſcripſit idem Pontifex, cujus perlegenda Conſtitutio 77. ea de re edita. Quæ, ut verbo dicam, dixi enim uberius alibi, Urbanus VIII, Innocentius X, Alexander VII, Clemens X, Ven. Innocentius XI, eorumque ſucceſſores ſuorum deceſſorum inhærentes veſtigiis decreverunt, egeruntque cum iis, qui ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam, cum erroribus ſchiſmate ejurato, redintegrarent ſe ſe, Syris, Chaldæis, Jacobitis, Neſtorianis, nec non Armenis, & Maronitis.

Poſtremo Alexander VIII, in quo deſino, Apoſtolicæ Sedis oſoribus Pontificem Concilio poteſtate inferiorem faciendi, ac in fide infallibilem inficiandi audaciam eripuit, diſputandique finem proculdubio fecit, dum anno 1690. die 7. Decembris edito Decreto, quo propoſitionibus 31. ad unam omnibus plurimas infamiæ notas inflixit, prohibens, ne quis illas conjunctim, aut diviſim docere, defendere, edere, aut de eis diſputare etiam, ac privatim etſi pertractare, niſi forſitan impugnando, deinceps præſumeret, hanc pariter undetrigeſimam proſcripſit eadem lege: *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate*. Poſthac igitur deerit Pontificiæ auctoritatis, infallibilitatiſque adverſariis effugium illud toties quæ-

quæsitum, arreptumque, propositionem hanc a Pontificibus MM. fuisse nunquam proscriptam. Junge etiam Constitutionem *Inter multiplices*, eodem anno die 4. Augusti adornatam, qua idem Pontifex quatuor articulos a Clero Gallicano in Comitiis Parisiis anno 1682. celebratis elucubratos devovit, de quibus copiose p. 1. art. 11. §. 2. actum est: nec non Innocentii XII. allocutionem ad Cardinalium Consistorium anno 1693. die 26. Octob. habitam, de qua pariter ibidem abunde, opinor, fuit dictum. Unum adjiciam propositiones equidem illas non defuisse, qui pro insigni temeritate defendere adhuc auderet, Ludovicum Maimburgum tractatu edito hist. de statu, & prærogativis Romanæ Ecclesiæ. Verumtamen præterquam quod liber iste nigro Romæ carbone fuit notatus; ac in Gallia ab Auctore anonymo gallici opusculi: *De la Puissance de l'Eglise, ou reponse au traité historique de M. Maimbourg*, multum reprehensionis subiit, plurimo ex capite propositiones illæ a pluribus alibi prælaudatis vexatæ sunt, ac signatim ceu contrariæ Ecclesiæ communi sensui virgula censoria inustæ a Sacra Lovaniensi Facultate. Consulito librum, cui titulus: *Disquisitio Theologico-juridica super declaratione Cleri Gallicani facta Parisiis die 19. Martii anno 1691.* Nec non librum alterum sub hac epigraphe evulgatum: *Doctrina, quam de Primatu, auctoritate, & infallibilitate Romani Pontificis tradiderunt Lovanienses Magistri &c.*

Quæ quum ita se habeant, ac prætermissis aliis plerisque, quæ immensum foret referre, quæ proferre adhuc ex Pontificibus aliis clara, præclaraque loca præsto esset, ac pronum, instaurare sic nunc argumentum juvat. Atque 1. ex regula a Tertulliano tradita lib. de præscript. cap. 22., ubi de dogmatibus disserens ab Apostolis Ecclesiis traditis: *Itaque*, inquit, *tot, ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes... Hinc igitur dirigimus præscriptionem: Si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos Prædicatores, quam quos Christus instituit... Quid autem prædicaverint, id est quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt... Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam,*

nam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, Matricibus, & Originalibus conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero Doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. Juxta hæc itaque si constat a S.Petro Romanam Ecclesiam institutam; ac Romanæ Ecclesiæ doctrinam a Christo Domino ipsi revelatam a S. Petro traditam: si constat S. Petro Romanos Pontifices in Ecclesia Romana velut ex asse successisse; eamdemque a S. Petro acceptam doctrinam Pontifices Romanos universæ Ecclesiæ integram transdedisse, constat perinde doctrinam omnem, quæ cum Ecclesia Romana conspirat, veram dubitatione procul omni esse: atqui doctrina nostra de Romani Pontificis supra Concilium præstantia, atque in fide infallibilitate conspirat approbe cum doctrina, quam Romani Pontifices a prisca ad hanc usque postremam ætatem tradidere, quamque illi profecto a S. Petro commendatam hactenus custodiere, ac proinde a Christo Domino S. Petro revelatam fuisse oportet: igitur constat doctrinam hancce veritati esse deputandam, doctrinam vero huic adversam a veritate jam fuisse proscriptam.

Atqui 2. argumentum instruere est etiam ex altera haud minus illustri regula, quam Vincentius Lirinensis Commonit. cap. 26. tradit illis verbis: *Vitanda est Novitas; tenenda est Antiquitas: profana est Novitas; sacrata est Vetustas:* quam quidem regulam sequentibus confirmat, ac 1. his, quæ cap. 4. habet: *Quid quid non unus, aut duo tantum, sed omnes (Magistri probabiles) uno, eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.* Jam vero Pontificem Romanum in fide prorsus infallibilem, Concilioque potestate superiorem aperte, frequenter, perseveranter tenuere, scripsere, docuere Magistri in Ecclesia non modo probabiles, sed omnium probabilissimi, nempe Romani ipsi Pontifices: itaque id absque ulla dubitatione credendum: nam ita credendum jubet Antiquitas, contrarium invexit Novitas. Regulam eamdem 2. magis, magisque comprobare pergens exemplo S. Stephani Papæ iterationi

tioni baptismatis obsistenti subinfert: *Neque hoc sane novum, siquidem mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosor, eo promptius novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia: sed unum aliquod, & hoc ab Apostolica potissimum Sede sumamus, ut omnes luce clarius videant, Beatorum Apostolorum beata successio quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione defendit susceptæ semel Religionis integritatem*. Narrat deinde ab Agrippino inductam novam de rebaptizandis hæreticis opinionem, ei vero obnixe restitisse S. Stephanum illis verbis: *Nihil novandum, nisi quod traditum est*: exinde subjungens: *Intelligebat enim vir Sanctus ... nos Religionem, non qua vellemus ducere, sed potius, qua illa duceret, sequi oportere: idque esse proprium Christianæ modestiæ, & gravitatis, non sua posteris traducere, sed a Majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus, & solitus: retenta est scilicet Antiquitas, explosa Novitas*. Atqui Romanum Pontificem a fide non posse deficere, ac potestate Concilio præpollere a Pontificibus semper traditum est; id antiquitas tenuit; id posteris est traductum: igitur circa id nihil innovandum; eique adversum omne uti novum explodendum omnino est. Age modo dicta factis comprobemus, quorum certe quidem ingens supra modum moles per omnia excurrere non sinit, sed per me saltem liceat præcipua delibare, atque in ordinem digesta sequentibus articulis subjicere, ut qui Romanorum Pontificum gesta perlustrandi facile in se provinciam suscipere non valent, aut nolunt, perspectum habeant, positumque veluti sub oculos in hoc specimine a Romanis Pontificibus nihil unquam antiquius, sacratiusque habitum, quam ut Sedis Apostolicæ suprema, amplissimaque jura servarent integra, & sarta tectaque exercerent. Ex quibus illud quoque optime inferri licebit, ac planissimum fiet, illos quidem suprema in Ecclesia, ac supra Oecumenica Concilia præditos esse potestate, atque in fide perinde omnino esse nescios falli, aut fallere.

Ex

Ex jure Pontificis in Concilia.

ARTICULUS II.

De iis generatim, quæ jure Divino, & Canonico soli sunt Romano Pontifici reservata.

PROLEGOMENON.

QUÆ ex pollicitationibus a Christo Domino S. Petro factis, atque perinde Romano Pontifici facta sunt propria, originem trahunt, tot, tam diversa, ac in tanto discrimine posita sunt, ut comprehendi vel numero nequeant, adeoque ut Jurisperitos inter ipsos neque conveniat, aliis plura, aliis pauciora enumerantibus eorum, quæ jure divino, aut ecclesiastico Romano Pontifici dumtaxat reservantur. Glossa in Cap. 1, & in Cap. *Quod translationem de transl. Episcop.*; atque in Cap. *Sicut unire de excessibus Prælat.* undecim recenset: Reynerus 24: Hostiensis 60: Azorius 85; alii plura oppido, ac pauca alii. Peculiaria, & præcipua sunt sequentia: ac principio Pontificem pro suprema potestate in omni jure humano dispensare posse, ac Canones temperare, qui cum divino non pugnent jure, liquido adparet ex Cap. *Licet 2. de Præb.* in *6.*; & *Clement. 1. Ut lite pendente*; & Cap. *Proposuit 4. de Concess. Præbend.*; junctis S. Gelasio I. in epist. 1., & 4; S. Gregorio M. lib. 6. epist. 19, 31, & 123; & lib. 12. epist. 31; S. Nicolao I. in epist. 7; Hadriano II. in epist. ad Basilium Imperat.; Innocentio III. in epist. ad Episcopum Bamberg.; Glossa in Cap. *Ubi periculum de elect.* in *6*; ac Interpretibus in Cap. *Significasti de elect.*, & in Cap. *Sicut Sancti* dist. 15. Quinimo licet non directe, indirecte tamen, veluti ajunt, in jure divino, ac naturali dispensare posse, declarando eo in casu jus divinum, aut naturale locum non habere, liquet ex doctrina Innocentii III. lib. 16. epist. 154; S. Bernardi lib. 3. de Consid. cap. 8; S. Thomæ 1. 2. quæst. 94. art. 5, & 2. 2. quæst. 54. art. 5; S. Antonini p. 2. tit. 17. §. 20; B. Angeli a Clavasio V. *Papa*; Barbosæ juris

Eccles. lib. 1. cap. 2; Valentiæ tom. 2. disput. 7. q. 4. puncto 5.; Silvestri V. *Papa*, ac Theologorum communiter, & Canonistarum. Pontificem ideo potestate supra Canones potem, nec eorum intra orbitam ipsius cohiberi jus certo certius est ex Cap. *Si Papa* dist. 40; Cap. *Nunc autem* dist. 21; & Cap. *Satis* dist. 96: quibus adstipulantur Doctores S. Johannes a Capistrano de auctor. Papæ §. 3; Bzovius de Pontif. cap. 15; Barbosa loco indicato; Sanderus lib. 5. de visib. Monarch. cap. 5; Bellarminus lib. 1; aliique. Pontificem Romanum proinde nullius in terris judicio, ac tribunali obnoxium esse Cap. *Aliorum 9.* quæst. 4., Cap. *In nomine Domini* dist. 23. ex Nicolao II. in Synodo Romana; & Cap. *Oportebat* dist. 79. ex Stephano III. in Romana Synodo, quam antehac non multo ex antiquissimo Codice Veronensi 900. annorum in lucem edidit Vir Clariss. Cajetanus Cennius, doctissimaque illustravit dissertatione.

Ad Pontificem (2.) dumtaxat pertinere Episcopos ordinare, aut ad hasce ordinationes peragendas facultatem aliis impertiri, plane liquet ex epistolis S. Siricii 4, S. Innocentii I. epist. 91. inter Augustin., S. Gregorii M. lib. 2. epist. 30, & S. Martini I. epist. 11. Ab una ad aliam Ecclesiam Episcopos transferre Cap. *Quod translationem*; Cap. *Mutationes*; Cap. *Cum ex illo*; & Cap. *Inter corporalia de translat.* Episcopos e gradu dejicere ex S. Leone IX. epist. 4; Cap. *Quamvis*, & Cap. *Dudum* 3. q. 5, & 6. Episcopales Cathedras erigere Cap. *Felix*; Cap. *Præcipimus* 16. q. 1. Episcopales Cathedras unire, commutare, sejungere Cap. *Quod translationem*, Cap. 1, & Cap. *Inter corporalia de translat.* 3. Pontificis dumtaxat est mutare, solvere, aut redimere vota castitatis perpetuæ, & Hierosolymitanæ peregrinationis Cap. *Quod super his*, & Cap. *Ex multa de Voto*. Vota quoque Religionis, (cujusmodi celebrata sunt exempla Ramiri, Casimiri, Belæ, Alphonsi, Veremundi, Theodorici, Simeonis Bulgari, alterius Casimiri, Francisci Jojosæi &c., cum quibus dispensatum legitur, ut e Religione ad Principatum commigrarent:) peregrinationis item ad limina Apostolorum, & ad S. Jacobum Compostellam Constit. Sixti IV. extravag. *Etsi dominici de Pœnit., & remiss.* 4. Pontificis solius est aliquos a jure, & potestate Episcoporum exci-

excipere, seu eximere Glossa in Cap. *Frater* 16. q. 1, & Cap. 1. *de Privileg. in 6.* Episcopos ab Archiepiscopo eximere Cap. *Frater* 16. q. 1. 5. Caussæ majores solo Pontifici reservantur Cap. 1. *de Translat.*; Cap. *Majores de Baptismo*; Cap. 1. *de Juramento*: Inter has sunt dubia fidei; S. Scripturæ interpretationes; juris Canonici, vel Divini declarationes; de Sacramentorum materia, forma, & Ministro judicia 24. q. 1. Cap. *Quoties*. 6. Solius est Pontificis legitimis naturalibus restituere in iis, quæ ad spiritualia spectant Cap. *Per venerabilem*, *qui filii sint legitimi*; & Cap. *Innotuit* 20. *de elect.* Quid imo, quod Pontificem illegitimos posse litteris legitimationis cohonestare, & ad honores, ac laicas dignitates idoneos declarare, exempla non desunt, quæ confirment? Clementis IV, a quo Filii Alphonsi III. Portugalliæ Regis ex Beatrice pellice suscepti ad Regnum Lusitaniæ habiles dicti sunt: Innocentii III, qui Philippi Augusti Francorum Regis Filios legitimo ad succedendum in Regno jure affecit: Innocentii IV, a quo natalis illegitimi macula absterfus Jaquinus Daniæ Rex ideo est, ut Thronum conscendere idonee posset: & Pii II, qui Ferdinandum Alphonsi I. Aragoniæ Regis nothum ad Regnum Neapolitanum adspirantem ex defectu natalium haud imparem pronunciavit. 7. E gradu Clericali dejectos restituere Glossa in Cap. *Ideo* 2. q. 6, & Cap. *Ex tua* §. ult. *de Clericis non residentibus*. 8. Dispensare circa ætatem in Ordinationibus sacris Cap. *Quum in cunctis de Elect.*; & cum Bigamis Cap. 1. *de Bigamis in 6.* 9. A Pontificis judicio nulli fas est appellare Cap. *Cuncta per Mundum* 9. q. 3. De quo copiosius paullo post.

Pontificis dumtaxat est (11.) professionem religiosam irritam facere, idest statuere, ne rata, & firma sit Cap. *Ad nostrum*; & Cap. *Significatum*. 12. Supplere defectum canonicum in contractibus Cap. *Illa quotidiana de Elect.*, & Cap. 1. *de Transactionibus*. 13. Pontifici reservantur Episcoporum, & exemptorum renunciationes Cap. *Si Abbatem de elect. in 6.* 14. Pontificis est remittere pœnas ob Simoniam in beneficio, vel Ordine contractas Cap. *Quia Simoniacis* 1. q. 1. 15. Pontificis est interpretari, relaxare, & commutare juramenta Cap. *Venerabilem* §. *Eos de elect.* 16. A Pontifice excommunicatos nullus absolvere potest Cap. *Nuper de*

 sent.

sent. excomm.; Cap. *Inferior* dist. 21; & Cap. *Quum inferior. de Majorit.*, *& obed.* Sed Pontifex solus quosquam censuris ab aliis innodatos solvit Clem. *Si Summus de sent. excomm.* 17. Pontificis solius est irregularitates tollere Cap. *At si Clerici de judiciis*; Cap. *Saluberrimum.* 1. q. 7; Cap. *Quibus de Consecr.* dist. 4; Cap. *Miror*, & Cap. *Si quis viduam* dist. 50. 18. Ad unum Pontificem attinet interpretari dubia, quæ occurrunt in Rescriptis, & Constitutionibus Apostolicis Cap. *Pastoralis de fide Instrumentorum*; Cap. *Quum venisset de judiciis*, & Cap. *de Confirmationibus de confirm. utilit.* 19. Ipsius tantummodo est Beneficia compatibilia eidem Clerico conferre Cap. *Litteras de concessione præbend.*; Cap. *Dudum de Elect.*; Cap. *De multa de Præbendis*; Trident. sess. 7. capp. 2, 3, & 4; & sess. 24. cap. 17. 20. Ipsius dumtaxat est tribuere jus ad beneficium vacaturum Cap. *Nulla de concess. præbend.*, & Cap. *Licet* 1. *de Præbend. in 6.* 21. Ipsius item solummodo est in beneficiis annuas pensiones constituere; constitutas transferre, vel jus eas redimendi tribuere Cap. 1. *de Præbend.*; Cap. *Quum temporalis* 1. q. 1. *de Capell. Monach. in 6.* 22. Potis est Reges certa de caussa excommunicare, & exauctorare: agendum copiose de argumento isto erit. 23. Ipsius dumtaxat est Dei Servos Sanctorum catalogo adscribere Cap. 1. *de Reliquiis*, *& vener. SS.* Sed de eo erit dicendum. 24. Ipsius est collationes beneficiorum ab Episcopis factas rescindere Cap. *Tanta de excessibus Prælatorum*; Cap. *Per principalem* 9. q. 3; Cap. *In memoriam* dist. 19; Cap. *Quam sit grave de excess. Prælat.*, & Glossa ibid. 25.

Ad Pontificem dumtaxat pertinet Concilia indicere Dist. 17. per plura capita. 26. Pontificis est Pallium concedere Cap. *Antiqua de Privilegiis.* 27. Ipsius item Monachos e Monasterio educere, præficere Ecclesiis, Principi adjutores concedere &c. Cap. *Per principalem* 9. q. 3. 28. Impedimenta Matrimonii dirimentia tollere Cap. *Non debet de consang.*, *& affin.* 29. Dispensare cum Ordinandis circa interstitia: circa diem festum in Ordinibus sacris: & circa Episcopum alterius diœcesis Ordinatorem Cap. *Consultationi de temp. Ordin.*; Cap. 1, & 2. *eodem*; Cap. *Dilectus*; & Cap. *Litteras eodem de temp. Ordinat.* 30. Ordinatum a Papa nullus potest ad alios Ordines promovere absque ejus consensu, Doctores in

Cap.

Cap. *Quum in distribuendis de temp. Ordinat.* 31. Pontificis est tantum in ipso die suæ consecrationis Ordines conferre Cap. *Quod sicut 2. præterea de elect.* 32. Ad eum attinet unum Abbatibus concedere Episcoporum insignia , Mithram , Baculum , & annulum , Doctores communiter. 33. Ipse solus potest laicis bona, & jura Ecclesiastica elargiri . Quid imo quod etiam potest laico concedere potestatem alterum excommunicationis vinculo obstringendi , uti Doctoribus nonnullis persuasum est apud Azorium ? 34. In ipsius potestate itidem positum est committere Presbytero , ut minores Ordines , imo Subdiaconatum , ac juxta aliquos Diaconatum etiam , conferat : Confirmationis sacramentum insuper administret , veluti docet S.Thomas 3. p. de Sacram. q.13. art.11. Dubium est an Chrisma conficere ex licentia Pontificis possit . In Hispania olim Presbyteros a Chrismate consecrando non abstinuisse adparet ex Canone 20. Concilii Toletani I , quo id ne imposterum fieret , prohibitum fuit . Idipsum prohibitum legitur a Conciliis Carthaginensi II. cap.3 , & Carthaginensi III. cap. 36 : quos quidem Canones de interdicta Presbyteris Chrismatis consecratione, non autem Confirmationis collatione accipi vult Thomassinus vet. , & novæ discipl. p. 1. lib. 2. cap. 23 : quinimo post Petrum de Marca , & Antonium Godeau animadvertit prioribus sex , aut septem sæculis pauca fuisse , in quibus si dispensaret Papa , non dispensarent & Provinciarum Synodi : ex his autem Canonibus 2. Concilii Arausicani , & 16. Epaonensis Parochis facultatem factam fuisse , qua possent redeuntibus ab hæresi ad Ecclesiam sub finem vitæ Confirmationem impertiri , qua sacrorum consortio restituerentur .

Pontificem unum penes stat (35.) potestas generalia Concilia confirmandi , vel improbandi ; eorumque Canones probandi , vel reprobandi , atque interpretandi Dist.17. per plura capita ; Cap. *Statutum de elect.* , *& rescript. in 6.* 36. Ad ipsum attingit quorumcumque scripta recipere , vel respuere Cap. *Damnamus de summa Trinit.* ; Cap. *Si Romanorum* dist.19; & Cap. *Fraternitatis de Hæreticis*. 37. Ipsius est dumtaxat Incendiarios publicos excommunicationis vinculo obligatos absolvere Cap. *Conquesti* ; & Cap. *Tua de sent. excomm.* 38. Ipse solus indulgere potest , ut Religio-

sus

sus e claustro egrediatur inserviendi caussa Prælato, vel Principi Cap. *Qui resistit* 9. q. 3: & ut Novitius eligatur Abbas Cap. *Officii de elect.* 39. Pontifex solus potest concedere, ut Monachus Laicus, vel Sæcularis Clericus minoribus Ordinibus dumtaxat initiatus eligatur Episcopus Cap. *Miramur* dist. 61; & Cap. *Valentinianus* dist. 63. 40. Nemo præter illum indulgere potest, ut qui excommunicatione majori innodatus Ordinibus majoribus est initiatus, vel sacris operatus est, suo fungi officio possit Cap. *Quum illorum de sent. excomm.* 41. Nemo præter Pontificem facultatem impertiri potest, ut Religiosus Apostata, qui in Apostasia sacrum Ordinem recepit, in eodem ministrare queat Cap. ult. *de Apostatis*. 42. Ab unius Pontificis voluntate pendet, ut Religiosus extra claustra ad leges, vel medicinam ediscendas addictus ad Ordines promoveri possit Cap. *Non magnopere*. *Ne Clerici, vel Monachi*. 43. Item ut Clerici dignitatem, vel personatum, vel Parochiam gerentes iisdem studiis navare possint operam Cap. *Super specula*: *Ne Clerici, vel Monachi*. 44. Ipsius est solius a lege solvere, qua quis fructuum partem decimam persolvere tenetur Cap. *Ex parte*, & Cap. *Suggestum est de Decimis*.

Pontifici soli (45.) reservatur novi Religiosi Ordinis approbatio. Innocentius III. in Concilio Later. Cap. ult. de *Relig. domibus*. 46. Inscio, & invito Pontifice nequit Clericus adigi ad contributiones etiam in utilitatem, aut necessitatem Urbium, locorum &c. Cap. *Adversus de Immun. Eccles.* 47. Solus Pontifex potest Indulgentias plenarias elargiri Can. 62. Concilii Lateranensis IV; Cap. *Quum ex eo de Privilegiis*; & Cap. *Indulgentiæ* in 6. *de Remissionibus*. 48. Solius Pontificis est Canones generales pro cunctis Ecclesiis condere Cap. *Ideo permittente* 25. q. 2. 49. Præter Pontificem nullus concedere beneficiario potest, ut perpetuo absens ab Ecclesia, etsi ex justa caussa, percipere fructus possit Cap. ult. *de Rescriptis in 6.* 50. Præter ipsum nullus potest renuntiationem beneficii admittere in gratiam alterius Cap. *Deliberatione*; & Cap. *Prohibemus de offic. judic. deleg. in 6.* 51. Absque ipsius licentia nemo in eadem Ecclesia potest duos Personatus, vel dignitates, vel Præposituras, vel administrationes, vel officia, vel eorum alterum cum Canonicatu simul habe-

re

re Cap. 3. *de Consuetud.* 52. Nemo nisi Pontifex Ecclesiæ Cathedralis administrationem concedere valet Cap. *Is cui de elect. in 6*; & Cap. *Ecclesiæ Cathedrali de supplen. neglig. Prælat. in 6.* 53. Nemo nisi Pontifex conferre potest beneficia in Curia Romana vacantia Cap. *Licet Ecclesiarum* 2. de *Præbend. in 6.* 54. Absque Papæ licentia Episcopus, aut Abbas coadiutorem nequit assumere Concilium Tridentinum sess. 25. de reform. cap. 7. Confer Fulbertum Carnot. in epist. 8; & Henricum Alban. in epist. ad Alexandrum III. Bibl. Cisterc. tom. 3. pag. 254. 55. Absque Papæ conscientia, & facultate Religiosus plures Ecclesias nequit habere Cap. *Quum singula de Præbend. in 6.*

Qui (56.) violentas manus injecerint in S.R.E. Cardinales, vel illos fuerit insequutus, vel facinoris socius, aut fautor, aut consiliarius fuerit, postquam ad pœnitentiam agendam ultra mare missi sunt, regredi absque Romani Pontificis consensu nequeunt Cap. *Felicis* §. *Quum autem de Pœnis in 6.* 57. Prælati omnes prohibiti sunt Ecclesias sibi commissas, bona seu jura ipsarum immobilia laicis submittere absque Capituli consensu, & Pontificis licentia peculiari Cap. *Hoc consultissimo de rebus Eccles. non alien. in 6.* 58. Religiosis non licet loca nova emere, aut vetera vendere absque licentia Apostolicæ Sedis Cap. 1. *de Relig. domibus in 6*; & Cap. *De excess. Prælat. in 6.* 59. Collegium Cardinalium Sede vacante jurisdictionem Papalem exercere non potest, nisi quatenus permissum est a Concilio Lugdun. sub Gregorio X. in Clement. *Ne Romani de elect.* 60. Nemo, nisi Pontifex legata ad pias caussas facta aliis usibus deputare potest. In Clem. *Quia contingit de Relig. domibus.* 61. Certi casus ita Papæ reservantur, ut nemo, nisi Papa absolvere ab iis possit. In Clement. 1. *De Privilegiis*; & in Clement. *Cupientes de Pœnis.* Pontifices certos sibi casus reservare olim non consuevisse observat doctiss. Thomassinus vet., & novæ discipl. p. 1. lib. 2. cap. 13, sed ab Episcopis absolvenda quædam atrociora facinora ad Pontificem referri cœpisse: cujusmodi moris meminit Concilium Lemovicense anno 1031. celebratum; extant vero exempla Ivonis Carnot. in epist. 30, 31, 33, 36, 98, & 160; S. Laurentii Dublinensis apud Baronium ad annum 1179. n. 34; Hildeberti Ceno-

Cenomanensis in epist. 60; Willelmi Antisiodorensis tom. 1. Bibliot. Maximæ pag. 486, & seq.; atque passim in epistolis Alexandri II. legere est. Denique Pontifici Romano certa quædam graviora crimina reservata commemorantur a Conciliis Lemovicensi anno 1031; Remensi anno 1131. can. 17; Lateranensi II. anno 1139. can. 19, & 20; Londinensi anno 1143; Remensi altero anno 1148. can. 13; Avenionensi anno 1209. cap. 13; Exoniensi anno 1287. cap. 55; Arelatensi anno 1275. cap. 12; Bajocensi anno 1300. cap. 87; Tridentino sess. 14. cap. 7; in Constitutionibus Synodalibus Ecclesiæ Parisiensis; in actis Mediolanensis Ecclesiæ; & a Paulo II. in Extravag. comm. lib. 5. tit. 9. cap. 3. 62. Pontificis unius est concedere, ut Religiosus in alterius Religionis Prælatum eligi possit: in Clement. 1. *De elect.* 63. Ipsius auctoritate dumtaxat Clericus in sacris Ordinibus constitutus absolvitur ab obligatione recitandi horas Canonicas: in Clem. 1. *De Celebr. missar.* 64. In ditionibus Ecclesiæ Romanæ nemo Comitis nomine audire potest absque Pontificis consensu Extravag. *Ecclesiæ Romanæ de Majorit., & obed.* inter Extravag. Johannis XXII.

Pontificis solius (65.) est conferre beneficium illud, quod quis amisit ideo, quod recipiens secundum beneficium cum priori incompatibili, primum in manibus Ordinarii non dimisit; ac proinde utrumque in pœnam amisit. Extravag. *Execrabilis de Præbend.* §. *Qui vero.* 66. Divisa Episcopali Ecclesia, nihil detrahi potest Archidiaconi, vel alterius dignitatem habentis juribus, absque auctoritate Pontificis. Extravag. *Ad Apostolatus de concess. Præbend.* 67. Nec Episcopi, nec Abbates Ecclesias administrare valent absque Pontificis litteris. Extravag. *Junctæ de elect.* 68. Nec Religiosi, nec Clerici ante 27. ætatis annum ad certas Ecclesias postulari possunt absque Papæ licentia. Extravag. *Dispendiis de postulat. Prælat.* 69. Sine licentia Papæ nequeunt Ecclesiæ bona alienari, præterquam in caussis a jure permissis, qui secus fecerint, ita beneficiis mulctentur, ut sola Papæ indulgentia iis restituantur Extravag. *Ambitiosæ de rebus Eccles. non alienandis* inter Communes Pauli II. 70. Contra Officiales Romanæ Curiæ agere nequeunt Episcopi, vel Inquisitores absque

Pon-

Pontificis conſcientia. In extravag. *Quum Matthæus de Heret.* 71. Caſus nonnulli reſervati ſunt Romano ſoli Pontifici in extravag. *Et ſi Dominici de Pænit.,& remiſs.* inter communes Pauli II. 72. Sine ſpeciali Pontificis licentia non poteſt juſtitium ſacrorum indici Urbi ob debitum pecuniarium Domini, vel Officialium, vel perſonarum privatarum in extravag. *Provide attendentes* inter comm. Bonifacii VIII. *de ſent. Excommun.* 73. Vacante Imperio nullus abſque Pontificis conſenſu poteſt aſſumere Vicarii nomen, vel obire munus in extravag. *Si Fratrum Ne Sede vacante* inter communes Johannis XXII. 74. Cancellariæ regulis plura reſervata Pontifici M. ſunt. 75. Conſtitutionibus Pontificiis multa qua præcepta, qua prohibita. Confer Azorium Inſtit. moral. tom. 2. par. 2. lib. 4. cap. 19, ex quo plurimam horum delibavimus partem. Jam horum pleraque, atque præcipua fuſiori ſermone proſequamur, ex quibus palam fiat, quam Concilio præſtet Pontifex, & quam is a fidei jacturæ periculo ſit procul.

Ex jure convocandi Generalia Concilia.

§. I.

JUs in Concilia Pontifici Romano inſidens profecto non ejuſdem eſt generis: nam quoad generalia Concilia attinet. 1. Jus eſt eadem convocandi. 2. Jus eſt eiſdem præſidendi. 3. Jus eſt eadem confirmandi, aut reprobandi, quorum ſi alterum deſit, eadem plane in caſſum cedunt: quæ omnia tribus ſequentibus §§. ſunt explicanda. Quod ad primum igitur ſpectat, id profecto Rectoris, Præſidiſque officio, curæque quaſi innatum, & inſitum eſſe docent recta ad frugem comparata ratio, omniumque ſocietatum tam Civilium, quam Eccleſiaſticarum perennis uſus, probatuſque, ut qui illis præfectus eſt, ipſum penes ſit poteſtas cogendi ad cœtum, dum publica res exigit, bonoque Reipublicæ expedit; eique vocanti ceteri obſequi teneantur. Concilium igitur generale indicere ad ejus auctoritatem pertinet, qui præſit omnibus, omnibuſque, qui ad Concilium ſunt congregandi, poſſit præcipere, ſuoque præcepto obligare: certo autem certius eſt

in rebus ad Religionem pertinentibus Episcopis præesse unum Pontificem, eidemque præcipienti obtemperare omnes oportere. Confert ad hoc vero plurimum praxis, de qua quidem, quod ad Concilia in Occidente celebrata attingit, facile convenit Launojus in epist. ad Raymundum Formentinum, quod vero attinet ad alia in Oriente habita adversus eumdem difficile haud est ostendere uno ex Pontificis assensu, aut dissensu eadem loco stetisse, aut excidisse. Enim vero Antiochenum Concilium post Nicænum I. coram Constantino Imper. celebratum sedente S. Julio I. iccirco est reprobatum, quod Julius nequaquam illi adfuisset, neque quemquam, qui ejus locum suppleret, eò misisset; idque quum Canon Ecclesiasticus jubeat non oportere absque sententia Romani Episcopi decreta Ecclesiis sancire, uti referunt Socrates lib. 4. hist. cap. 9, & Sozomenus lib. 3. cap. 9. Hinc plurimis Eruditis visus est hic Canon nonnisi a Nicæno Concilio editus: imo id innuisse Julius ipse in epist. ad Orientales apud S. Athanasium in apologia 2., asserens fuisse a SS. Apostolis traditum, deinde in magna Synodo declaratum non posse ullam convocari Synodum inconsulto, aut invito Romano Episcopo. Nec vero conjectura aberrabit, qui Canonis Ecclesiastici nomine jus imo divinum, cui potestas ista Pontificis innititur, probe velit intelligi. Ariminensem Synodum, etsi Episcoporum numero copiosam, nihili habendam ea nihilosecius ratione decrevit S. Damasus in epist. Synodica ad Orient., quod Romanus Pontifex, *Cujus ante omnia decebat eos expectare decretum*, consensum denegaverit suum. Qua de epistola adeundi Theodoretus lib. 2. hist. Eccles. cap. 22; & Sozomenus lib. 6. cap. 22. Hanc ob rem S. Ambrosius epist. 56. Theophilum admonuit, ut eorum, quæ in Synodo forent agenda, S. Siricium facere certiorem sedulo curaret: & S. Johannes Chrysostomus apud S. Innocentium I. adversum se acta in Synodo a Theophilo accusavit, tanquam perperam acta ex hoc potissimum capite, quod ipsius absque conscientia peracta fuissent. Adversus Dioscorum in Concilio Chalcedonensi act. 1. ea quoque ratione pronunciatum est, quod inter alia Synodum ausus sit facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ; quod nunquam licuit, nunquam factum est. Auctoritate vero sua id docuit S. Leo post præ-
dato-

datoriam Ephesinam Chalcedonensem Synodum convocans, qua de re legenda ejus epist. 12. ad Theodosium, & epist. 81. ad Leonem Imp. In Concilio Romano sub S. Symmacho, quum Rex Theodoricus convocatis ex Italia Episcopis se eos accivisse diceret, ut caussam Symmachi criminum quorumdam postulati dijudicarent, responderunt universi non Regis esse, sed Pontificis Romani Synodum cogere, quamvis Pontifex ipse criminis argueretur; neque prius acquievere, nisi postquam Symmachus asseruisset suo rogatu eosdem a Rege fuisse vocatos, ab seque Synodum approbatam ire.

Pelagius II. in epist. 6. ad Orientales, ideo quod Johannes Episcopus Constantinopolitanus appellationem Universalis Episcopi usurpasset, convocassetque generale Concilium, in hunc modum scripsit: *Relatum est ad Apostolicam Sedem Johannem Constantinopolitanum Episcopum Universalem se subscribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum convocare generalem: quum generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari privilegio sit tradita, & nulla unquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta* (unde irrita declarat gesta ea in Synodo) ac addit: *Multis Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis regulis instruimur non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari*. Et infra. *Majores vero*, ait, *& difficiliores quæstiones... ad Sedem Apostolicam semper referantur*. Quo autem loco habenda hujusmodi epistola sit, mox excutietur. In epist. 2. ad Episcopos Istriæ de Concilio Chalced. loquens: *Privatas caussas, quæ illic post definitionem fidei actæ sunt, non solum minime confirmavit* (S. Leo); *sed & retractari, atque dijudicari concessit*. Similia habet in epist. 3. ad eosdem. Pseudo-Synodus quoque Constantinopoli adversus sacras Icones celebrata idcirco a Synodo VII. Nicæna II. act. 16. reprobata est, quod inconsulta Sede Apostolica fuerit celebrata. S. Gregorius II. ad Leonem Isaurum scribens, *Scripsisti*, inquit, *ut Concilium universale cogeretur, & Nobis inutilis ea res visa est &c.* Hadriani I. hanc in rem expressior est, quam quæ obscurari, temereque obtundi a Launojo possit, sententia in Capitulis Ingilramno traditis cap. 3. apud Harduinum tom. 3. pag. 2063, de quo paullo

 post.

poſt. S. Nicolaus I. in epiſt. 8. ad Michaelem Imper.: *Attendat*, inquit, *Clementia veſtra*, *quanta fuerit erga Sedem Apoſtolicam reverentia Anteceſſorum veſtrorum ... pro colligendis Conciliis, ac proferendis ſententiis non imperaverint*, *ſed precati ſolum extiterint*, *& quæ illi decreverunt, ipſi conſenſerint*, *& quæ illi damnaverunt, ipſi reſpuerint*: & in epiſt. 38. *Generale Concilium*, ait, *ſine Apoſtolicæ Sedis præcepto nulli fas eſt vocandi*. S. Leo IX. in epiſt. 3. ad Thomam Africanum Epiſcop.: *Nolo vos lateat non debere præter ſententiam Romani Pontificis univerſale Concilium celebrari*, *aut Epiſcopos damnari*, *vel deponi ... Quia omnium Eccleſiarum majores cauſæ per principalem B. Petri Sedem a Succeſſoribus ejus ſunt definiendæ*. Eugenium IV. pro virili parte hanc ſibi vindicaſſe poteſtatis ſupremæ particulam adparet ex Conſtitutionibus *Poſtquam divina*: *Quoniam alto*: *Ad Sanctam Petri Sedem*: *Dudum Sacrum*: *Doctoris gentium*: *Pridem ex juſtis*: *Expoſcit debitum &c.*, adeoque liquido, ut hæc indicaſſe loca ſatis ſit, ac ſuper. Pius II. in Bulla retract. dum maxima ſe erga Concilia affectum alioquin obſervantia profitetur, fatetur tamen: *Nullum unquam fuiſſe ratum*, *quod ſtante Romano indubitato Præſule abſque ipſius auctoritate convenerit*. Cujus rei hanc attexit rationem: *Quia non eſt corpus Eccleſiæ ſine Capite*, *& omnis ex Capite defluit in membra poteſtas*. Leo X. in Conſt., quæ incipit *Paſtor æternus* in Concilio Lateranenſi V. ſeſſ. 11. edita ſoli Romano Pontifici hanc proculdubio vindicat poteſtatem ex S. Scripturæ teſtimonio, SS. Patrum dictis, Summorum Pontificum, & ſacrorum Canonum decretis, quinimo ex Conciliorum etiam confeſſione affirmans *Solum Romanum Pontificem*, *tanquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem*, *tam Conciliorum indicendorum*, *transferendorum*, *ac diſſolvendorum plenum jus*, *& poteſtatem habere*. Quæ quidem confirmant adhuc teſtimonia apertiſſima Hincmari opuſc. 55. cap. 20; S. Thomæ 2. 2. q. 1. art. 10; & de potent. q. 10. art. 4. ad 13; S. Raymundi lib. 3. tit. de differ. offic. n. 1; S. Antonini p. 3. tit. 2. cap. 3. §. 1; & S. Johannis a Capiſtrano de Papæ, & Concil. auct. 2. p. 3. p. princip. ad 3. 5. quibus conſentiunt Theologi communiter, ac Juris Canonici conſulti; nec inficiari auſi ſunt Gerſonius lib. de vita ſpirit. lect. 3; & Richerius hiſt. Concil. cap. 1.

Juvat

Juvat nunc interea rem, velut ajunt, acu tangere, ac per singula excurrere, quibus prælusisse trina profecto, quæ Actor. 1, 6, & 16. a S. Petro indicta pronum est existimare, in confesso positum est. A Nicæno I. igitur exordium capiendo, istud dubio procul ex consensu S. Silvestri congregatum refert Scriptor libri Pontificalis, significat vero Ruffinus lib. 1. hist. Eccles. cap. 1. scribens a Constantino ex Sacerdotum sententia Concilium apud Nicæam congregatum; & asserit Synodus VI. act. 18. in sermone acclamatorio: quamvis convocatam eam fuisse a Constantino constet ex Eusebio lib. 3. ejus vitæ cap. 6; Socrate lib. 1. cap. 5; Theodoreto lib. 1. cap. 7; Gelasio Cyziceno lib. 2. de actis Concil. Nic. cap. 5; Nicephoro lib. 8. cap. 14; ex Nicæno ipso in epist. Synodica ad Ecclesiam Alex. apud Theodoretum cap. 11; Ephesino act. 1. in relat. ad Theodosium; S. Epiphanio hær. 69., & Justiniano Imp. in collat. 1. Synodi V. Constantinopolitanum I. adversus Macedonium S. Damasi auctoritate fuisse adunatum colligi quamvis videatur ex epistola Synodica ad S. Damasum, quam refert Theodoretus lib. 5. cap. 9., in qua sic inquiunt Episcopi: *Conveneramus apud Constantinopolim ad litteras a Reverentia vestra superiori anno ad religiosissimum Imperatorem Theodosium missas*, dissentiunt tamen viri critici. Natalis ad sæcul. IV. dissertat. 36, & post ipsum Pagius in brev. hist. in S. Damaso in ea opinione versantur, quod a Theodosio consulto S. Damaso illud fuerit convocatum, profertque prior ille testimonia ex Socrate lib. 5. cap. 8; Sozomeno lib. 7. cap. 7; Theodoreto lib. 5. hist. cap. 7; epist. Synodica Concilii ad Theodosium; & Auctore anonymo vitæ S. Pauli Constantinopolitani Episcopi apud Photium Cod. 257; concludit vero Synodum II. convocatione quidem œcumenicam, & legitimam non fuisse, evasisse autem ex post facto Occidentali Ecclesia, & S. Damaso eidem adhærentibus; idque probat ex Photio lib. de VII. Synodis ajente: *Quibus haud multo post* (Episcopis Constantinopoli congregatis) *& Damasus Episcopus Romæ eamdem confirmans, atque sentiens accessit*; & ex epistola Concilii Italiæ ad Theodosium, in qua suum Concilium opponunt Concilio Constantinopoli habito. Ex adverso Baronius, & Binius pugnant, atque Synodum II. non-

nonnisi ex S. Damasi consensu celebratam volunt, probantque tum ex Synodo VI. act. 18. ajente Theodosium, & S. Damasum obstitisse Macedonio; tum ex Codice antiquissimo bibl. Vaticanæ, & altero S. Mariæ Majoris hæc habentibus: *Sententiam de damnatione Macedonii, & Eunomii Damasus confirmari præcepit etiam in Sancta II. Synodo, quæ præcepto, & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est*; tum ex Nilo Rhodiensi in narratione Synoptica Conciliorum general., ubi inquit: *Præerant Synodo Damasus Romæ, Nectarius Constantinopoli*; tum ex Lucentio Sedis Apostolicæ legato in Concilio Chalced. asserente sine auctoritate Sedis Apostolicæ rite nunquam factam fuisse Synodum; tum ex S. Damaso ipso in epist. ad Illyricos, quam refert Thodoretus lib. 2. hist. Eccles. cap. 22, affirmante nullum Concilium vim obtinere, nisi ei accedat Romani Pontificis auctoritas, cujus defectu Ariminense infirmat. Ut ut sit (nam recole a nobis dicta par. 1. art. 2. §. 1. de Conciliis Oriental., ubi de Synodo II. adversus Bossuetium disputavimus) sane id indubium est, quod si Damasi Concilio illi defuit assensus, tandiu illud mansit elumbe, donec tandem desideratus consensus accederet, ut mox ostensuri sumus.

Ephesinum I. adversus Nestorium convocatum fuisse a Theodosio juniore contendit Natalis hist. Eccles. ad sæcul. V. dissert. 7, consentitque Thomassinus dissert. 3. in Synod. Nicæn. n. 13. hisce momentis ducti, scilicet ex litteris Theodosii ad Episcopos, quæ 1. part. act. Concilii Ephes. extant; ex epist. 3. Nestorii ad S. Cælestinum, qua Pontificem monet de indicta a Theodosio Synodo; ex Synodi ejusdem actis act. 1, 3. &c.; ex relatione ad Imperatores, qua se ab Imperatore accitos Patres affirmant; ex S. Cyrillo in Apologetico ad Theodosium; ex Socrate lib. 7. cap. 34; ex Evagrio lib. 1. cap. 3; ex Liberato in breviar. cap. 5; & Nicephoro lib. 14. cap. 34. At vero eam Synodum de consensu saltem S. Cælestini Papæ fuisse indictam pugnant Lupus, & Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 13. auctoritate S. Gelasii in Synodo I. Romana ajentis damnatum Nestorium ex consensu S. Cælestini: ejusdem Synodi testimonio in relationibus ajentis se convenisse secundum Canones; quibus sane cautum est, ne Synodus absque Romani Pontificis sententia celebretur: Hincmari fide in opusc. 55.

opusc. 55. cap. 20. testantis Synodos olim fieri consuevisse Apostolicæ Sedis jussione, & Imperiali convocatione: S. Prosperi relatu in Chron. ajentis Nestorii impietati Cyrilli industriam, & Cælestini Papæ auctoritatem repugnasse: S. Cælestini ipsius epistola ad Cyrillum, cui vices suas demandat ad executionem sententiæ contra Nestorium latæ in Concilio Romano; & epist. ad Theodosium, qua respondet se per Legatos Synodo adfuturum: Photii narratione lib. de VII. Synodis affirmantis S. Cyrillum tanquam Sedis Apostolicæ Legatum Ephesino Concilio præfuisse & Diurno Romanæ Ecclesiæ denique, in quo ex auctoritate S. Cælestini a Theodosio indictum Concilium illud asseritur. Plane S. Cælestini Legatos Ephesino præfuisse infra patescet; unde illius convocationi adhæsisse S. Cælestinum oportet. Præterea acta S. Petronii apud Baronium ad annum 430. n. 61. a Carolo Sigonio restituta præferunt S. Petronium virum illustrem, postea Bononiensem Episcopum, a Theodosio ad S. Cælestinum missum, ut cum eo de celebrando Concilio ageret. Equidem ejusmodi acta in dubium revocant Garnerius in Commonit. Marii Mercat. p. 2. dissert. 2. de Synodis habitis in caussa Nestorii, & Pagius in Critica ad annum 430, & 431. At acta ista indubia habuit Doctiss. Norisius hist. Pelag. lib. 2. cap. 9, eademque egregie vindicavit Clariss. Blancus de potest., & polit. Eccles. tom. 4. lib. 2. cap. 3. §. 9, quem ut adeas tibi auctor sum. Synodum Chalcedonensem convocante, aut saltem consentiente S. Leone M. indictam fuisse a Marciano liquet ex epist. Marciani ad S. Leonem; ex epist. Pulcheriæ ad eumdem Pontificem; ex epist. eorumdem Principum ad Patres jam Nicææ collectos, quæ extant in actis Concilii; ex epist. S. Leonis 43, & 50. ad Marcianum; 47, & 61. ad Synodum Chalced.; 51. ad Pulcheriam; ex Synodo ipsa in actionibus passim; ex Breviculo histor. Eutychian.; ex Liberato in brev. cap. 13; ex Evagrio lib. 11. cap. 2; ex Justiniano collat. 1. Concilii V. gener.; ex Nicephoro lib. 15. cap. 11.; ex epist. Synodica Episcoporum secundæ Mæsiæ ad Leonem Imper.; ex Theodoro Lectore lib. 1. collectaneorum; & ex epist. S. Gelasii ad Episc. Dardaniæ; adeo ut rem probatissimam comprobare adhuc pluribus non sit opus.

Quin-

Quintam Synodum Constantinopolitanam II. convocavit quidem Justinianus Imp., uti constat ex epist. ipsius ad Synodum; Evagrio lib. 4. cap. 37; & Nicephoro lib. 17. cap. 27: at non absque consensu Vigilii, ut constat ex Vigilii epist. ad Eutychium; ex Synodo V. collat. 8; & Synodo VI. in serm. acclamat. ad Imper. Quin ea ipsa ratione, quod Synodo huicce Pontifex dein intercessierit, nec ei interfuerit, carere omni firmitate debuerat, nisi ipsi postliminio Romani Pontificis assensus acccessisset, de quo mox. Synodum VI. ex consensione Doni Pontificis primum fuisse a Constantino Pogonato indictam liquido adparet ex epistola Imperatoris ad Donum, & ad ejus Successorem S. Agathonem; ex epistola ejusdem Imper. ad Georgium Constantinopolit. Episcopum; item ex epistola S. Agathonis ad Constantinum; atque ex testimoniis V. Bedæ in libello de temporib. cap. 22; Pauli Diaconi lib. 19. hist.; Freculphi Lexoviensis Chron. cap. 27; Hincmari opusc. 55. cap. 20; Adonis in Chron.; Anastasii Bibl. in SS. Agathone, & Leone II; Reginonis lib. 1. Chron.; Lamberti Scafnaburgensis lib. de reb. German.; Cedreni in compen., & Zonaræ tom. 4. annal. Legendus Natalis ad sæcul. VII. dissert. 1. Nicænam II, seu septimam Synodum a Constantino Augusto convocatam fuisse, Hadriano I. tamen Rom. Pontifice consentiente, propugnat idem Natalis dissert. 3. in hist. Eccles. sæculi VIII. tum ex Synodo ipsa act. 1, 4, & 7, ubi se ab Imperatore coactam Synodus affirmat; tum ex Hadriano I. in epist. ad Tarasium, & ad Imperatores Constantinum, & Irenem; tum ex Anastasio Bibl. in vita Hadriani I; & Paulo Diacono lib. 23. hist.; quibus accedunt ex Græcis Theophanes, & Cedrenus; ex Latinis Platina, Philippus Bergomas Chron. lib. 11. &c. Eum sane Pontificis M. assensum necessarium fuisse docuit Hadrianus ipse in Capitulis Ingilramno Episcopo Metensi datis, ubi ait cap. 3: *Cui jussione Domini, & meritis B. Petri Apostoli singularis Conciliorum congregandorum auctoritas, & SS. Canonum, ac venerandorum Patrum decretis multipliciter privata tradita est potestas*. Ea propter castiganda jure merito Natali loc. cit. visa est Launoii temeritas ajentis fuisse obreptum Hadriano Papæ hæc scribenti: hæc deprompta esse ex pseudo-epigraphis epistolis, præsertim Pelagii II, Rom.

Pon-

Pontificum ab Isidoro Mercatore consarcinatis: neque ex Scriptura, neque ex Traditione, neque ex Canonibus colligi Pontificis esse partes Concilia congregare: sed is paullo infra pœnas dabit justas. Octavam Synodum Hadriani II. jussione congregatam fuisse a Basilio Augusto constat ex ejusdem epist. ad Basilium lecta act. 1; ex Synodo ipsa act. 1, 6, & 10; ex Basilio in allocutione ad Synodum; ex Anastasio Bibl. in præfat. Synodi VIII; Cedreno in comp. hist.; Zonara tom. 4. annal &c. Reliqua Occidentis Concilia generalia a solo Pontifice indicta fuisse res adeo manifesta est, ut expositione non indigeat: idque adeo constans, ut inficiari nedum veriti sint ex Latinis iimet, quibus libido inest veritati vel in aprico positæ tenebras offundendi, sed imo agnitum ultrocitroque ab ipsis Græcis schismaticis sit, tum quum ad Lugdunense, & Florentinum acciti fuerunt; tum quum ad Tridentinum ultimum Concilium. Non enim aliam obtexuerunt morarum, quibus convenire ad illud præpedirentur, caussam, quam Turcarum, sub quorum gemebant jugo, metum. Scilicet suspicantes Turcas hæc iniri Comitia Antistitum Christianorum, ut communi consilio deliberaretur cunctos in Oriente, & Occidente Christianos sollicitandos ad arma contra Turcas capessenda, sub ingenti pecuniarum exactione, sub carceris, exilii, necisque inferendæ pœna, ne id itineris instituereretur, prohibuisse. Hæc in litteris ad Pontificem reposuerunt.

Neque vero est, quod objiciat Launojus Synodum Nicænam a Constantino, imo Synodos omnes Orientales ante octavam celebratas ab Imperatoribus fuisse congregatas, ut ajunt Patres Synodi VIII. act. 5. Liberium quoque in epist. ad Constantium ipsum Imperatorem potius rogasse, ut Synodum convocaret. Nam id totum præstiterunt Imperatores ex Pontificum consensu, indulgentia, ac prece utentes non quidem, velut loquuntur Theologi, potestate regiminis, sed potestate præsidii, qua Ecclesiæ laboranti suppetias ferrent, fideique custodes se præberent: quomodo etiam Conciliis quandoque præfuisse referuntur, uti Nicæno Constantinus, Chalcedonensi Marcianus, Synodo V. Justinianus, sextæ Constantinus Pogonatus, imo Francofordiensi Carolus Magnus. Cæteroquin enim Canone 17. Concilii VIII. sic habetur:

Illud autem tamquam perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quod a quibusdam imperitis dicitur non posse Synodum absque principali præsentia celebrari; quum nusquam sacri Canones convenire sæculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites. Sed & se congregandis Synodis impares ultrocitroque fassi sunt Valentinianus Imper. apud Sozomenum lib. 9. cap. 7; & Theodoricus Rex in Synodo Romana IV. in caussa S. Symmachi habita. Osius vero Cordubensis apud S. Athanasium in epist. ad solitar. Constantium Imper. alloquens, *Ne te misceas*, inquit, *Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea a nobis disce.* Porro rationes, quibus moti Imperatores ex Pontificis consensu Concilia Orientis generalia congregarint, suppeditat Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 13, scilicet 1. Quia tum vigebat lex, quæ prohibebat Conventus hominum fieri absque Imperatoris auctoritate *L.1. ff. de Collegiis illicitis*; & *L. Conventicula C. de Episcopis, & Presbyt.* 2. Quia Concilia in locis Imperatori subjectis fieri debebant. 3. Quia Concilia publicis sumptibus fiebant ullo absque dispendio Ecclesiarum, ut patet ex lib. 3. vitæ Constant.; Theodoreto lib. 2. cap. 16; & epistola Constantini IV. ad Pontif. lecta in VI. Synodo. 4. Quia Imperatorum ope, & opera Pontifices ad id indigebant, res enim ipsis adversus refractarios erat. Denique in Concilio Florentino a Græcis Rom. Pontifici asserta est potestas convocandi Concilia; eamdemque ultrocitroque asseruere Eusebius lib. 5. cap. 24. referens Polycratis Ephesini Episcopi epistolam ad S. Victorem Papam, qua ait se a Victore postulatum, ut Synodum faceret; & lib. 6. cap. 46. referens epistolam S. Dionysii Alex. ad S. Cornelium, qua ait se invitatum ad Synodum Antiochenam adversus Novatiani schismas. Harmenopolus in præfat. epitom. Canon., ubi de adunatione Concilii Sardicensis ait: *Ex ipsorum Imperatorum, & Romani Episcopi sententia* 341. *Episcopi in hac Synodo Sardicæ convenerunt*; Hincmarus in opusc. 55. cap. 20; Auctor Capitularium Reg. Franc. lib. 4. cap. 12, & lib. 6. cap. 287; S. Thomas opusc. 20. lib. 3. cap. 19; Nicolaus Cusanus lib. 2. de concord. cap. 2; Almainus lib. de dominio Nat., Civil., & Eccles.; Gersonius lib. de auferibilit. Papæ; præsertim vero Thomassinus differt. 3. in Concilia;

cilia; Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 12; Natalis ad sæcul IV. hist. Eccles. dissert. 11, aliique passim de schola homines. Ex quibus illud sequitur Pontificum juris quoque esse Concilia solvere, transferre, continuare &c. quod sibi acerrime vindicarunt Eugenius IV. pluribus Constit. præcitatis; & Leo quoque X. Constit., quæ incipit: *Pastor æternus* in Lateranensi V. Concilio evulgata. Adeundus Clariss. Pagius in Crit. Baronii ad annum 325. n. 8, & seqq., ubi Launojum pro meritis castigat, & profligat.

Launojum anteiverant in errore, aut ad eum postmodum accesserunt, Lutherus lib. de Concilio, Calvinus lib. 4. Institut. cap. 7. §. 8; Illyricus Centur. 4. cap. 7; Carolus Molinæus in consilio de Concilio Trident. non recipiendo §. 6; Basnagius ad annum 325; Dupinus,aliique passim, quibus nihil antiquius,quam Romani Pontificis jura lacessere,& labefactare: effutientes nempe id juris esse Imperatoris Concilia generalia indicere, non secus ac Regum indicere Nationalia. Nec dispar abivit Petrus de Marca lib. 6. Concor. cap. 28, istiusmodi juris primum sibi vindicasse Pelagium II. audacter adfirmans. Præclarum e contra Pelagii II. testimonium, quo uni Pontifici generalis Concilii indicendi jus adstruit, nobis adimere pertentant nonnulli intemperatioris Critices viri:quibus levem ob causam accessere Labbeus tom.4.illud spuriis,atque ab Isidori confictis deputans; Pagius ad annum 588. n. 7; nec non doctiss. Berardi in suo Gratiano emendato part. 2. cap. 58. eamdem Pelagii II. epistolam ad apocrypha amandantes, ejusdemque exemplar descriptum a S.Gregorio M.lib.4. indict.13. epist. 36. ad Eulogium Alexandrinum aliud plane fuisse ab eo, quod nunc extat in collectione Isidori, arbitrati. Ad hæc Concilium Ephesinum saltem a solo Theodosio indictum contendit Garnerius part. 2. differt. 2, tum quod antequam Nestorio Decreta S. Cælestini una cum litteris S. Cyrilli exhiberentur, jam a Theodosio Concilium fuerit convocatum, quippe die 19. Novemb. anni 430. edictum de celebranda Synodo anno sequenti die 6. Junii recurrente eadem die Pentecoste evulgatum legitur: decreta vero S.Cælestini una cum S.Cyrilli litteris nonnisi die 7. Decemb. ejusdem anni 430. Nestorio reddita fuisse conjicit ex Mario Mer-

catore in commonit., ubi refert a Nestorio sermonem habitum 6. die, postquam die 7. Decemb. SS. Cælestini, & Cyrilli litteras accepisset: tum quod si a Theodosio ex consensu S. Cælestini indictum Concilium fuisset, secummet pugnasset Pontifex; utpote qui hinc latam ab se contra Nestorium sententiam innotescere voluit, illinc Nestorii caussam a Concilio dijudicari voluisset. Sententiæ nostræ S. Julium etiam eripere voluit Coutantius in notis ad epist. S. Julii ad Orient., dum Socratem, & Sozomenum S. Julii sensum non assecutos affirmat, eum de una Ecclesia Alexandrina Romanæ speciali nexu conglutinata intelligendum esse autumans.

Verumtamen ex allatis contra Launojum concidere pariter Heterodoxorum objecta oportet, quæ proinde velle retexere nihil esset aliud, quam dispendium operæ facere, tempusque inutiliter terere. Momento nihilominus e rei natura petito argumentando superaddam ad illius potestatis speciem pertinere Concilia indicere, & cogere, cujus est in Conciliis supremo jure dijudicare, & decernere: illius vero est in Conciliis decernere, & dijudicare, cujus speciei sunt, quæ ibidem dijudicantur, & decernuntur: at in Conciliis de rebus ad Religionem spectantibus dijudicatur, & decernitur, igitur supremo jure dijudicare, & decernere in Conciliis ad eum spectat, ad quem spectat suprema potestas in rebus ad Religionem spectantibus. Is autem est Pontifex dubio procul, ideoque Concilia indicere, & cogere ad Pontificem unum spectat. Præterea Concilium universale universalem Ecclesiam repræsentat, atque ex Ecclesia universali cogendum, indicendumque est: igitur indici debet, cogique ab eo, qui universæ Ecclesiæ præest, atque in universam Ecclesiam pollet: at is unus est Pontifex, non item Imperator. Quæso enim, quæ esset Dei providentia erga Ecclesiam, si rem adeo gravem, qualis congregare Concilia, Imperatori permisisset, qui in totum Orbem Christianum non potest, etsi aliquando potestatem habuit, jam amisit? Istiusmodi jus una cum partitione Imperatorii fastigii, jurisque in Reges pariter divisum dicendum esset, ideoque nonnisi ex Imperatoris, Regumque unanimi consensu, & voluntate cogi demum Concilium deberet. Quid vero si adnuente Imperatore, renuant Reges? Viden

quæ

quæ ad absona deducat error iste! Quod si frequens, quod non inficior, Concilia vel Nationalia, vel Provincialia a Regibus, & Principibus indicta, ipsis imo præsentibus, ac præsidentibus celebrata leguntur, id totum factum, ut superius dicebam, non potestate regiminis, sed potestate præsidii, non jure, sed indulgentia, & si vellis jure, non jure principali, sed jure patrocinali, quo nempe Principes Ecclesiasticorum jurium defensores, & custodes agere debent; quo de argumento copiosius alibi. Sub hac ratione accipi debent, si quando Synodi indictæ a Regibus, in Hispania præsertim, & Gallia leguntur, cujus generis fuere Lucensis anno 569. a Theodomiro; Bracarensis III. anno 572. ab Ariamiro; Toletana III, & Narbonensis anno 589., nec non Cæsaraugustana II. anno 592. a Recaredo; Toletana IV. anno 633. a Sisenando; Toletana V, & VI. anno 638. a Chintilla; Toletana VII. anno 646. a Chindasvindo; Toletana VIII. anno 653. a Recesvindo; Toletana XI. anno 675. a Wamba; Toletana XII. anno 681, & Toletana XIV. anno 684. ab Ervigio; Toletana XV. anno 688., Cæsaraugustana III. anno 691, & Toletana XVI. anno 693. ab Egica. Quæ in Galliis præterea indictæ a Regibus Synodi leguntur, inter quas Aurelianensis I. anno 511. a Clodoveo; Aurelianensis II. anno 533. a Childeberto; Arvernensis anno 535. a Theodeberto; Aurelianensis V. anno 549. a Childeberto; Arvernensis II. anno 546. a Theodeberto; Tullensis anno 550. a Theodebaldo; Parisiensis II. a Childeberto; Lugdunensis anno 567. a Guntramno; Turonensis II. ann. 567. a Cariberto; Parisiensis IV. anno 573. a Sigeberto; Parisiensis V. anno 577. a Chilperico; Cabilonensis anno 579; Matisconensis I. anno 581; Valentina II. anno 584; Matisconensis II. anno 585. Pictaviensis, & Cabilonensis anno 589. a Guntramno; Parisiensis VI. anno 615. a Clotario II; Cabilonensis III. anno 650. a Clodoveo II., aliæque nonnullæ ab aliis. Videlicet 1. Ad partes Christiani Principis non inficiamur pertinere operam impendere, impenseque procurare, ut per se optimo loco Ecclesiastica disciplina stabiliatur, collapsa vero opportunè redintegretur, efficereque iccirco, ne Episcopi officio desint suo, atque si operæ sit pretium, id omne ab Episcopis in Conciliis communi studio, & con-

consilio curetur: Episcopis obtemperent Clerici, & obsequantur Laici. 2. In Conciliis agebatur, sive erat agendum semper quidem ds rebus Ecclesiasticis, sæpe sæpius præterea de rebus Civilibus, de rebus nempe ad Christianæ, Civilisque Reipublicæ regimen spectantibus. Circa res primi generis, congruum erat a Regibus curari propterea, ut Populorum depravati mores ad frugem restaurarentur, Ecclesiasticæ leges cujusque arbitrio non infringerentur, satagereque idcirico summopere, ut ad legum Ecclesiasticarum observantiam legibus suis Laici refractarii omnino adigerentur. Circa res 2. generis e re erat Regum ad ejusmodi res civiles curandas Concilia indicere, vel indictis interesse, nec Reges modo, sed Magistratus, sed Magnates convenire, ut communi calculo deliberarentur, atque utraque auctoritate Civili, & Ecclesiastica simul conveniente corroborarentur: quomodo postmodum frequens factum sub Pippino, Carolo Magno, Ludovico Pio, Clotario &c., atque confecta Capitularia observarunt viri Doctiss. Thomassinus vet., & nov. disciplin. par. 2. lib.3. cap.47, & 55., & Charlasius de libert. Eccles. Gallic. lib.5. cap.10 post Baronium, & Gretzerum. 3. Nihilosecius non semper Regum jussu, sed eorum consensu tantummodo, quem iccirco adhibendum opportune ducebant Episcopi, ut ita Conciliis res omnis ex sententia optime cederet, iretque omni meliori modo consultum, Concilia coadunata sunt. Si quando vero Regum jussu Concilia indicta sunt, id effectum sæpe sæpius Episcopis adhortantibus disciplinæ restituendæ percupidis, eoque præsertim tempore, quo ex Regnorum tumultibus, vel Ecclesiarum abusibus res divinæ, humanæque susdeque turbatæ maxima in Rempublicam christianam, civilemque incommoda intulerant: ac Conciliorum convocationi sæpissime ex pravo ingenio potentes Laici impedimenta apponebant; vel periculum erat, ne latæ in Conciliis leges, sive Clericis inobedientibus, sive Laicis intercedentibus in cassum abirent. Idcirco Principum opera desiderabatur, tanquam eorum, qui Canonum tutores essent, ac etiam, si velis, executores; non eo tamen, quo Petrus de Marca lib.6. cap.22. volebat, sensu, idest cum cognitione causæ; ita ut antequam Canonum observantiam urgerent, si quid obscuritatis emersisset,
Cano-

Canones interpretari possent: siquidem tritum est, & sequendum illud juris utriusque axioma: *Unde jus prodit, interpretatio quoque procedat*. Cap. *Inter alia* de Sentent. Excomm. cum suis Concord.; & LL. 9,10,& 11.Cod.*de Legibus*. Cæterum Concilia coacta innumera sunt sive in Oriente, sive in Occidente nullo præhabito, sive quæsito postea Regum assensu, uti liquido legenti Conciliorum Collectiones constabit. Etsi vero datemus, quod tamen nullo damus modo, principalis juris particulam esse Concilia Provincialia cogere, id tamen juris non esset trahendum ad generalia Concilia, quæ nonnisi in ejus sunt jus transcribenda, qui potestate in Ecclesiam, qua late patet, in Orbem Christianum diffusam, institutione divina defungitur.

Pelagius II. vel ingenti injuria afficitur, dum temere alieni juris usurpati traducitur: quum jus istiusmodi Pontificis omnino esse proprium ex dictis hactenus planum fiat: vel perperam epistolæ prælaudatæ auctor denegatur, siquidem genuinum ejus esse fœtum ostendit Baronius ad annum 587. ea ratione, tum quod liquido constat ex S. Gregorio M. lib. 4. indict. 13. epist. 36. a Pelagio II. acta Concilii Constantinopolitani sub Johanne in irritum missa, iccirco quod Pelagio inconsulto celebratum fuisset; tum quod a S. Gregorio cit. epist. 36. Pelagii epistolæ exemplar ad Eulogium Alexandrinum transmissum fuerit: nec tanti profecto sunt Criticorum conjecturæ, ut aliud a genuino apud S. Gregorium exemplar esse, quod Isidorus exhibet, evincant. Garnerii de indicto ab uno Theodosio Imperatore Concilio Ephesino conjectatio ex Mario Mercatore levi admodum negotio concidit. Observatum est enim a Baluzio in Collect. pag. 422, & Norisio loc. laudato in duobus Marii Mercatoris exemplaribus, quæ supersunt, Vaticano, & Bellovacensi legi non 7. Idus, sed 8. Idus, idest 6. Decembris, non 7; ideoque sensum esse cum sermonem a Nestorio habitum die 6. Decembris, 8. Idus, ac die 6. a redditis ei litteris SS. Cœlestini, & Cyrilli, quas proinde die 30. Novembris acceperat. Deinde etsi detur a Theodosio indictum Concilium, antequam Nestorio S. Cœlestini sententia innotuisset, non exinde conficitur absque Cœlestini conscientia, & assensu indictum Concilium. Nam jam die 10. Augusti in Romana Synodo

nodo Nestorium damnaverat; eique 10. dierum spatio ad resipiscendum designato, ab eodem tempore S. Cyrillo vices suas contra Nestorium demandaverat: quod inficiatus pro suo ingenio Launojus merito vapulat a Baluzio in Collect. pag.488., & a Pagio ad annum 431. n.7: quibus vicibus defungens S.Antistes universis Episcopis sententiam ab se in Nestorium latam denuntiaret, eamque executioni demandaret, ut constat ex Concilio Ephes. par. 1. cap.20. Sed & cap. 18. refertur epistola S. Cœlestini ad Nestorium, qua id omne ab se decretum confirmat. Proinde in vim decretorum ejusmodi S. Cyrillus vice S. Cœlestini Ephesino Concilio præfuit, Conciliumque congregari ab Imperatore impetravit, testibus Evagrio lib.1. cap. 3, & Nicephoro lib. 14. cap. 30. Itaque perperam Garnerius affirmavit absque Cœlestini conscientia a Theodosio congregatum Concilium. Pessime præterea argumentatus est: nec enim a S.Cœlestino Nestorii caussa ab se finita ad judicium Synodi postea dimissa fuit, sed Synodo dumtaxat sententiæ jam ab se latæ in Nestorium executio demandata, ut fusè suo loco est demonstratum, ac liquido adparet ex Commonitorio Legatis tradito apud Baluzium in collect., atque ex confessione Episcoporum act.2. Concilii Ephes.Postremo potiusquam Sozomenus, & Socrates, S. Julii I. locum in epist. ad Orient. interpretatus est perperam Petrus Coutantius. Locus is est in versione Petri Nannii: *An ignari estis hanc consuetudinem esse,ut primum Nobis scribatur,ut hinc quod justum est,definiri possit?* & paucis interjectis: *Non ita Patres docuerunt.* Quam Julius *Consuetudinem* vocat, *Legem Sacerdotalem*, & *Pontificiam* Sozomenus lib. 3. cap. 10, *Ecclesiasticam Regulam* Socrates lib. 2. cap.17. nuncupant. Recte sane: nam ita docuisse Patres, idest decrevisse idem Julius subtexit: scilicet lege Sacerdotali, sive Ecclesiastica regula. Ita etiam eumdem locum interpretatus est Ephiphanius Scholasticus lib. 4. hist. tripart. cap. 9, *Ecclesiasticam regulam* cum Socrate nuncupans. Ita authentice interpretatus est S. Damasus in epist. ad Illyricos, recolenda artic. super. §.2. Ita imo sunt interpretati tum Eusebiani ipsi apud Julium in præcit. epist., qui ad Concilium Romam a Pontifice acciti, non alteram inobedientiæ excusationem attexuerunt, quam longissi-
mi

mi itineris incommoda, ac brevioris temporis impedimenta: tum Ursacius, & Valens, qui in epist. ad eumdem Julium, ut Pontificis communionem promererent, inter alia professi sunt, se nulli Synodo deinceps adfuturos, cui Pontifici assensus non accessisset: *Profitemur*, inquientes, *etiamsi aliquando nos Orientales voluerint, vel idem Athanasius, malo animo ad caussam vocare, citra conscientiam Tuam nos non adfuturos*: tum Eustathius, Silvanus, & Theophilus Synodi Lampsacenæ Legati, qui in libello fidei S. Liberio oblato apud Socratem lib. *6*. hist. Eccl. cap. 12. præ aliis professi sunt se præsto esse in judicio coram Pontifice ipso ad periculum fidei suæ faciendum. Ita denique interpretati sunt Episcopi Synodi Constantinop. anno 382. in epist. Synodica ad S. Damasum apud Theodoretum lib. 5. hist. Eccles. cap. *9*., qua in Pontifice Maximo potestatem agnoscunt procul dubio se cogendi ad Concilium ajentes: *Ad Synodum, quam... Romæ congregastis, nos quoque velut membra propria piissimi Imperatoris litteris evocastis*: necnon Legati S. Leonis, qui in Concilio Chalcedon. act. 1. ea ratione maxime Dioscorum damnandum dixerunt: *Quod Synodum* (Ephesinam) *ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ: quod numquam factum est, nec fieri licuit*. Prætermitto pleraque alia, quæ paullo infra proferentur; concludamque præclaris S. Thomæ verbis in tract. advers. impugnantes Religionem relatis a Johanne de Turrecremata in respons. ad Basileenses: *SS. Patres*, inquit, *in Concilio congregati nihil statuere potuissent, nisi auctoritate Romani Pontificis interveniente, sine qua etiam Concilium congregari non potest*. Confer Nilum Rhodien. Metrop. in Synopsi Concil.; auctorem Anonymum lib. de sex Synodis Oecumen., & Auctorem libelli Synodici, qui aliis visus est S. Cyrillus Hierosolymitanus, aliis S. Germanus Constantinopolitanus, sed verisimilius scriptor est Anonymus IX. Sæculi, apud Harduinum in append. tom. 5., a quibus primæ in Concilio Pontifici semper attribuuntur.

Ex Jure præsidendi Conciliis generalibus.

§. II.

ID juris sequitur profecto ex præcedenti, seu idem cum eo indivisum est: illud quoque perinde infert primas esse Pontificis in ferenda in Synodo sententia, cui ceteri adquiescant, partes. Principio enim S. Petrum Conciliis Apostolicis præfuisse ex actis Apost. colligitur, docetque S. Hieronymus in epist. ad S. Augustinum inter Augustin. 11. Nicæno vero S. Silvestrum per suos Legatos Osium, Vitum, ac Vincentium; non autem Constantinum, ut volunt Brentius, & Launojus; vel Eustathium Antiochenum, uti contendunt Magdeburgenses, Lutherus, & Basnagius testimonio innixi Procli Constantinopolitani apud Facundum Hermian. lib. 8. cap. 1, & lib. 11. cap. 1; & S. Felicis III. in epist. 5. ad Zenonem Imper.; vel S. Athanasius, ut autumat Calvinus; vel S. Alexander Alexandrinus, ut alii malunt testimonio ducti epistolæ Synodicæ Nicæni Concilii ad Ecclesiam Alexandrinam; utque tradit ex testimonio Theodori Mopsvesteni Nicetas in Thesauro fidei orthod. lib. 5. cap. 7; præfuisse, inquam, per suos Legatos constat ex S. Athanasio in apologia de fuga sua, & in epist. ad solitarios, qua Osius vocatur *Princeps Synodorum*; ex Gelasio Cyziceno lib. 2. hist. Concilii Nicæni cap. 5; ex Photio Codice 88; & lib. de VII. Synodis apertis verbis illos Silvestri locum supplevisse testantibus; ex Socrate lib. 1. capp. 5, & 9; ex Theodoreto lib. 1. hist. cap. 6. a S. Silvestro Legatos illos missos fuisse referentibus; ex Epitome Canonum, quam Hadrianus Pontifex Carolo Magno obtulit anno 787, ut autumat Sirmondus, seu ut alii verisimilius existimant, sicuti Coutantius, 774; ex Hincmaro Remensi in opusc. 55. cap. 20; ex Auxilio lib. de Ordinat. Formosi cap. 15; ex S. Gregorio VII. apologetici cap. 3; ex S. Leone IX. in epist. ad Michaelem Cerularium idipsum affirmantibus; ex subscriptionibus tandem apud Labbeum bis, terque repetitis, nec non in Arabico vulgato a Seldeno in comment. ad Origines Eutychii pag. 90, ubi Apostolicis Legatis primæ deferuntur. Confer, qui plu-

plurimis egregie hæc persequitur adversus Launojum, Clariss. Pagium ad annum 325. n. 11, & seqq. Quod si Eustathius, vel Alexander præfuisse commemorantur, id plane intelligendum, quod inter primos fuerint, utpote Sedium Patriarchalium Antistites, aut quod ex primis rebus agendis operam diligentem navaverint, atque demum inter spectatissimos fuerint, qui interfuere, non vero, quod omnino præfuerint. Quod iterum si Vitus, & Vincentius dumtaxat S. Silvestri vicibus apud scriptores nonnullos, veluti Sozomenum lib. 1. cap. 16, & Theodoretum lib. 1. cap. 6. defuncti perhibentur, scire operæ est pretium cum doctiss. Perronio duplex esse distinguendum Legatorum genus ad Concilia generalia: nam aliqui Episcopi erant ex corpore Romanæ Patriarchalis Ecclesiæ delecti, velut Arcadius, & Projectus in Concilio Ephesino; Paschasinus, & Lucentius in Chalcedonensi; atque ita Osius in Nicæno: quibus adjuncti quandoque alii leguntur, uti a S. Cælestino S. Cyrillus Alexandrinus, & a S. Leone Julianus Coensis, qui tamen, sicut adnotavit Rusticus Diaconus actorum Concilii Chalcedonensis latinus interpres, non se Vicarium; quemadmodum se alii Legati enuntiaverant, sed Legatum dumtaxat Apostolicæ Sedis dixit. Alii vero Presbyteri ex corpore S. Romanæ Ecclesiæ particularis selecti, uti Vitus, & Vincentius in Concilio Nicæno; Archidamus, & Philoxenus in Sardicensi; Philippus in Ephesino; Bonifacius, & Basilius in Chalcedonensi. Ratio ita agendi ea erat, quod nusquam Occidentalis Ecclesia ad Concilia œcumenica extra Occidentem celebranda conveniebat, sed Romanus Pontifex Romam convocato Concilio vel ex solo Romano Clero, vel ex Episcopis aut Romam confluentibus, aut ex Romana Diœcesi accitis, vel etiam ex Occidente, ex eo relationem per Legatos ad Orientis Concilia dirigebat, unde Legatorum, quos unus deligebat Pontifex, atque tum suo potissime, tum nomine totius Occidentalis Ecclesiæ mittebat, alii Episcopi erant ex Concilio delecti, alii Presbyteri ex Romana Ecclesia designati: de primis loquuntur S. Athanasius, Gelasius Cyzicenus, Photius, Socrates &c., quum Osium Nicæam a S. Silvestro Legatum missum scribunt; de secundi vero generis Legatis loquuntur Sozomenus, & Theodoretus, quum de Vito, & Vincentio dumtaxat fantur.

Secundo generali Concilio, seu Constantinopolitano I. quisnam præfuerit in incerto versatur. Bellarminus loc. cit. Nectarium præfuisse censet. At vero in Concilio Maximus Cynicus Constantinopolitanæ Sedis invasor abdicatus, Sedi illi restitutus S. Gregorius Nazianzenus, cui tamen pacis studio nuncium remisit, ejusque in locum Nectarius suffectus id suadent ei Concilio præesse non potuisse. Esto enim a Sozomeno lib. 7. cap. 9; a vetere Codice canon. Rom. Eccles. Hadriano I. adscripto, a Concilio Chalcedonensi in relatione ad Marcianum Augustum, & a Synodo VI. in serm. acclamat. ad Principem Nectarius præfuisse dicatur, id vel intelligendum ea ratione est, non quod principio Synodo præfuerit, nam tum Neophytus erat, & Laicus ex Ordine Senatorio, sed quod postquam in Concilio electus, sacratusque Præsul fuisset, tum præfuerit, ut indicat Photius lib. de VII. Synodis ajens: *Concilium Constantinopolitanum Præsides habuit Timotheum* (Alex.), *Meletium* (Antioch.), *& Cyrillum* (Hierosol.) *Nectarium praterea, qui nuper ab initiatorum grege separatus ... jam & Regiæ Civitatis Episcopus, & Concilii Præses declaratus est ... quibus haud multo post & Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans, atque eadem sentiens accessit*: vel intelligendum est ea ratione, quod quum tres intra annum Constantinopoli celebratæ fuerint Synodi, quarum primæ neutiquam œcumenicæ præfuit S. Meletius; tertiæ nec ipsi œcumenicæ, ex qua ad SS. Damasum, Ambrosium, & alios Episcopos Romæ in Synodo collectos Synodica relatio actorum in Synodo II. vere œcumenica missa est, præfuit Nectarius; at secundæ vere œcumenicæ Nectarius non præfuit; sed præfuit verisimilius Timotheus Alexandrinus Patriarcha, uti ex narrationibus Socratis lib. 5. cap. 8; Photii loc. cit.; Synodi VIII. act. 6; Libelli Synodici, & Cedreni in compendio histor. censent Natalis ad sæcul. IV. dissert. 36. art. 2. ajens propterea errore facti deceptos Patres Concilii Chalced., & Synodi VI. dixisse Nectarium Synodo II. præfuisse, nam tres Synodos unius anni intervallo Constantinopoli celebratas in unam confudere; Pagius loc. cit.; Tournellius de locis Theolog., ubi de Synodo II, aliique: ex quibus illud conjicere est revera huic Synodo Constantinop., ut oportuisset, per Legatos suos haud præsedis-

sedisse S.Damasum, neque proinde ceu œcumenicam habitam, uti liquet ex epist. 2. Concilii Italiæ ad Theodosium Imperat., qua Concilio Constantinopolitano ceu particulari objiciebatur Synodus Romana sub S.Damaso, donec Pontificis assensus accessisset. Scilicet anno sequenti 382. Episcopi rursus Constantinopoli congregati de gestis priori anno in Synodo per epistolam monuere S. Damasum apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. confirmationem actorum postulantes hisce verbis: *Quibus tanquam canonice, ac legitime apud nos constitutis vestram quoque Reverentiam gratulari hortamur intercedente spiritali caritate, & Domini timore, omnem quidem affectum comprimente, Ecclesiarum autem ædificationem privatæ erga singulos benevolentiæ, & gratiæ præponente ...* Ex quo futurum ajunt: *Ut quum verbum Dei communi sensu stabilitum, & Christiana inter nos caritas confirmata fuerit, dicere desinamus, ego quidem sum Apollo, ego autem Cephæ.* In ea quoque caussam, cur Romam (nam Romam ad Synodum a S. Damaso fuerant vocati) vocati non adiissent explicarunt; quibus acceptis a S. Damaso paullo post definita contra Macedonium fuisse confirmata, non etiam gesta, sive Canones admissos in Concilio editos, liquet ex S. Gregorio M. lib. 6. epist. 31; quo ex tempore Concilium illud cœpit obtinere. Legendæ epistolæ cum S. Damasi ad illos, tum illorum ad S. Damasum, quas loco cit., & cap. 10. recenset Theodoretus.

Bossuetius lib. 12. cap. 8. ex his contendit confirmationem a S. Damaso expostulatam eò collineasse dumtaxat, ut ejusdem ac Occidentalium Episcoporum haberetur assensus, in cujus unitate totum auctoritatis robur consistere vult. Verum Romani Pontificis non modo assensum, sicuti cujusque Episcopi, sed revera auctoritatem ad Conciliorum decreta roboranda necessarium multis infra ostensuri, hic illud tantummodo observandum volumus; tum quod ipse S. Damasus, & Successores usque ad Innocentii III. epocham Canonem 3. hujusce Concilii de præeminentia Constantinopolitani supra Alexandrinum Episcopum irritum voluerunt; tum quod S. Damasus ipse una cum Synodo Romana 90. Episcopor. in epist. ad Illyricos apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. Synodum Ariminensem nihili habendam declaravit, ideo quod illi non

non accessisset Romani Pontificis sententia, & auctoritas; tum quod asserentibus, qui supra, Patribus Synodi VI, & Photio Macedonianæ hæresis profligator præcipuus S. Damasus habitus est Synodum II. confirmans. Nec vero moram injiciat, quod ait S. Hieronymus in epist. 27. ad Eustochium Orientales Romam ad Synodum Imperatoris litteris fuisse accersitos: cur enim ita ajeret, uti recte conjicit Coutantius in monito ad epist. 13, in caussa fuere Imperiales litteræ Synodicæ S.Damasi adjunctæ: nam alioquin a S.Damaso Orientales Romam accitos constat ex Theodoreto lib. 5. cap. 9, Sozomeno lib. 7. cap. 11, & Epiphanio Scholastico lib. 9. cap. 18. nedum, sed evidenter ex ipsius epistolæ epigraphe, ac textu superius relato.

Concilio Ephesino generali III. S. Cælestini vice, & nomine præfuisse S. Cyrillum Alex., Arcadium, & Projectum Episcopos, & Philippum Presbyterum adparet ex Concilio act. 1, 3 & 5; ex epistola S. Cælestini ad Clerum Constantinopolitanum; epist. ad Synodum Ephesinam; epist. ad Theodosium; & epist. ad S. Cyrillum; ex Synodo Chalced. act. 5; ex S. Leone epist. 47; ex Menna Constantinopolitano Episcopo in professione fidei inserta Vigilii Papæ Constituto; ex Liberato breviar. cap. 5; ex Marcellino Comite in Chronico; ex S. Nicolao I. epist. 9. ad Michaelem Imper.; ex S. Gregorio VII. apologet. cap. 3; ex Photio lib. de VII. Synodis; ex Evagario lib. 1. cap. 4; ex Zonara tom. 4. annal.; ex Cedreno in compend. hist.; ex Nicephoro lib. 14. cap. 34; denique ex Synodo VI. in serm. prosphonetico ad Constantinum Pogonatum act. 18; & ex Florentino sess. 5. Adeundi Thomassinus dissert. 10. in Concil. Ephes., Natalis ad Sæcul.V. dissert.7., & Bellarminus lib.1. de Concil. cap. 19, nam otium non est plura prosequi. Concilio Chalcedonensi S. Leonem Magnum per suos Legatos Paschasinum, & Lucentium Episcopos, & Bonifacium præfuisse ostendit Natalis in hist. Eccles. Sæculi V. dissert. 11. quæst.2. ex epist. 49. S. Leonis ad Marcianum; 71. ad Julianum Coensem edit. P. Quesnelli, & 47. ad Synodum Chalced.; ex Synodo ipsa Chalced. actionibus 1, 2, 3, 6, & relatione Synodica ad S. Leonem; ex epist. Vigilii Papæ ad universos Christifideles; ex epist. 5. Pelagii II. ad Episcopos Istriæ;

ex

ex Facundo Hermian. lib.5. cap.5; ex Liberato in brev. cap.13, & Evagrio lib. 2. cap. 1. Quod si Anatolius Constantinopolitanus Antistes eidem præfuisse legatur apud Synodum VII. act. 1; Sardianam item Synodum in epist. ad Leonem Imp.; Photium lib. de VII. Synodis; Cedrenum in comp.; Zonaram tom. 5. annal.; Nilum in lib. de Synodis, aliosque Græcos id significat eum quidem supra ceteros Patriarchas, non etiam supra Apostolicæ Sedis Legatos primum locum tenuisse. In eo vero Concilio S. Leonis nomine in Dioscorum sententiam dixisse Legatos, non secus ac in Ephesino nomine S. Cælestini in Nestorium a S. Cyrillo pronunciatum fuisse alibi diximus, & patet ex actis.

Quintæ Synodo Oecumenicæ non præfuit equidem Vigilius, bene vero Eutychius Constantinopolitanus Antistes, ut patet ex Synodo ipsa collat. 1. At illi præesse jure suo potuisse Vigilium exploratum fit ex epist. Eutychii ad Vigilium; ex Synodo Mopsuestena in relatione actorum contra Theodorum Mopsuest. ad Vigilium, quæ in Synodo collat. 5. lecta est; ex eadem Synodo V. collat. 5; & ex Photio lib. de Synodis. Quin ex hoc eodem defectu præsentiæ Vigilii per se ipsum, vel per Legatos id consequi necesse erat, ut Quinta Synodus infirma remaneret, inter œcumenicas minime recensenda, nisi ei Romani Pontificis assensus postea accessisset: accessisse vero Vigilii primum patet ex epistola ejusdem ad Eutychium, & ad Synodi Patres: Pelagii I. postea liquet ex ejusdem epist. 3, & 5. ad Narsem, & Tusciæ Episcopos schismaticos: Pelagii II. præterea ex ejusdem epist. ad Eliam Aquilejensem, & Istriæ Episcopos diro schismate discissos: S. Gregorii Magni postremo fit planum ex ipsius epist. 24. lib. 2. ad Johannem Constantinopolitanum; 36. lib. 2. ad Episcopos Istriæ; 57. lib. 7. ad Secundinum Monachum, nec non 37. lib. 3. ad Constantium Mediolanensem. Quapropter temere plane scripsit Halloixius, dum in suo *Origene defenso* scripsit: Quintam Synodum magis ab Ecclesia toleratam esse, ac permissam, quam grato, & volenti animo admissam, ac receptam. Multo autem minus a schismatis persona excusantur Istriæ, Liguriæ, &c. Episcopi diu Synodo illi reluctantes, apud quos nihil non egere Pelagius uterque, & S. Gregorius M., ut illos ad meliorem frugem reducerent;

cerent; quamvis indulgentia agendum magis ipsis visum sit cum Hispanis diutius eamdem Synodum non recipientibus: quod eam palam, ac procaciter Hispani non impeterent, & alioquin ea in Synodo non de fide, sed de personis actum fuisset. Sed de his satis alibi disputatum est. Neque est vero, quod obtrudat Basnagius Concilio Constantinopolitano, quod præcessit V., præsedisse Mennam Patriarcham Constantinop., non autem Sedis Apostolicæ Legatos, etsi præsentes adessent. Præter enim quam quod dispar est ratio, quum agitur de Concilio Patriarchali, Legati Apostolicæ Sedis Constantinopoli tandiu legationis munere defuncti sunt, quandiu abfuit S. Agapetus. Post S. Agapeti adventum, quoad vixit, illius partes adjuvarunt; eo verò defuncto, Constantinopoli quidem permanserunt aliquandiu, sed amplius Legationis officio minime defungentes. Igitur Concilio sub id temporis a Menna coacto interfuerunt quidem nomine proprio, non etiam nomine Pontificis. Cæterum Mennas ipse dignitatem suam Romano Pontifici acceptam retulit; atque in Concilio ita agnitum supremum Pontificis jus fuit, ut in ferenda adversus Anthimium sententia Episcopi se Pontificis Agapeti sententiam sequi professi sint, ut proinde Mennas nihil attentasse adversus Pontificis jus præsidendi Concilio sit facile reputandus.

Synodo VI. generali præfuisse S. Agathonem per Legatos res est extra dubitationis omnis aleam posita, patetque ex Synodi ipsius act. 1, & 18; ex Diurno Romano item in professione fidei, quam recens electi Pontifices emittere consueverant; ex Scriptorum testimonio, Cedreni in compend., Zonaræ tom. 4. annal., & Nili lib. de Synodis; unde quum leguntur apud V. Bedam, Hincmarum, Marianum Scotum, & alios Synodo VI. præfuisse Georgius Constantinopol., & Macarius Antiochenus, illos Scriptores turpiter allucinatos fuisse dicendum est, eo quod falso existimarunt eos Synodo præfuisse, quia ad dexteram Imperatoris sederant, cujus lævam tenuerant Legati S. Agathonis. Nam lævam in Ecclesia apud Græcos aliquando habitam honoratiorem dextera alibi a nobis demonstratum est; & alioqui præsidendi partes ex sessione ad dexteram non esse æstimandas, ex ordine sessionum in Concilio Chalcedonensi, in quo Legati S. Leonis sini-

stram

ſtram occuparunt, compertum eſt. In Synodo VI. adamuſſim ſententiam a Patribus ſubſcribendam a S. Agathone fuiſse propoſitam, quia alibi demonſtravimus, non eſt cur hoc in loco actum agamus. Obſervandum hic obiter Pagium in brev. in vita S. Agathonis perſuaſum habuiſse, quod quamvis olim ad Synodos Orientis generales mitti conſueſsent Legati Apoſtolicæ Sedis, quibus perſona Pontificis imponeretur, quique vices agerent Concilii Romani, in quo eorumdem legatio decernebatur, S. Agatho tamen duplicis generis Legatos ad hanc Synodum direxerit, ſcilicet Theodorum, & Georgium Presbyteros, & Johannem Diaconum, qui utpote S. Agathonis vices gerentes omnium primi ſubſcripſerint: præterea tres Epiſcopos Johannem Portuenſem, Johannem Regienſem, atque Abundantium Paternenſem vice totius Concilii Occidentalis dimiſerit. Qua de re, ut obſervavit etiam Petrus de Marca lib. 5. concord. cap. 6, antiqua Legationis ratio nonnihil mutata ſit, id poſtulante Conſtantino Imp. in epiſt. ad S. Agathonem; cujuſce poſtulati ratio Petro de Marca ea viſa eſt, quod Romana Sedes nonnihil invidia laboraret apud Orientales ob damnatos in Synodo Romana a S. Martino Papa Patriarchas Orientis Monothelitas. Qui quidem Legati vice totius Concilii Occidentalis ſubſcripſiſſe leguntur nedum poſt Legatos Pontificis, ſed poſt Patriarchas Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum; imo poſt tres Metropolitas Theſſalonicæ, Cypri, & Ravennæ. Verumtamen hunc priſcum fuiſſe morem, neque immutatum veriſimilius cum Perronio, & Natali cenſendum eſt, videlicet quum ex Occidente nullus Orientis Conciliis comparere ſoleret, id decebat quammaxime, ut dirigerentur tum qui Pontificis Romani, tum qui Romani Concilii perſonam gererent. Queſnellus pro ſuo erga Pontifices peſſimo ingenio ſuſque deque pervertere aſſuetus quæcumque Pontificis ſupremo juri faverent, diſsert. 8. de cauſsa Eutych. ut clanculum, ac veluti per cuniculos inſinuaret cauſsas ad Pontificem delatas, pariter ad Epiſcopos diſtrictus Occidentalis devolutas intelligi debere, Legatos eoſdemmet, qui Pontificis nomine, ac vice interveniebant, vice, ac nomine peræque Epiſcoporum Occidentalis Eccleſiæ Conciliis in Oriente celebrandis interfuiſse

comminiſcitur. At commentum iſtud purum putumque ex eo uno penitus concidere neceſse eſt, quod Legatos alios e latere Pontificis, alios ex Concilio, & quidem Romano dumtaxat, non etiam ex Occidentis Epiſcopis coadunato directos ad Synodos ſive Epheſinam, ſive Chalcedonenſem, liquido conſtat tum ex S. Cæleſtini commonitorio Legatis tradito; epiſtolis ad Synodum Epheſin.; ad Theodoſium Imp.; & ad S. Cyrillum Alexand.; nec non ex actis Synodi Rom. adverſus Neſtorium, ut adnotavit Baluzius: tum ex S. Leonis epiſtolis 12. ad Theodoſium Imp.; 15. ad Synodum Epheſin.; 18. ad Pulcheriam Aug.; & 35. ad Synod. Chalced. vet. edit. Recole dicta art. II. §. II, quæ repetere nec opus eſt, nec opportunum.

Synodi VII. Præſides delectos, qui Pontificis vice defungerentur, ab Hadriano Pontifice Maximo Petrum Archipresbyterum S. Petri, & cognominem Petrum Abbatem Monaſterii S. Sabæ liquet ex epiſt. Hadriani ad Taraſium Epiſcop. Conſtantinop.; ex Synodi act. 1, 5, & ſubſcriptionibus, quas primo loco appoſuere illi; & ex Theophane in Chronographia, ut nullus dubitandi ſuperſit locus. Propterea ſi a Græcorum nonnullis Scriptoribus, Photio lib. de VII. Synodis; Nilo Rhod. lib. de Synod., & Auctore libelli Synodici præfuiſse illi Synodo Taraſius fertur, parum illis deferendum eſt: niſi mavis dicendum illos latiori appellatione Taraſium Præſidem Synodi ſcripſiſse, ſcilicet, quia Græcorum Epiſcoporum primus interfuit, & ſubſcripſit. Illud quoque hic animadvertiſse juvat, quod ipſa Synodus VII. act. 6. ea præſertim ratione pſeudo-Synodum Conſtantinopolitanam, atque quidem ex 338. Epiſcopis conflatam ſub Copronymo ad Iconomachiam propugnandam coactam, generalis Concilii nomine non eſſe donandam dixit, quinimo ſub peſſimo nomine proſcripſit, quod nec ei per ſe, nec per Legatos Romanus Pontifex præfuiſſet: *Quemadmodum*, inquiens, *lex edicit Conciliorum*. Poſtremo Synodo VIII. Hadrianum II. præfuiſſe per Legatos Donatum Oſtienſem, Stephanum Nepeſinum Epiſcopos, & Marinum Diaconum adparet ex epiſt. Hadriani ad Baſilium Imper., ex Synodi act. 1, 8, 9, & 10; ac Anaſtaſio Bibl. in vita Hadriani II, ut in luce meridiana cæcutire ſit in contrariam ire ſententiam. De Conciliis Occidentali-

talibus otiosum est sermonem instituere, quum ipsis dubio procul omni Pontifices Romani præfuerint, ut toto ostio a veritate aberraret, qui veritatem certissimam in dubitationem vel levissimam adduceret. Id unum addere juvat, quod ea ratione necesse est Pontificem Conciliis præesse, ut Ecclesiæ unitas servetur, unique Pontifici Romano consocientur ceteri Ecclesiarum Præsules. Hinc S. Gelasius in epist. 1. ad Euphemium Constantinopolitanum Episcopum eumdem arguebat, quod nomen Acacii extra communionem Apostolicæ Sedis defunctum retineret in albo. Hinc Dardaniæ Episcopi in epist. ad eumdem S. Gelasium, posthabito demum Acacio, Gelasium ipsum se sequi profitebantur, & Apostolicæ Sedi communi fide, & devotione parere. Hinc Orientales Episcopi in epist. ad S. Symmachum, ipsi Pontifici, non autem schismatico Acacio se adhærere gloriabantur. Hinc S. Avitus Viennen. Gallorum omnium Episcoporum nomine in epist. 87. ad S. Hormisdam omnes super statu fidei ipsius captare sententiam pollicebatur. Similia scripsere de Hispanis S. Hormisdas in epist. 5. ad ipsos directa; de Afris Liberatus in brev. cap. 18; de Orientalibus S. Felix III, & S. Symmachus in epist. ad Orient., ipsique Orientales in epist. ad S. Symmachum; S. Augustinus epist. 162; S. Optatus Milevit. lib. 2; S. Prosper lib. de dimidio temporis cap. 5; & S. Lantfrancus Cantuar. in Synodo anno 1072. habita. Adeundus Thomassinus dissert. 16. in Synodos Constantinopolitanam, & Romanam anno 518, & 520. celebratas. Pleraque nos infra fusiori oratione prosequemur; ad alia jam sermo properat noster, postquam unus vel alter a Protestantibus interjectus lapis fuerit amotus.

Vetus est Novatorum ad infringendam, quo magis possint, Romani Pontificis auctoritatem, commentum, & calumnia, cui veri speciem obducere postea Lannojum non puduit, præcipuas in Conciliis partes, ac etiam Præsidis Imperatori esse tribuendas. Ita Constantinum M. in Concilio Nicæno egisse supremum Episcoporum Præsidem. Ephesino, & Chalcedonensi ideo leges sanxisse Theodosium, & Marcianum. In Francofordiensi *Auditorem, & Arbitrum*, ut idemmet loquitur in epist. ad Elipandum, Carolum M. adsedisse. Ita hoc ipso nomine Concilio Bononiensi

Carolum V, & Tridentino Henricum II. Galliarum Regem intercessisse, coramque insinuasse fore, ut facile Concilii auctoritas concideret, cui desiderari eorum assensum contingeret: itaque titulo isto, quod haud principali imperio, sed ad Pontificis jussionem indictum fuisset, auspicioque absolutum, Concilium Tridentinum a Lutheranis, & Calvinistis flocci, naucique factum est. Verum enim vero plurimis non opus est ad planum faciendum hæc a Protestantibus quam fide pessima, tam pravo uno ingenio viam inveniendi, qua Pontifici nocerent, vimque inferrent, excogitata esse. Constantinum M. certe eo in Concilio tantum adfuisse, ut Episcopos juvaret, non ut judicaret; tantumque abfuisse, ut ad Judicis partes adspiraret, ut potius inter Præsules judicaturos, nisi obsecratus, nec locum occupaverit: ab Arianis vero, ac Donatistis ad se ultro delatum judicis munus repulerit, auctores liquidi, locupletesque sunt Eusebius lib. 3. de ejus vita cap. 10, & lib. 10. hist. Eccles. cap. 2; Theodoretus lib. 1. cap. 11; Sozomenus lib. 1. cap. 17; S. Ambrosius in epist. 32. ad Valentinianum Imp.; S. Augustinus in epist. 162; ipsequemet Imperator in epist. ad Episcopos Concilii Arelatensis apud Labbeum tom. 1. pag. 1431. Ejus autem exemplo insistentes a rebus in Concilio tractandis religiose abstinuisse Theodosium, & Marcianum liquido adparet ex Theodosii epist. ad Synodum Ephesinam, qua *Candidianum*, inquit, *domesticorum comitem ad sacram vestram Synodum* (nomine suo) *abire jussimus, sed ea lege, & conditione, ut cum quæstionibus, & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat*. Qui si deceptus nonnihil deinde peccavit, Synodi acta rescindens, ac plusquam sibi liceret, in Ecclesiasticas causas fas arrogando, abunde tamen labem omnem detersit in epistola Synodica, quam suo quoque nomine ad S. Cælestinum scribi voluit, qua rerum gestarum Pontificem Synodus commonefecit, progressusque Synodi faustos est gratulata. 2. Adparet ex Marciani geminata epistola ad S. Leonem M. apud Harduinum tom. 2. pag. 42, qua Pontificis esse primas in Conciliis partes agere expresse profitetur. Quid autem, quod eo in Concilio Dioscoro in caussa sua Judices Laicos interpellanti Concilio coram Cecropius Sebastenus repo-

reposuit: *Quando Ecclesiastica negotia examinantur, neque Judices, neque aliquos laicos interesse oportet?* Quid tandem quod ejusmodi testes quammaxime idonei accesserunt SS. Gregorius M., & Nicolaus I. in litteris ad Mauritium, & Michaelem Imperatores? Si vero Synodo auditorem, & arbitrum se adsedisse Carolus M. commemoravit, id accipi dictum debet, quo exoratus fuerat ab Elipando, sensu, non proprio, quasi sententiam ferre ad se pertineret; quo nempe intervenisset æstimator justissimæ sententiæ in eum ejaculatæ: cæteroquin enim eadem in epistola in rebus Ecclesiasticis SS. Patrum inhærendum esse judicio, speciatimque Apostolicæ Sedi adquiescendum esse quam vere, tam explicate fatetur, & profitetur. Quo Henrici II. protestationi Tridentini Patres fecerunt satis, responsum apud Raynaldum legendum ad annum 1551. n. 34, satis idem, ac super est, quin alia, quæ in promptu essent, congeram, ad eam, quæ pariter a Carolo V. imprudenter fuerat interposita, elevandam prorsus, elidendamque. Protestantibus autem os jam pridem obstruxit Gaspar Cardilius, cujus argumenta invicti roboris cumulatissima e locis S. Scripturæ, SS. Patrum, Conciliorum, ac Principum etiam excerpta in epitomen redegit Raynaldus ad annum 1561. n. 56, & seq.

Ex jure reprobandi, aut confirmandi Concilia generalia.

§. III.

Istiusmodi juris particulam in eum perinde ingredi censum, in quo cetera insita privilegia, & jura Romano Pontifici reposita sunt, perspicuum imprimis fit qua Pontificum, qua Patrum, qua Scriptorum testimonia perlustranti. Enim vero S. Julius I. apud Socratem lib. 2. cap. 17. in epist. ad Episcopos Concilii Antioch. auctor est locuples eos contra Canonem Ecclesiæ egisse, quia ipsum ad Concilium non vocaverant, Ecclesiastico Canone jubente non oportere præter sententiam Episcopi Romani Canones condere Ecclesiis; & apud Sozomenum lib. 3. cap. 10. *Contra leges Ecclesiæ esse, quod ipsum ad Synodum non vocassent:* quorum

quorum simillima retulit, ut super. §. 1. innuimus, Epiphanius Scholasticus lib. 4. cap. 9. hist. tripart. Antiochenam Synodum irritam iccirco ajens, quia *Neque Julius ei interfuit, neque in locum suum aliquem destinavit*; *quum utique regula Ecclesiastica jubeat, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari*.

Ex hac S. Julii epistola perperam intulit Petrus Coutantius nequaquam confici quemvis Episcopum sine Romani Pontificis consensu judicari non posse: quamvis de Alexandrini Episcopi judicio aliter sentiendum arbitretur. Quare id discriminis? Quia nempe de aliorum judicio scribens, *Oportuit*, ait, *omnibus nobis scripsisse*, ut indicaret id judicii in Synodo dirimendum: quum vero de Alexandrino loquitur, *Cur*, scribit, *nihil Nobis scriptum est? An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum Nobis scribatur?* Nec addit *Omnibus*: speciale illud siquidem Alexandrinæ Ecclesiæ autumat, quod quia a S. Petro instituta, perinde Romano Pontifici speciatim obnoxia evasisset, prout conjecturam facit ex S. Leone I. in epist. 94. ad Galliarum Episcopos; & S. Gregorio M. lib. 7. ind. 15. in epist. 37. ad Eulogium Alexandrinum. At extraneam esse, coactamque Coutantii istiusmodi interpretationem id unum evidenter evincit, quod de Orientalium caussis decernere ad Occidentales non attineret: ratione vero Primatus, quo Romanus Pontifex in Alexandrinum potiebatur, in Orientales peræque omnes potis erat: utque præteream, quod in epistola ad S. Julium Eusebiani de injuria expostulare non destiterant iccirco, quia sententiam in Synodo Orientali depromptam Occidentalis Synodi judicio subjicere iterum voluisset, certe Marcellus Ancyranus, de quo res erat, in epistola ad S. Julium, quam a S. Epiphanio hær. 72. acceptam habemus, ad unum Pontificem, non etiam ad Synodum, retractandam caussam suam retulit: *Necessario*, ajens, *mihi Romam veniendum, & Te commonendum putavi, quò eos* (Eusebianos,) *qui contra me scripserunt, accerseres*. Itaque S. Julius, ut insinuaret rite ad tribunal suum trahi denuo debere, quæ inscio se, & inconsulto in Synodo Orientali de Episcoporum caussis actitata erant, suo dumtaxat usus est nomine *Nobis*: cui paullo ante pronomen *Omnibus* adjecerat,

ideo

ideo, ut indicaret juxta morem Romano Pontifici receptum ejusmodi caussas præsertim a veritate facti pendentes finiri in Concilio consuevisse.

Eamdem ob caussam, qua Antiochenam S. Julius, Synodum Ariminensem robore omni expertem declaravit S. Damasus in epistola ex Synodo 90. Episcoporum data ad Episcopos Illyrici, ut est apud Theodoretum lib. 2. cap. 22, & Epiphanium Scholasticum lib. 5. cap. 29; aut ad Orientales, ut inscribitur apud Holstenium in Collect. Rom. pag. 265, idest idcirco, quod S. Liberii decessoris sui ei defuisset sive auctoritas, sive assensus: *Neque enim*, inquiens juxta interpretationem Epiphanii Scholastici, *præjudicium aliquod fieri potuit per numerum* (quemcumque exagerassent Auxentius apud S. Hilarium, aut Julianus apud S. Augustinum) *Arimino congregatum, quando constat, neque Romanum Pontificem, cujus ante omnia decebat eos expectare decretum ... talibus præbuisse consensum*. Non inerat ab hac altera S. Innocentio I. sententia: testis imo idem accedit haud in absimili stetisse S. Siricium. Ad imitationem siquidem SS. Damasi, & Siricii in epist. 1. ad Anysium Thessalon., & 9. ad Rufum edit. Coutantii vices suas in Synodis agendas ita demandavit, ut graviora ad Apostolicum Tribunal dirimenda dimitterent; quæ vero fuissent dirempta, comprobanda pariter referrent. Neque vero alia conditione a Synodo Capuana sive Bonosi caussa Anysio, & Episcopis Illyrici; sive Evagrii, & Flaviani caussa Theophilo, & Ægytiis commissa est, quam ut præhabito diligenti examine finiendam decretorie, confirmandamque ad Romanum Pontificem referrent, ut habet S. Ambrosius in epist. 56. ad Theophilum. Hinc in epist. 2. ad Victricium cap. 6. majores caussas post Synodicum judicium ad Sedem Apostolicam deferri jubet suprema definiendas sententia. Hinc in epist. 7. ad Clerum, & popul. Constantinop. scribit Canones dumtaxat Nicænos recipiendos, alios vero eis adversantes respuendos: indicere autem Concilium curæ suæ interesse: istiusmodi demum juris particulam utique Pontifici insitam professus S. Johannes Chrysostomus legitur in epist. ad eumdem Innocentium. Hinc in epist. 29. ad Episcopos Concilii Carthaginensis, qua eorum adversus Pelagianos doctrinam, atque

que sententiam laudat, & confirmat, de suprema tamen Sedis Apostolicæ circa Synodos auctoritate subjungit: *Patres non humana, sed divina decrevisse sententia, ut quidquid quamvis de disjunctis, remotisque ageretur Provinciis, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate justa, quæ fuerit, pronunciatio firmaretur*: & ad Patres Concilii Milevitani: *Scientes*, scribit, *quod per omnes Provincias de Apostolico fonte potantibus responsa semper emanent; præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres, & Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, idest sui nominis, & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum Mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse... Quare Pelagium, Cælestiumque Ecclesiastica communione privari Apostolici vigoris auctoritate censemus*. Facto tandem facultatem hanc sibi supra Synodos confirmavit idem Innocentius, dum in Synodo latam sententiam in S. Chrysostomum irritam dixit: confirmavit e contra emissam adversus Bubalium, Taurianum, aliosque, qui ab ea ad se appellaverant, ab Episcopis Macedoniæ: ac dum in Africanorum gratiam Antistitum Canonum dispensationem indulsit. Ultro vero, citroque id perinde juris Pontifici adfirmarunt iidem Africani Episcopi hanc veniam obsecrantes; nec non Orientales, ac Macedones ab se gestorum in Synodis eidem rationem accuratam reddentes.

Decessorum suorum haud sententia dispar S. Zosimus ab Africanis adversus Cælestium jam conclusum judicium Romæ instaurare non abstinuit: cujus rei hanc reddit in epist. 2. ad eosdem rationem: *Magnum pondus examinis magna desiderant... His accedit Apostolicæ Sedis auctoritas, cui in honorem Beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem quamdam sanxere reverentiam*. Quod perinde jus proprium judicandi de Synodorum judiciis fuse prosequitur in epist. 3, & 4. ad Africanos Episcopos; peregregie vero comprobat in epist. 12. ad eosdem, in Tractoria, atque in Commonitorio Legatis suis tradito de appellationibus Episcoporum ad Apostolicam Sedem, quo de argumento copiose paullo post. Quid autem quod ab Africanis Episcopis ad Apostolicam Sedem provocantes, caussamque propriam deportantes Pelagius, Cæle-

lestius, & Julianus auspicio suo fecerunt apertam rem adeo hanc esse, atque in confesso, ut inficiari nemo vel impudentissimus posset? Confer quæ in caussa Apiarii de appellationibus ad Apostolicam Sedem Africani Episcopi scripserunt deinde ad S. Bonifacium I. Conferunt autem huc quam maxime, quæ idem S. Bonifacius in epist. 13. ad Rufum Thessalon., quem vices peragere suas præcipiebat, de causa Perigenis Corinthiorum Præsulis scripsit: scilicet eam ab se absolutam non amplius ad Synodicum Tribunal trahendam esse; nec imo sua absque conscientia licite, ac legitime Concilium cogi. Istiusmodi vero jus suum, summumque, ac supra Synodos explicuit etiam, atque etiam in epist. 14. ad eumdem; nec non in epist. 15, quam postquam Perigenis causam ad incudem revocari in Synodo interdixisset, subjungit: *Nemo unquam Apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit: nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari.*

S. Cælestinus iisdem vestigiis inhærens epist. 3. edit. Cout. Illyrici Episcopos, ne Rufo Thessalonicensi, cui vices commiserat suas, inconscio, & invito ad Concilium colligere se se auderent, voluit admonitos. In epist. 16. ad S. Cyrillum scribebat a Concilio Ephesi propediem habendo se abesse non debere; ideo, qui in illo suo potissimum nomine primas agerent partes, actutum dirigendos: quibus Commonitorio deinde tradito auctor fuit, ut in Synodo, tantum abest, certamen subirent, ut potius de Episcoporum sententia ipsimet solemni judicio experirentur. Ad hæc Synodum ipsam alloquens epist. 18, & 22, in Synodo quidem ab se decreta executioni demandari præcepit; quoad ea vero, quæ numeris absolvi a Synodo non potuissent, quid statuendum, quidve sequendum decretorie præscripsit. De ejusmodi quoque juris ne particulam quidem sibi decedere passus est S. Sixtus III, qui propterea in epist. 8. ad Synodum Thessalonicæ celebrandam, quæ a Decessoribus suis præfinita fuerat, observari legem præcepit, ne videlicet suis absque Legatis aut Conventus ageretur, aut grave aliquid exagitaretur. Explicuit vero expressius istud jus suum summum in epist. 10. ad Illyrici Episcopos, quos postquam de officio Anastasio Thessalonicensi Apostolicas vices agenti

exhibendo admonuisset, ab onere absolvit obtemperandi decretis a Synodo Orientali. *Nec his*, inquiens, *vos constitutis, quæ præter nostra præcepta Orientalis Synodus decernere voluit, credatis teneri, præter id, quod de fide, Nobis consentientibus, judicavit*. Quænam hoc Orientalis nomine designata a Sixto III. fuerit Synodus, quæve nam Constituta intelligi oporteat, quibus haud obligatos Illyricos denuntiabat, inter Eruditos non convenit. Holstenius indicatam credit Ephesinam, in qua ad Primatum Palæstinæ Juvenalis Hierosolymorum Antistes inhiasse habetur. Tillemontius hæc referenda existimat ad ea potius, quæ eadem in Synodo Ephesina act. 7. de Cypria Ecclesia in libertatem asserenda fuerunt exagitata. Baronius dicta vult accipi de Synodo Constantinopoli habita sub Proclo anno 439, in qua ipse amplificare dignitatem supra modum suam est adnixus; deque Primatu in partem utramque ab Alexandrino, & Antiocheno digladiatum, quasi nempe ad Orientis totius priorem honoris locum S. Cyrillus Alexandrinus adspiraret. Garnerius, & Pagius ad annum 439. n. 12, & seqq. intelligendam magis autumant Synodicam a Proclo ad Domnum exaratam de Athanasii Perrhensis Antistitis causa: quo facto visus sit Constantinopolitanus Præsul supra Antiochenum gradu assurgere, extollique auctoritate. Ad veritatem mihi videtur propius accessisse Petrum Coutantium, qui in monito ad præmem. epist. 10. innui conjicit a Sixto III. Synodum equidem a Proclo Constantinopoli habitam circa annum 437, non autem 439, in qua ab eodem Proclo amplificandæ auctoritatis studiosissimo adversus jura Thessalonicensis Ecclesiæ fuerit attentatum, nihilque non intentatum, quo Illyricum in suum jus transcriberet: ideo epist. 9. a Pontifice admonitum fuisse officii Thessalonicensi Episcopo juxta priscum morem impendendi, abstinendique ab alieno jure invadendo.

Quæ istiusmodi supra Synodos juris præclara sæpe præbuit specimina S. Leo re, & nomine Magnus, si persequi sermone vellem omnia, nescio si possem; ac si facerem, rem me frugi cuilibet facturum gratam opinarer: ut propterea satis, haberi superque possit, si ex innumeris pauca contexam. Igitur postquam in epist. 7. vet. edit. ad Flavianum acta in Synodo Constantinopolitana

tana ad ſuum traxiſset tribunal; in epiſt. 15. ad Synodum Epheſinam agenda eadem in Synodo indixiſset; in epiſt. 25. ad Theodoſium eadem in Synodo per fas, & nefas peracta reſcidiſset; in epiſt. 43. ad Marcianum, & 47. ad Synodum Chalcedonenſem ſummum in Synodum ipſam jus ſuum explicuiſſet, locum in ea primum ſibi faciens, legemque ab ea adimplendam præfiniens, in epiſt. 53. ad Anatolium Canonem 28. in Synodo conditum de prærogativa Conſtantinopolitani ſupra Patriarchas alios Orientis abjecit, & Anatolio Canonem 3. Concilii Conſtantinop. I. ad ſui defenſionem alleganti reſpondit: *Perſuaſioni tuæ in nullo penitus ſuffragatur quorumdam Epiſcoporum ante 60, ut jactas, annos facta conſcriptio, nequaquam a Prædeceſsoribus tuis ad Apoſtolicæ Sedis tranſmiſsa notitiam*: ita innuens eumdem Canonem abſque Sedis Apoſtolicæ conſenſu, & auctoritate editum omni deſtitutum robore evaſiſſe: unde in epiſt. 61. ad Synodum Chalcedonenſem, quæ de fide definita fuerant, ſe comprobare quidem affirmat, non autem quæ præterea fuerant attentata: quod repetit in epiſt. 62. ad Maximum Antiochenam: *Siquid*, ajens, *ab his Fratribus, quos ad S. Synodum vice mea miſi, præter id, quod ad cauſſam fidei pertinebat, geſtum eſse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab Apoſtolica Sede ſunt directi, ut exciſis hæreſibus, Catholicæ eſſent fidei defenſores*. Ad ampliorem ſuæ auctoritatis oſtenſionem illud adjunxit, de quo obnixe Marcianum admonebat, fore ut in Eccleſia accepta extemplo evaderent, quæ a Concilio Chalcedonenſi fuiſſent decreta, ſi iis Apoſtolicæ Sedis acceſſiſse auctoritatem innoteſceret cunctis: *Si per univerſas Eccleſias definitiones S. Synodi Chalcedonenſis Apoſtolicæ Sedi placuiſſe doceantur*. Schiſmaticis enim Synodi Chalcedonenſis decreta Pontifici haud probata divulgantibus, (nam Anatolius S. Leonis epiſtolam, qua fidei expoſitionem Chalcedone factam confirmabat, in palam prodere verebatur, ne videlicet prodiret in publicum a S. Leone eadem in epiſtola rejectus Canon de prærogativa Conſtantinopolitani Antiſtitis,) Marciano depoſcente ad Epiſcopos Chalcedone congregatos Encyclicam dederat: cujus & certiorem fecerat Pulcheriam Auguſtam. Nec ſatis hæc habens, ad ſuſpicionem omnem amovendam de ſuſpenſo ab ſe,

aut denegato consensu decretis Concilii Chalcedonensis, Juliano Coensi simul scripsit, jussitque operam dare diligentem, ut hæc Encyclica sua ad Episcopos omnes, Imperatoris ope, perveniret: Anatolio vero difficilem admodum se ostendit, nisi jurisjurandi religione interposita eidem epistolæ syngrapham apponeret suam; atque Nicetæ Aquilejensi hanc inter alias recipiendi a schismate reduces conditionem præscripsit, ut amplecti se aperte profiterentur, quæ a Concilio Chalcedonensi definita Apostolica Sedes approbasset: *Damnent*, inquiens, *apertis professionibus sui superbi erroris Auctores*, .. *omniaque decreta Synodalia, quæ ad excisionem hæreseos Apostolicæ Sedis confirmavit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare plenis, & apertis, & propria manu subscriptis protestationibus eloquantur*. Quorsum autem, quæso, isthæc omnia, nisi quia præconceptum ei erat, persuasumque etiam omnibus in Ecclesia, Chalcedonensis Concilii decreta ea demum, ac dumtaxat obligandi vim obtinuisse, quibus haud defuisset assensu suo Apostolicæ Sedis auctoritas?

Nec prope, nec procul ab his sententia aberat S. Gelasius I, qui in Commonitorio, (quod S. Felici III. decessori a nonnullis attribuitur, ab aliis vero ejusdem Successori Anastasio II.) ad Faustum (aliquibus Festum) Magistrum, a quo Græcos ab effundendis in Romanam Ecclesiam querelis, sive ob damnatum Acacium, sive ob denegatum sacrorum consortium, haud temperare acceperat, quam potissimum Græci urgebant de violatis Canonibus, juxta quos damnari in Synodo Acacius debuisset, retundens: *Ipsi*, inquit, (quem postea locum regessit S. Nicolaus I. in epist. 8. ad Michaelem Imp.) *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri*: (quibus innuebat eidem pariter inesse jus de Synodorum judicandi sententiis, & quum opus foret, probandi illas, aut reprobandi.) *Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt: ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare; ipsam ad nullius commeare judicium; nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari: sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius decreta sequenda mandarunt*. Ad hæc in epistola 7. edit. Harduini tom. 2. pag. 905. ad Episcopos Dardaniæ, quos etiam dubi-

dubitare acceperat, num Acacius jure damnatus fuisset, quia Synodi sententia haud fuisset damnatus, ad hanc ab eorum animis dubitationem amputandam, jureque damnatum ab Apostolica Sede Acacium demonstrandum, hujusmodi rationem adhibet, & retexit: *Confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque Synodi Constitutum... non aliquam magis exequi Sedem præ ceteris oportere, quam Primam: quæ & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat; & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet Principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequens & tenuit semper, & retinet*. Exinde vero alterum inferens, atque a jure confirmandi Synodos gradum faciens ad jus Synodos reprobandi, *Cuncta*, subtexit, *per Mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi: utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio &c.* Itaque juxta istiusmodi jus SS. Athanasium, Chrysostomum, & Flavianum, etsi ab Orientalibus Synodis damnatos, a Sede Apostolica juste, riteque absolutos: Dioscorum ex adverso a Synodo Ephesina admissum, una cum Synodo eadem abjectum: *Quoniam*, inquit, *sicut id, quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit; sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit*. Horum simillima habet in epist. 8, & 9. ad Orientales, nec non in tomo, sive tractatu de anathematis vinculo: *Totum*, inquiens ibidem, *in Sedis Apostolicæ positum est potestate: ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem*.

Immensum esset referre, quæ ad hanc Apostolicæ Sedi confirmandam auctoritatem scripsere, docuere, egere SS. Anastasius II, Symmachus, Hormisdas, Felix IV, Bonifacius II, Agapetus, Vigilius; Pelagius uterque, atque quotquot ad hanc usque devexiorem ætatem Ecclesiæ universæ clavum tenuere, quos omnes, potestatis hujusce amplissimæ ut ne particula quidem sibi detraheretur, incubuisse diligenter exploratum est, & explicitum: unum, vel alterum subtexam adhuc, quorum quo potior, eo expressior haberi possit hacce in re sententia; quosque quo-

quo magis propriis juribus loco stabiliendis studuisse, eo minus plus æquo amplificare eadem voluisse æqui, justique æstimator omnis affirmat. In his nominatim S. Gregorius M. de asserto in Concilio Constantinopolit. ejusdem Antistiti primo honoris gradu post Romanum verba faciens lib. *6.* epist. *31.* *Romana Ecclesia*, inquit, *eosdem Canones, vel gesta Synodi illius* (Constantinopolitanæ I.) *hactenus non habet, nec accipit. In hoc autem eamdem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.* S. Nicolaus I. in epist. 8. ad Michaelem Imp. *Non ergo dicatis*, inquit, *non eguisse vos in caussa pietatis Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta Concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit: unde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt. Quomodo non egeat quælibet Synodus Romanæ Sedis, quando in Ephesino latrocinio cunctis Præsulibus, & ipsis quoque Patriarchis probantibus, nisi Magnus Leo imitator scilicet illius Leonis, de quo scriptum est*, Vicit Leo de Tribu Juda, *divinitus excitatus, os aperiens totum Orbem, & ipsos quoque Augustos concuteret, & ad pietatem commoveret, Religio Catholica penitus corruisset ... Quoniam secundum Canones ubi est major auctoritas, judicium inferiorum deferendum est, ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum.* Similia habet epist. 7, & *9.* ad eumdem Imp. Exscribendi forent hancce in rem Pontifices ferme universi; prælaudatos ex illis, ac præcipuos superiori articulo recolito: ex quibus, quæ pariter alios persuasio incesserit, facile, probeque intelliges, ac percipies.

Suffragantur Pontificibus MM. Patres, ac Scriptores Ecclesiasticarum rerum: S. Basilius, qui in epist. 52. ad S. Athanasium scribebat obsecrandum esse Romanum Episcopum, ut quosdam mitteret in Græciam, qui ejus nomine Concilio Ariminensi detraherent, illudque rescinderent. SS. Ambrosius in epist. 5*6*. ad Theophilum; & Johannes Chrysostomus in epist. ad S. Innocentium I, de quibus paullo superius est dictum. S. Augustinus, qui in epist. *95.* ad S. Innocentium I. suo, & aliorum Episcoporum nomine scripta, post Synodum Diospolitanam accersiri Romam Pelagium, & diligentius interrogari rogaverat his verbis: *Si cognoverint eumdem librum, quem illius vel putant esse, vel norunt Episcoporum*

rum Catholicorum auctoritate, & maxime Sanctitatis tuæ, quam apud eum esse majoris ponderis minime dubitamus, ab eodem ipso anathematizatum, atque damnatum, non eos ulterius existimamus ausuros loquendo contra gratiam Dei. S. Prosper, qui contra Collat. cap.41, ac in carm. de Ingratis cap. 3. Pelagianos affirmavit a Pontifice primum confossos penitus fuisse prostratos; ideo quia Africanis Episcopis in Concilio coadunatis ad eos exscindendos suam Pontifex commodasset auctoritatem, sive Apostolici juris robur invictum adjunxisset. Quod ipsum expressius in epistola ad S. Innocentium I. Concilii tum Carthaginensis, tum Milevitani Patres exposuerant: significantes cupere se quam maxime de fidei veritate, quam novellis suis adinventionibus susque deque turbabant Pelagius, atque Cælestius, certiores fieri: obsecrare se obnixe, ut sua ipsorum sententia, qua profligatissimos illos proscripserant, Innocentii judicio comprobaretur, summam ab Apostolica Sede auctoritatem sane acceptura: in spem demum certam se assurgere, fore ut Pontifex, qui tam de puritate fidei sollicitum se præbebat, hæresim tam perniciosam auctoritate sua coerceret; iidem quinimo, qui post tam perversa dogmata abibant, Apostolicæ Sedis auctoritati facilius cederent. Quibus quid illustrius hanc in rem proferri, ac desiderari potest? Porro quæ Pontifex ad Afros hacce de Pelagii caussa rescripsit, ex aliqua Synodo Romana rescripsisse procul dubio opinantur Petrus de Marca lib. 7. Concord. cap. 12; & Garnerius in dissert. de Synodis in caussa Pelagii habitis. Hanc opinionem Antonius Pagius ad annum 416. n. 19. ea ratione refellit, tum quod hujusce Romanæ Synodi nullus antiquorum meminerit: tum quod S. Augustinus lib. 4. ad Bonifacium cap. 12. Pelagianis conquerentibus dogmata sua absque Synodo fuisse damnata, ideoque a Zosimi sententia ad Synodum provocantibus respondit ad eam hæresim exscindendam Synodo opus non fuisse, multasque hujusce similes hæreses absque Synodo fuisse exscissas: iisdemque Pelagianis conquerentibus de Romanis Clericis, non Episcopos alios, non Synodos objecit Romano Clero consentientes, unam objecisse Romanam Ecclesiam contentus. Petrus Coutantius in monito prævio ad epist. 26, & 27. inter epist. S. Innocentii opinio-

nionem utramque hoc modo componere se confidit : fatendo quidem S. Innocentii rescriptum elucubratum absque congregatione Episcoporum e diversis Provinciis convocatorum, non autem absque Romani Cleri consilio : quod ex eodem S. Augustino lib. 2. ad Bonif. cap. 3. se conficere putat, quo loci refert a Pelagianis culpa prævaricationis Clericos Romanæ Ecclesiæ fuisse notatos : qua nota afficiendi non fuissent, si citra eorum conscientiam Pontifex adversus Pelagianos scripsisset. Verum conjectura isthæc exinde facile concidit, quod ut in culpam Romanus Cletus vocaretur a Pelagianis, non opus erat, ut Innocentii litteris expressum consensum adhibuerint suum, sed fuerat satis, superque persuasio communis, ac pervulgata, qua Romanam Ecclesiam eidem jugiter, tenaciterque institisse doctrinæ, quæ ejusdem Antistiti summo accepta esset, vel Pelagianis ipsis erat perspectum; nec tam impudentes evaserant, ut inficias ire præsumerent.

In hanc ipsam de Pontificis in Synodos potestate sententiam pedibus, manibusque abibat Ferrandus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, & S. Fulgentii discipulus, qui pro tribus Capitulis ad Pelagium, & Anatolium scribens, atque de illis Capitulis non esse retractandum existimans, hæc habebat: *Si quis tunc accusator epistolæ,* (Ibæ) *cujus catholica esse dictatio claruit, ad majora judicia provocaret, accusationi forsitan secundum consuetudinem locus pateret. Sed quò iret, aut ubi majores in Ecclesia reperiret Judices, ante se habens in Legatis suis Apostolicam Sedem, qua consentiente quidquid illa definivit Synodus* (Chalcedonensis) *accepit robur invictum? Si retractentur Chalcedonensis decreta Concilii, de Nicæna Synodo cogitemus, ne simile periculum patiatur. Universalia Concilia præcipue illa, quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ auctoritatis locum post Canonicos libros habent .... Quæ finiuntur judicantibus Episcopis Sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta diligentius examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt; in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent.* Nec ab his discrepabat Facundus Hermianensis, lib. 3. cap. 4. in eos vehementer excandescens, qui tria Capitula novo examini supponenda contendebant; quod nefas fore, si fieret, grandeque piaculum ipse pugnabat, eaque ra-

ratione potissimum, quod S. Leoni M. Concilii Chalcedonensis gesta, decretaque fuissent probata. Quid imo, quod Hincmarus ille, quem nemo nisi in historia valde hospes causabitur amplificandæ plus æquo Pontificis auctoritati studuisse, veritati huic victas manus dedit, dum lib. de divortio Lotharii, & Theutbergæ sic fatetur, & profitetur: *Quia Synodus Comprovincialium Episcoporum judicia, generalis autem Synodus Comprovincialium dijudicationes, sive dissensiones vel probet, vel corrigat: Apostolica vero Sedes & Comprovincialium, & Generalium retractet, refricet, & confirmet judicia; sicut Epistolæ Leonis, atque Gelasii, ceterorumque Romanorum Pontificum, & Sardicensis Synodus evidenter ostendunt?* Paucis hoc ipsum Pontificis jus supra Synodos complexi sunt, sed expresse professi, qua Ratherius Veronensis Antistes in suo itinerario, ubi de Apostolica Sede loquens: *Nusquam*, inquit, *ratum, quod illic irritum: nusquam irritum, quod illic ratum fuerit*: qua Ratramnus Corbejensis Monachus lib. 4. adversus Græcos, quo loci: *Quæcumque*, ait, *Concilia ejus* (Pontificis) *sententia roborata sunt, rata manserunt: quæ vero damnavit, pro nihilo reputata fuerunt, nec auctoritatem ullam habere potuerunt*. Ita clare, & præclare Conciliorum auctoritati Pontificiam præferebat; Græcisque omnem, quam ex pseudo-epigraphis Canonibus schismati suo excusationem quærebant, prorsus eripiebat. Mitto ceteros, ne sim longior, quamvis plurimos infra laudabo. Adeundus inter alios Clarifs. Orsius tom. 1. de auct. Rom. Pontif. lib. 2. cap. 2.

Quo circa jure optimo Melchior Canus lib. 5. de loc. Theolog. cap. 4. hanc conclusionem statuit. *Concilium generale, quod auctoritate Romani Pontificis nec congregatum, nec confirmatum est, errare in fide potest*; quam probat tum ex Conciliis Ariminensi, & Constantinopolitano sub Leone Isaurico; tum ex Gratiano 17. dist. Cap. *Regula*, & Cap. *Multis*; tum ex Epistolis S. Julii, & Pelagii supra laudatis; tum ex Synodis Romanis sub S. Symmacho *96*. dist. Cap. *Bene*; & sub S. Damaso *90*. Episcop., de qua superius; tum ex Synodo VII. act. 6; Synodo VIII. act. 1, & 7; & Concil. Later. sub Leone X. Sess. 11, ubi dicitur id definitum in Synodo Alexandrina; tum ex Socrate lib. 4. cap. *9*; de

quo recolenda superius dicta. Præterea hancce 5. subnectit Conclusionem: *Concilium Provinciale Summi Pontificis auctoritate firmatum in fide nequit errare*: quam probat ex plurium hæresum damnatione facta in Synodis Provincialibus, ut Priscilliani in Toletana I; Helvidii in Telensi; Pelagii in Milevitana, & Carthaginensi &c., quo de argumento copiose suo loco. Optime quoque de Pontificibus meritus Thomassinus dissert. 6. in Concilia fuso calamo probat Concilia generalia quidquam roboris, secluso Romani Pontificis calculo, non habere; & dissert. 14. scribit: *Concilia œcumenica errasse etiam aliquando, v. g. Ariminense, & Ephesinum II. Sed ut his, statim universa Christi Ecclesia intercessit... Quibus autem intercessum non est, iis inconcussa fide adhærescimus... Duvalii sententiam a nostra nihil discrepare interpretamur, quod indiscretam quum velimus Pontificis, & Ecclesiæ caussam, & auctoritatem, nec negamus tamen magis popularem videri, & plausibiliorem Ecclesiæ personam; perinde nobis est Pontifici definienti, seu Ecclesiæ universæ consentiendi fides devoveatur: illius enim definitioni hujus consensio confestim conciliatur*. Hac ratione explicat vir Clarifs. Ecclesiæ consensum Pontificis decretis. Sed eo de argumento rursus infra illum egregie agentem audiemus.

Suppeditantur eamdem in rem a Conciliis ipsis præclara quæque exempla; quorum pleraque a Romanis Pontificibus vel ex integro, vel ex parte reprobata firmitate ulla hactenus in Ecclesia carent. Ex Conciliis ergo sex 1. audiunt, quæ partim confirmata, partim reprobata a Sede Apostolica, nec plenum in Ecclesia obtinent robur, nec omne prorsus amiserunt. Atque quidem 1, dum anno 347., ut adversus Mansium, qui in annum 344. retraxit, Cl. Mamachius contendit epist. 1. n. 21, & seqq.; & epist. 3. n. 2, & seqq., Sardicensem Synodum Orthodoxi Antistites agebant adversus Arianos, eodemmet tempore Ariani Philippopoli congregati Arianam perfidiam confirmavere, suamque pseudo-Synodum Sardicensis nomine inscribentes in caussa fuere, cur Sardicense, ex qua parte a Catholicis celebratum est, approbaretur, ex qua vero ab Arianis suppositum fuerat, reprobaretur. Hinc factum est, ut quidam non aliam Synodum Sardicensem agnoscentes, (e qui-

quibus S. Augustinus epist. 163), nisi Philippopolensem ab Arianis sub Sardicensis nomine jactatam, eam penitus exsufflarent. Videsis Baronium ad annum 347. 2. Sirmiense anno 351, non 357, uti probat adversus Baronium, & Sirmondum Pagius n. 10., & seqq., a Semiarianis coadunatum, in quo fidei formulam, uti referunt Socrates lib. 2. cap. 30, & Sozomenus lib. 4. cap. 6., una cum 25. anathematismis græce edidit Marcus Arethusius (quamquam ab hac alteram a Marco Arethusio elucubratam censet Nicolaus Faber in præfat. ad fragm. S. Hilarii), quæ quidem eadem videtur, quam S. Hilarius in lib. de Synod. tanquam vere Catholicam explicat; cujusque Concilii, scribit Vigilius Tapsensis lib. 5. contra Eutychem cap. 3, *Sanctiones nullus fidelium audet respuere*, *aut cunctatur recipere*. Igitur eo in Concilio Photini hæresis damnata est, quam damnationem Ecclesiæ omnes approbavere, speciatim Romana, qua de re Concilium partim approbatum, partim dicitur reprobatum. 3. Quinisextum, sive Trullanum sub S. Sergio Papa, & Justiniano Imp. ex Episcopis 240, aut 227, aut 211. conflatum, quod a Sede Apostolica receptum dumtaxat est quoad Canones de pingendis Sacris Imaginibus, quos laudavit Hadrianus I. in apolog. ad Carolum M. pro sanctis Imaginibus scribens, reliquis Canonibus rejectis, iccirco quod post discessum Legatorum ab Justiniano, Pontifice inconsulto, congregatum fuisset: quemadmodum adversus Balsamonem ostendunt Baronius ad annum 692. n. 10, & Petrus de Marca lib. 5. de Concord. c. 18. Sane Synodi acta sex tomis comprehensa, & ab Episcopis subscripta Romam ad S. Sergium I. P.M. confirmatum direxerat idem Justinianus Imperator, ut auctor est Anastasius. Verum quia quædam extra ritum Ecclesiæ Romanæ ea in Synodo erant statuta, calculum illi adjicere suum abnuit Sergius. Repulsam passus a Sergio, a Johanne VII. ejus successore Synodi Quinisextæ confirmationem postulavit Justinianus: at re infecta, a Johanne remissa acta neque probata, neque reprobata recepit. Qua de Johannis agendi ratione legendus Lupus in Notis, & Scholiis ad Canones Concilii Trullani. A Constantino vero ea de re Constantinopolim accersito impetrasse tandem Imperatorem, ut Canones Trullanos ritibus Ecclesiæ Romanæ, moribusque haud contrarios con-

firmaret, ex Anastasio conjicit cit. loco Cl. Lupus. Sic etiam illos approbavit Hadrianus I. in epist. ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum; qui scilicet decretis Romanæ Ecclesiæ non obsisterent. 4. Francofordiense anno 794. sub Hadriano I., & Carolo Magno adunatum adversus Felicem, & Elipandum Nestorianum juxta sensum Christum Filium Dei adoptivum asserentes, qua ex parte approbatum fuit: sed qua ex parte Nicenæ II. Synodo obstitit, fuit reprobatum. 5, & 6. Constantiense, & Basileense, de quibus satis jam diximus, qua ex parte Ecclesia approbaverit, & qua ex parte rejecerit, videlicet quoad gesta probe adversus hæreticos, non item quoad reliqua, adversus Pontifices præsertim temere attentata.

Ex iisdem Conciliis (2) alia penitus abjecta a Sede Apostoca hactenus projecta jacent ad 10. numero. Sunt autem 1. Nicomediense S. Silvestri ætate, seu anno 328. numero copiosorum in quo Eustathius Antiochenus ab Arianis Sede motus est: a nonnullis Antiochenum appellatur, atque in annum 329. conjicitur. 2. Antiochenum tempore S. Julii I. coactum sub Constantio anno 341, in quo S. Athanasius ab Arianis sede pulsus est, eaque de re a S. Julio reprobatum, de quo tamen, ut Cl. Pagium consulas n. 3, & seqq. tibi auctor sum. 3. Mediolanense ex Episcopis plusquam 300. coalescens anno 355. S. Liberio Papa, & eodem Constantio Imper. In eo referentibus Ruffino lib. 10. cap. 20, & Socrate lib. 2. cap. 29. fides Catholica ab Arianis labefactata est, illudque Concilium reprobavit Liberius ob tyrannidem in ipso a Constantio, & Constantii nomine ab Ursacio, & Valente adversus S. Athanasium, S. Paulinum, S. Eusebium, Luciferum, aliosque orthodoxos Episcopos exercitam. 4. Ariminense II. anno 359. ex 400. circiter Episcopis conflatum, in quo e professione fidei vox ὁμοούσιον sublata est: Concilium istud ea ratione illegitimum esse jussit, pronunciavitque S. Damasus supra laudatus, quod illi Liberius consensum non præstiterit suum: quamquam Ariminenses Episcopos ab hæreseos labe Scriptores orthodoxi jure, ac merito purgent. 5. Seleuciense eodem, quo Ariminense ab Occidentis Episcopis, anno ab Orientalibus celebratum, qui numero 160. illò se contulerant. In eo Arianos inter 45.

nume

numero, Semiarianos numero 105, ut habet S. Hilarius in post-lib. adv. Constant., acriter disceptatum est, istis vocem ὁμοούσιον dumtaxat rejicientibus, locoque ὁμοιούσιον reponentibus, illis vero in Nicænam fidem penitus inclamantibus: quam ob rem a Liberio quoque repudiatum est. 6. Ephesinum II. sub S. Leone M., & Theodosio Juniore anno 449. ex Episcopis 130, in quo compellente Dioscoro hæresis Eutychiana confirmata est, Legatis Pontificiis fugatis, mulctatoque S. Flaviano. Qua de re jubente S. Leone irritum fuisse jure dixerunt S. Gelasius in epist. 13. ad Episc. Dardaniæ, & S. Nicolaus I. in epist. 8. ad Michaelem Imper. Ad hæc S. Gregorius M. acta Concilii in Numidia anno 593. habiti, ideo quod pleraque contra sacros Canones pugnantia statuissent, irrita pronunciavit epist. 7. lib. 2. ind. 12. ad Gennadium Patricium, & Africæ Exarchum. 7. Constantinopolitanum anno 588. a Johanne Jejunatore nuncupato Constantinopolitano Episcopo congregatum, tum ut Gregorii Antiocheni, cui plurium criminum persona ab Asterio Orientis Præfecto fuerat imposita, atque ad Synodum provocantis caussa discuteretur: tum ac maxime, ut sibi Synodali decreto Episcopi Oecumenici, cui inhiabat, titulum arrogaret. Quod quidem Concilium roboris irritum manere jussit Pelagius II. Pontifex M., sicuti refert S. Gregorius M. lib. 4. epist. 36. ad Eulogium Alex., epist. 38. ad ipsum Johannem, & lib. 6. epist. 70. ad Eusebium Thessalonicensem. 8. Constantinopolitanum sub Constantino Copronymo, (de quo Nicænum II. act. 6.) adversus sacras Icones adunatum anno 754, illudque ex 338. Episcopis conflatum, diris cunctis devovere Stephanus III. in Synodo Romana anno 769. celebrata, de qua Hadrianus I. scripsit in apologetica pro sacris Imaginibus epistola ad Carolum Magnum, & Hadrianus ipse in Synodo VII. laudatus. 9. Synodus Photiana adversus S. Ignatium anno 861., cui tot adfuere Episcopi, ut non plures Nicænæ interfuisse dixerit Michael Imperator: sed eam irritam fecit S. Nicolaus I. restituto Ignatio. Legendæ ejus epistolæ alibi laudatæ ad eumdem Michaelem Imp. 10. Utrumque Pisanum contra Gregorium XII, & contra Julium II. coadunatum, de quibus suo loco satis dictum.

Ex Conciliis denique, quæ tamquam vere Oecumenica ab Eccle-

Ecclesia semper agnita sunt, quædam sunt, quæ non alia ratione talia agnita fuere, quam quia Romani Pontifices ea confirmarunt, atque integra esse jusserunt: cujusmodi sunt 1. Synodus II, seu Constantinopolitana I. nonnisi ex 150. Episcopis, iisque Orientalibus, & Ægyptiis conflata, dubio procul particularis evasura, ac nunquam œcumenica, nisi eidem S. Damasi accessisset auctoritas. 2. Synodus V, cui plane Occidentis maxima pars intercedebat, ex Africa quidem, ut ex Facundo Hermian. perspicuum est; ex Italia Istriæ, & Liguriæ Episcopi, ut ex epist. Pelagii I, Pelagii II, & S. Gregorii M. patet; ex Gallia, & Hispania, ut ex dictis alibi frequenter est manifestum. At quia Vigilius illi suum tandem adjecerat calculum, ipsius successores Pelagius uterque, S. Gregorius &c., ut illud ab omnibus reciperetur, summis viribus sategerunt: quod tandem ipsis ad votum cessit, & successit. 3. Synodus VII, sive Nicæna II, cui quantum, ac quandiu Galliæ, Hispaniæ, & Germaniæ Episcopi in Synodo præsertim Francofordiensi ad num. 300. collecti intercesserint, nemo nescit, nosque multis ostendimus. Nihilominus quia Hadrianus I. illam ratam habuit, necesse tandem fuit, ut eidem universa Ecclesia adquiesceret. Legendæ Pontificis hujus epistolæ apologeticæ pro Synodo VII., & sacris Imaginibus ad Carolum M. inscriptæ. Mitto cetera, nam recitata sufficiunt. Non omittendum, quod omnes denique Oecumenicæ Synodi auctoritate, & assensione Sedis Apostolicæ, qua confirmarentur, indigere se agnoscentes, eam summo jugiter studio a Romanis Pontificibus efflagitarunt. Efflagitandi vero ea maxime urgebat ratio, quod quum Romanus Pontifex sit Caput Ecclesiæ, unitatis Centrum, jurisdictionis Fons, ideo Concilium generale esse nequit, aut Ecclesiam universalem repræsentare, quin ejusmodi Capiti, Centro, Fonti conglutinetur, cohæreat, & coaptetur. Hinc Patres Concilii Arelatensis anno 314. in synodica ad S. Silvestrum: *Placuit*, ajebant, *etiam a Te, qui majores Diœceses tenes, per Te potissimum omnibus insinuari*. Ubi tò *insinuari*, ut explicat Brissonius V. *insinuare*, valet ac indubium reddere. Nam cæteroquin ab Episcopis illis decreta ab se edita deduci in aliorum notitiam potuissent. Hinc Anatolius apud S. Leonem se excusans circa Canonem de primatu Episcopi Constantinopolita-

politani, inque ejus Canonis culpam vocans Clerum suum, & Episcopos Synodi, scripsit: *Quum & sic gestorum vis omnis, & confirmatio auctoritati vestræ Beatitudinis fuerit reservata*: quibus fatebatur dogmata non modo ad fidem, sed etiam ad disciplinam pertinentia a Pontifice firmanda fore. Quare id? Quia *non est corpus sine capite, & omnis ex capite defluit in membra potestas*, ut loquitur Pius II. in Bulla retract. Quocirca, quotquot obtinent, Concilia generalia a Pontifice Romano probata fuisse, atque ut probarent, rogatos Pontifices, faciendum est palam.

De Nicæno, etsi id non certo constet, tamen tum ex eo conjectura effici potest, quod quandoquidem S. Alexander Episcopus Alexandrinus inter Episcopos alios, quos encyclicis missis de Ario ab Ecclesia ejecto certiores fecit, speciatim S.Silvestrum P.M. commonefecit, uti auctor est liquidus S.Liberius in epist. 4. ad Constantium Imper.; nec ambigendum videtur, quod subsequens Nicæna Synodus gestorum ab se adversus Arium rationem etiam reddiderit. Quam quidem conjecturam confirmare licet ex vetustissimo codice Canonum Hubertino, sive Monasterii Atrebatensis S. Huberti, quem præ Quesnelliano longe melioris notæ probat Coutantius in præfat. ad epist. Roman. Pontif. §.3. n.88, ubi in præfatiuncula Nicænis Canonibus præfixa hæc habentur: *Quum convenisset Sanctum, & Magnum Concilium apud Nicæam Bithyniæ, sancita sunt, quæ infra scripta sunt. Et placuit, ut hæc omnia mitterentur ad Episcopum Urbis Romæ Silvestrum*. Quæ præfatiuncula plane eo probabilior visa perinde est Coutantio, quod & pridem Concilium Arelatense anno 314. habitum decreta sua S. Silvestro direxerat; ac postea itidem ad S. Julium retulit Sardicense, quæ decreverat. Tum ex eo conjici vult Clariss. Orsius de Rom. Pontif. auctor. lib.2. cap. 3, quod pro definiendis tribus tunc celeberrimis in Ecclesia quæstionibus de Divinitate Christi, de celebratione Paschatis, atque de Hæreticorum baptismate non aliam sibi sequendam Synodus proposuerit regulam, quam Ecclesiæ Romanæ doctrinam, scilicet vocem *Homousion*, quam S. Dionysius Romanus in epist. ad S. Dionysium Alexandrinum usurpaverat, consecrando: Pascha ei diei, quam designaverat S. Victor in epist. ad Polycratem Ephesinum, alios-

aliosque Asiæ Proconsularis Episcopos, alligando: atque Hæreticorum baptisma, quod probarat S.Stephanus in epist. ad S.Cyprianum, suscipiendo. Qua agendi ratione satis innuitur Nicænæ Synodo S.Silvestri assensum accessisse, si non expressum, interpretativum tamen, vel ut ajunt Scholæ. Epresse tamen à Pontifice confimationem petiisse Nicænos Patres fert S. Felix III. in epist. ad Cleric., & Monach. Orient. Synodo Romanæ sub eo habitæ adscripta: cujus rei fides, quo volunt Critici, loco esto.

Secundam Synodum, Constantinopolitanam scilicet primam ratam fuisse habitam a S. Damaso, non quidem quoad gesta omnia, sed quoad fidei decreta, neque exprese, ac extemplo, sed æquivallenter, satis indicant verba tum Synodi VI. act. 18. in Prosphonetico sermone ad Imp.; tum Photii lib.de VII. Synodis superius recitata: imo S.Damasi ipsius in epist.Synodica apud Theodoretum; S. Gregorii item lib. 6. epist. 31; Theodosiique Imper. L. 1. Cod. de sum. Trinit. Rogatum verò, ut ratam haberet, liquido patet ex Synodica ad S. Damasum. Ephesinum I, seu generale III. sibi religioni duxisse in omnibus S. Cœlestini decreta adversus Nestorium sectari, atqe executioni mandare, satis, arbitror, alibi ostensum est, ut propterea ea quoque ratione, quod Synodi acta in Nestorium Legatis Apostolicæ Sedis probata fuissent, de iis rursus à Cœlestino confirmationem expetendam fore abs re esse judicarint. Verum quum res à Johanne Antiocheno, & Orientalibus Episcopis turbarentur, de his omnibus certiorem Pontificem facientes illi, ab eo judicium se præstolaturos scripserunt his verbis: *Pietatis tuæ judicio hoc reservavimus, interim illos excommunicationi subjicientes &c.* Synodum IV. sive Chalcedonensem à S. Leone M., ut gesta adversus Eutychem, & Dioscorum probarentur, enixis, agente præsertim Marciano, precibus postulasse non modo, verum etiam fidei professionem eidem Synodo subscribendam proposuisse S. Leonem, cui illa paruerit, par.1. art.11. §.11. multis demonstratum est, nec est cur iterum demonstrandum suscipiatur. Id unum adjicere dictis modo juvat, quod celeberrima trium Capitulorum quæstione flagrante, ac præsertim circa Ibæ epistolam, in eo ferme tota loco lis constituebatur, qua ab illorum Capitulorum patronis, qua
ab

ab eorumdem oppugnatoribus, num ſcilicet tribus Capitulis, Concilium Chalcedonenſe approbans, S. Leo ſuffragatus fuiſſet: id affirmabant Ferrandus Diaconus, & Facundus Hermianenſis; id ex adverſo negabant Pelagius II, & S. Gregorius Magnus, ajebantque, quod quamvis in Chalcedonenſi Synodo rata fuiſsent tria Capitula, quia tamen S. Leo, ſicuti conſtat ex ejus epiſt. ad Maximum Antioch., Legatis ſuis facultatem dumtaxat fecerat circa res Eutychetis, & Dioſcori, probata noluerat geſta de tribus Capitulis, hæc proinde altero examini ſubjici poſſe. Quintæ generali Synodo, hoc eſt Conſtantinopolitanæ II, quod Vigilii calculus acceſſiſſet tandem, quamvis plurimos reſtitiſse conſtet, ſuam tamen auctoritatem ſartam tectam ſervatam, ſacratamque manſiſſe paullo ſuperius animadvertimus, ut proinde illam firmam fore juſſerint Pelagius I, Pelagius II, & S. Gregorius Magnus ſupra laudati. Synodum VI., ſive Conſtantinopolitanam III. a S. Agathonis ſucceſsore S. Leone II. fuiſse confirmatam, confirmationemque a Synodo expoſtulatam a Pontifice adparet tum ex litteris Synodicis ad S. Agathonem, tum ex S. Leonis epiſt. ad Conſtantinum Imperat., qua ait: *Hanc igitur rectæ, atque Apoſtolicæ traditionis normam prædeceſſor meus Agatho cum ſua Synodo prædicavit. Hanc ſcriptis percurrentibus in ſuæ ſuggeſtionis pagina veſtræ pietati per ſuos Legatos emiſit approbans, & confirmans teſtimoniis SS. & probabilium Eccleſiæ Doctorum, quam ſancta nunc, & magna Synodus ſuſcepit, & in omnibus Nobiſcum amplexa eſt, ut pote B. Petri Apoſtolorum Principis ſinceram doctrinam in ea agnoſcens, & immutilatæ pietatis in hac ſigna contrectans.* Quinimo à Synodo juxta S. Agathonis epiſtolas de fidei dogmate latam non modo; ſed ab Agathone ita ſententiam ferendam Synodo fuiſſe præſcriptam, ut Pontifici ſic præcipienti omnino parendum fuerit, quia multis ſupra oſtendimus, hic crambem recoctam obtrudere ne videamur, ea nunc omittimus. Non moror autem eorum, qui S. Leonis II. litteras huc facientes inficiantur, conjecturas; ſiquidem ſint adeo leves, ut ſeipſis concidant; aliaſque aſſertio noſtra ex S. Agathone certiſſime conficiatur.

Synodo VII, ſeu Nicænæ II. ſuum non modo aſſenſum præ-

buit Hadrianus I, ut patet ex epist. Tarasii ad Pontificem, quæ obsecrabat, ut Synodum probaret, & ex epist. Hadriani ad Tarasium, nec non ad Imperat. Constantinum, & Irenem; sed imo Hadrianum ex suprema sua potestate Synodo præscripsisse quid de Sacrarum Imaginum cultu esset definiendum; religionique sibi Synodi Patres duxisse Pontifici ita præscribenti obtemperare, quia multis jam ostendimus qua ex actis Synodi, qua ex epistolis ad Imperatores, & ad Tarasium, non est cur his diutius immoremur. Placet pauca dumtaxat subdere ex epist. 1. Hadriani ad Imperat., qua postquam de B.Petro, & Successoribus dixisset. *Iste tam præcelso prælatus honore promeruit confiteri fidem, supra quam fundatur Ecclesia Christi... Cujus prædicatione Sancta universalis illustrata est Ecclesia, & ex ea ceteræ Dei Ecclesiæ fidei documenta sumpsere. Nam ipse Princeps Apostolorum B. Petrus.... sui Apostolatus Principatum.... Successoribus suis.... dereliquit, quibus & auctoritatis potestatem, quemadmodum a Salvatore nostro Domino Deo ei concessa est, & ipse quoque suis contulit, ac tradidit divino jussu Successoribus Pontificibus &c.* Hæc subdit de Ss.Imaginibus: *Deposco & adjuro, ut easdem sacratissimas Imagines... restituere, & confirmare jubeatis, observantes traditionem hujus Sacrosanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, abjicientes, & respuentes iniquorum, atque hæreticorum calliditates, ut in hujus nostræ Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ, ac irreprehensibilis Romanæ Ecclesiæ ulnis suscipiamini*. Postremo Synodum VIII, Constantinopolitan. IV. ab Hadriano II. confirmatam fuisse probat ejus epistola ad Basilium Imper., quæ ad calcem actorum Synodi prostat; & epistola Synodi ad Hadrianum, qua ipsum obsecrat, ut Synodo assensu accederet suo. Quinimo eumdem Hadrianum omnimodam, superioremque in Synodum potestatem exercuisse, omniaque ea in Synodo ad Pontificis nutum peracta fuisse alibi ostendimus. Legenda epistola Basilii Imperat. ad S. Nicolaum I, quæ act. 3. recitata fuit, qua Pontificem rogat, ut prædefiniat omnia, quæ postea in Synodo essent pertractanda; quemadmodum & epistola Hadriani II. ad S. Ignatium, qua ei agenda præscribens ait: *Ergo Fraternitas tua curet necesse est, ut sententiarum capitula, quæ Synodice in Eccle-*

Ecclesia Dei, ubi Sanctum Corpus Apostolorum Principis Petri requiescit, pro abolendis profanis Conciliis Constantinopoli à Photio (annis 858, 859, 861, & 867.) *congregatis communi consonantia promulgavimus, apud vos in Synodo cunctorum subscriptione roborentur*: Epistola quoque ejusdem Pontificis ad Basilium, qua inter alia sic habet: *Volumus ergo ... illic numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque Missi præsidentes, & culparum, personarumque differentias liquido cognoscentes, juxta quod in mandatis acceperunt, singulorum libere discretiones exerceant.*

Ab ceteris Synodis Orientalibus persequendis consulto abstinendum duco; quandoquidem luce pomeridiana constat eas à Romanis Pontificibus confirmatas non modo fuisse, sed imo morem in omnibus Pontificibus gerentes dictis, gestisque ostendisse satis superiorem Pontificum in eas potestatem. Potestatis hujusce superioris præclarum specimen inter alia emicuisse in Conciliis Florentino, & Lateranensi V. par. 1. art. v. §. 11. plurimis, aut ego fallor, ac dilucide est demonstratum: quæ proinde e gradu Oecumenicorum deturbare adnixi sunt, aut ideo quod illorum, qui interfuerunt, longe major desideratus sit absentium numerus, veluti comminiscuntur Natalis Alexander hist. Eccles. ad Sæcul. XV, & XVI. disser. 8. art. 7. cap. 3. in scholio; & Desiderius Paleofilus de imag. Pontif. dignit. cap. 3: aut ideo, quod libera in iis Episcoporum suffragia non fuerint, sed ad unius Pontificis volontatem cunctis compositis sola relicta provincia fuerit placitis adquiescendi Pontificiis in eisdem perlectis, sicuti calumniantur Simon Vigorius de stat., & regim. Eccles. lib. 4. cap. 4, & Edmundus Richerius tom. 4. hist. Concil. c. 4. Commenta ista, istasque calumnias loco indicato, vel sola actorum Conciliarium lectione concidere ostendimus. Nempe præterquam quod non ita parvus interfuit Patrum numerus, quin ex hoc Conciliis illis conciliari auctoritas maxima debeat, parum, nihilque refert, officitque, quo minus Concilia illa generalium albo sint adscribenda, exilis numerus Episcoporum accurrentium, aut assidentium. Quippe Concilium nullum œcumenici nomine audire meretur, quatenus Episcopi omnes ad illud confluxerint,

sed quia a Pontifice fuerint accersiti, aut præpediti assensum suum accomodaverint. *Hoc nomen* (Concilii universalis, de Constantiensi loquens, inquiebat Sanctesius Ebroicensis Episcopus repet. 10. cap. 4.) *Hoc nomen merito sibi vindicat multitudo Pastorum a primo Pastore Ecclesiæ convocata, reliquis animo, & consensu præsentibus, qui ob rationabilem caussam absunt corpore.* Propius vero de Lateranensi V. verba faciens Bail circa finem, cui par in sententia profecto erat Leonardus Coquæus in Antimornæo tom. 2. pag. 334, *Non fuisse*, inquit, *generale vix dici potest: nam etsi fuerint Episcopi paucissimi*, (a principio adfuerunt Cardinales 16; Patriarchæ 2; Archiepiscopi, & Episcopi 81; crescente postmodum eorum numero usque ad 114, præter Abbates, ac Generales Ordinum) *tamen Concilium omnibus patebat; & omnes vocati fuerant, & in eo Summus Pontifex verus, & indubitatus præsidebat*: ex quo potissimum æstimanda Conciliorum auctoritas est. Hinc etenim effectum, ut Ariminensis Synodus ad nullum in Ecclesia auctoritatis exsurgeret gradum, quia S. Liberii defuisset assensus, veluti locuples auctor est S. Damasus: *Numerus Episcoporum*, inquiens, *præjudicii vim habere non debet, neque Episcopo Romano, neque aliis consentientibus*: quo pariter ex defectu pleraque e generalium gradu deciderunt, quæ alioqui Patrum multitudine supra generalia ipsa facile præstitissent: qualia Carthaginense IV. anno 398. ex Episcopis 214; Carthaginense VI. anno 419. ex Episcopis 217, (non autem 229, ut Collectio Dionysiana præfert in titulo præfixo.) Francofordiense anno 794. ex Præsulibus Italiæ, Galliæ, & Germaniæ 300; Constantinopolitanum anno 861. ex Antistibus 383; Tullense II. anno 860. ex Episcopis 14. Provinciarum &c. conflata: quum e contra pleraque in Generalium censum venerint, quatenus Apostolica Sedes calculum adjecisset suum, quæ cæteroquin exiguo admodum Patrum numero constiterunt; ex quibus Constantinopolitanum I. ex solis 150, Constantinopolitanum II, ex 160. non amplius &c.; queis congruit profecto, quod de Synodo generali VII. effatum legimus act. 3. in litteris ad Orient. *Nullum ex hoc* (nempe ex numero exiguo Episcoporum) *Sanctæ adhæsit Synodo præjudicium . . . præcipue quum Sanctissimus, & Apo-*

Apostolicus Papa concordaverit, & in ea inventus sit per suos Aprocrisarios.

Sive autem ingens, sive exilis numerus eorum interfuerit, putasne sive Præsules, sive Oratores Principum tum in id stupiditatis summæ incidisse, ut suffraggiorum libertatem adimi Synodo haud ægre ferrent, neque de adempta libertate vel leviter conquererentur, si veritate inniterentur, quæ de inlata iisdem vi Osores isti obtrudunt? Putandum profecto multo minus est Conciliorum illorum libertati vel leve aliquid dereptum, quod in eis decreta a Pontificibus procusa dumtaxat fuerint promulgata? Quid enim? Numquid propterea Oecumenicorum loco abigi debent Concilia Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum III, & IV., quod Episcopi ad ea, quæ SS. Cœlestinus, Leo, Agatho, & Hadrianus decreverant, executioni demandanda fuerunt adacti? Quis imo ex hac agendi ratione probe non perspicit ex officio, necessitateque obediendi Pontifici nihil perinde de Conciliorum auctoritate decidere? *Multum*, apposite S. Leo M. in epist. 67. ad Theodosium Imp. ajebat, *multum Sacerdotalis officii meritum resplenduit, ubi sic summorum servata est auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas.* Id est quippe, quod obnixe contendimus, ex hac obligatione obsequendi nullam hinc quidem Synodis injuriam inferri, colligi tamen constantissime Synodis omnino superiorem Pontificis potestatem. Quæ profecto tanti præ Synodica facta jugiter est ab Orthodoxis non modo, qui fecere semper maximi, sed ab heterodoxis etiam ab ea quam maxime abhorrentibus, ut ipsimet Ariani Sirmii congregati Liberii Papæ adhæsionem, & approbationem, ut vel subdole extorquerent, operam omnem impenderint, nec minis parcendo, nec omittendo promissa: ut Semiariani quoque in Concilio Lampsaceno collecti ab eodem Liberio approbationem enixis precibus expostularint: ut Justinianus Imperator nihil prætermiserit eorum, quibus Edictum suum adversus tria Capitula Vigilio acceptum facere confideret: ut Constans ipse a S. Martino I. Typi sui confirmationem supplicibus litteris petierit, à quo tamen proscriptus fuit. Plurima cetera prætereo, ne in me suscepisse videar provinciam omnem haud

haud facile exhauriendam, meisque viribus imparem; sed & supra opellam susceptam. Adeundi præ aliis Pius II. in Constit. *Execrabilis*; Sixtus IV. in Constit. *Cum superiori*; & Leo X. in Constit. *Pastor Æternus* plurimis de hacce Pontificis Romani potestate differentes.

Porro Natalis hist. Ecclesf. ad sæcul. XV, & XVI. dissert. 4. §. 4. n. 45, & seqq., ac Bossuetius defens. declar. par. 2. lib. 13. cap. 1, & seqq., ad hæc, quibus premuntur, evadenda, præruptam hanc ineunt viam. Ajunt 1. a Pontificibus Canones, aut Concilia infirmari, aut confirmari ea ratione dici, non quod illis à Pontificibus robur adjiciatur, quo caruissent, aut adimatur, quod obtinerent; sed quod declarentur dumtaxat eisdem jam ab exordio robur defuisse. Concilia enim in Spiritu Sancto legitime congregata à Christo immediate auctoritatem habent, inquiunt, unde à Pontifice robur nullum accipiunt: sed quoniam conditiones quædam, ut Concilia vere œcumenica, ac legitima sint, accedere debent, videlicet ut secundum Scripturas sacras, secundum Patrum traditionem, & secundum Ecclesiasticas regulas celebrentur, aliquam in Ecclesia auctoritatem esse necesse est, cujus sit declarare eas conditiones Synodicæ congregationi non defuisse, ut demum Christianorum fides obligetur: ejusmodi autem juris esse probe Romani Pontificis. Id confirmant S. Gelasii epist. ad Dardan. Episc. sic ajentis: *Sicut id, quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit: ubi etiam consequenter ostenditur; quia male gesta Synodus*, idest contra Scripturas sacras, contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas, *quam tota merito Ecclesia non recipit, & præcipue Sedes Apostolica non probavit, per bene gestam Synodum*, idest secundum Scripturas, secundum traditionem Patrum, secundum Ecclesiasticas regulas, ... *quam cuncta recepit Ecclesia, quam maxime Sedes Apostolica comprobavit, debuerit, & potuerit immutari*. Eumdem vero esse sensum intimum subtexunt S. Damasi in epist. Synod.; S. Leonis I. in epist. ad Theodosium, & Pulcheriam; Pelagi II; S. Gregorii M. lib. 6. epist. 31; & S. Nicolai I. in epist. ad Michaelem Imp.. Ajunt 2. hanc Conciliorum, ac Canonum con-

confirmationem factam a Pontificibus non aliud præseferre, quam Pontificum consensum, promulgationem, executionem, & custodiam, quibus Romani Pontifices erga Concilia, & Canones tenentur, quod multis persuadere conantur, quæque nos mox, quum de potestate Pontificia Canones condendi, aut relaxandi, recitabimus: quæ proinde non probent eum, qui ita confirmat, superiorem eo esse, qui Canones edidit.

Ajunt 3. Romanos Pontifices iccirco Concilia, aut Canones in irritum amandasse, seu verius irrita declarasse, quod prælaudatis regulis Scripturæ, Traditionis, ac Canonum Ecclesiasticorum adversarentur: cujusmodi exemplum in Canone 3. Concilii Constantinopolitani I, seu 28. Chalcedonensis Nicænæ Synodi Canonibus detrahente exhibetur. Ajunt 4. nequaquam Synodos Oecumenicas in Oriente celebratas a Pontificibus confirmationen actorum postulavisse. De Nicæna id silere alte Eusebium, S. Julium I, S. Liberium, S. Hilarium, S. Athanasium, Thodoretum, quotquot (verbo) de Nicæno scripsere. Quæ vero tom. 1. Concil. editæ leguntur, epistolas Concilii ad Silvestrum,& Silvestri ad Concilium supposititias probari ob stili barbariem, putidam phrasim, anachronismum, seu notam Consulatus Constantini, & Constantii Constantini M. filiorum. De Constantinopolitana I. id constare rogasse S. Damasum epist. Synod. apud Theodoretum lib. 5. cap. 9, ut de rebus in Synodo constitutis congratularetur; non etiam petitam ab eo confirmationem. Ephesinam Synodum gestorum ab se relationem quidem ad S. Cælestinum misisse certam rem esse, at confirmari nullo modo obsecrasse; imo satis indicasse id necesse non fuisse, quum satis fuerit, ut Pontificis ad Synodum consensus accederet: nam in relatione ad Imper. act. 3. *Necessario*, inquiunt, *quod officii ratio postulabat, de consensu illorum* (Legatorum Cælestini) *nobiscum ad Majestatem vestram retulimus, ut pietati vestræ certe constet judicium, quod paullo ante a nobis exiit, esse unam, communemque totius Orbis terrarum sententiam*. Chalcedonensem vero Synodum a S. Leone confirmationem decretorum de fide non modo non efflagitasse, quinimo a S. Leone jam definita in epist. ad Flavianum ab ipsamet confirmata: sed nec petiisse confirma-

firmari sententiam in Dioscorum, quam imo Legatis pronunciandam detulerant, ut habetur act. 3, sed dumtaxat Canonis 28. confirmationem a S. Leone postulatam, idest ejus consensum, quo sine ratus ille esse nequiverat, siquidem illi Legati intercessissent. Reliquas Synodos eadem ratione interpretantur, quum scilicet a Pontifice, ut confirmarentur, rogatum ab illis est; scilicet Pontificis consensum postulatum, nihil præterea.

Verumtamen toto ostio a veritate illos aberrare dicta hactenus satis ostendunt, quæ hic repetere nec juvat, nec interest. Dictis tamen aliquas adjicere observationes, quibus illorum hallucinationes emendentur, abs re non erit. Itaque observes 1. juxta laudatos auctores Pontificis esse partes ex sua potestate Concilia œcumenica an sint revera, nec ne declarare, atque ita, ut Pontifici ita declaranti universam parere Ecclesiam oporteat. Quid, ambo, istiusmodi authentica declaratio præseferat, nisi privilegia Pontificum, de quibus lis cum illis nobis est, videlicet supremam supra Concilia potestatem, siquidem hacce declarandi potestate nec Episcopi singillatim, nec Concilia ipsa gaudeant? Observes 2. id saltem concedi ab illis, cur non concedant? necessarium omnibus modis esse Romani Pontificis consensum, qui si desit, Concilia ipsa œcumenica esse desinere; Canones etiam obligandi vim omnem amittere. Quid autem, quæso, id aliud significat, quam talem, tantamque inesse Pontifici in Concilia potestatem, ut hac deficiente ex integro illorum auctoritatem concidere sit necesse? Hac potestate sane non pollent singulares quique Episcopi, quorum dissensio, cur Concilia inficias eat, nemini erit in caussa: ejusmodi ergo esse Pontificis consensum oportet, ac proinde potestatem, qua sola intercedente, irrita illa evadant extemplo, ac proinde sit potestas supra eadem Concilia. Observes 3. decipi turpiter, ac decipere adversarios, dum Concilia a Pontifice mox divisa considerant, mox illi coadunata: nam Ecclesiam sine capite consistere quum nequeat, neque Concilium vere œcumenicum sine Pontifice coalescere potest. Quæ quum ita sint, illud profecto consurgit, Conciliis Papæ consensum, imo confirmationem, (quæ cujus generis sit, an explicata, an implicita, nihil interest,) esse ita necessariam, ut legitimorum loco

loco stare nequeant ea dempta, aut derepta: atque ita intelligenda fore Pontificum, ac Patrum testimonia, quæ fuere paullo superius in aciem producta.

Observes 4. nugaciter dici ab Adversariis Concilia quædam eatenus reprobata, quia illegitima erant, quædam vero probata, quia legitime congregata; atque ab illis quædam gesta adversus regulas fidei, aut Ecclesiæ, adeoque infirmata; quædam recte definita, ac proinde confirmanda fuisse. Nam nemo ex nostris censuit a Pontifice, quem nos falli, & fallere nescium adstruimus, recte definita in Conciliis posse infirmari, aut confirmari pessime decreta: non, inquam, de hoc nos inter, & illos pugnatur, sed propugnamus Concilia etiam œcumenica vim non obtinere, nisi auctoritas Romani Pontificis illis accedat; eaque Concilia vi omni caruisse, quibus Romani Pontificis sola auctoritas intercessit; ac vi illa carere iidem voluerunt. Quod satis, ac super, opinor, ut oportebat, fuit ostensum. Nam sicuti ea Concilia ostendimus in Ecclesia obtinuisse ex sola Pontificis auctoritate, quæ alioquin œcumenica non fuissent ob exiguum Episcoporum numerum; ita & Concilia illa nihil obtinuisse, quæ alioquin vere œcumenica fuisent, eo quod illis Romanus Pontifex intercessit. Observes 5. inconsiderate adversarios dixisse Canones 3. Concilii Constantinopolitani I, & 28. Chalcedonensis a Pontificibus fuisse reprobatos, ideo quod Concilio Nicæno adversarentur. Itaque ipsis concedentibus Oecumenica Concilia errare in re gravi posunt, jura Ecclesiarum pervertere, regulis Ecclesiasticis detrahere &c., quo in casu a Romano Pontifice emendari, ac corrigi tam possunt, quam debent. At Pontifex id præstans nonne potestatem supra Concilia distringit? Nonne de Conciliorum decretis dijudicat? Verum Nicænæ Synodo eos Canones contraire non existimabant Concilii Constantinopolitani, & Chalcedonensis Patres, neque jura Ecclesiarum infringi; pleraque namque suadebant, ut Constantinopolitanus Patriarcha eo honoris gradu sublimaretur. Sed & pari, atque Nicæni, potestate uti poterant Constantinopolitani, & Chalcedonenses Episcopi: quod ergo illi constituerant, isti in irritum (justa accedente causa, quæ accessisse videbatur, quinimo & accesserat cetero-

rum Patriarcharum consensus, unde nulla illis ex eo Canone irrogari poterat injuria, nec eorum infringi jura,) mittere poterant. Itaque sola Romani Pontificis auctoritas id potuit, quod potuissent Concilia; idque potuit, quod Concilia eadem non potuere, scilicet Canonem infirmare, quem communi sententia Concilia statuerant: qua ratione potuisset Canonem quoque confirmare, quem Concilia reprobassent. Quæ quum ita sint, quis prob non videat id non potuisse efficere Pontifices, nisi suprema in Concilia ipsa potestate essent præditi? *Constans est*, inquit Cabassutius in not. Concil. Trid. n. 95, *Catholicorum persuasio posse errori succumbere Concilia, quantumvis numerosa; nisi approbatione supremi totius Ecclesiæ Capitis, ac Petri Successoris muniantur, cui Christus ipse promisit*: Super hanc petram &c. ac: Rogavi pro te &c.

Ex jure Pontificis in Concilia Particularia.

ARTICULUS III.

Ex jure comprobandi Concilia Particularia.

§. I.

PRincipio id juris Romano Pontifici, qua Primatis officio in Ecclesiam omnem defungenti, ex potestate illi a Christo D. facta, incumbere, quo perinde Concilia particularia confirmans ad illum auctoritatis gradum eadem evehat, ut Ecclesiæ universæ fidem omnem obligent, operæ est pretium ostendere. Qua quidem in re, ut fidem meam facile liberem, auctoritate, & exemplo efficiam. Quoad primum, videlicet quoad auctoritatem attinet, ut paucis plurima complectar, instar reliquarum Synodorum particularium sint vota tum Concilii Antiocheni contra Paulum Samosatenum in Synodica epistola ad S. Dionysium Pontificem Maximum: tum Arelatensis adversus Donatistas in epist. Synodica ad S. Silvestrum Melchiadis successorem enixe actorum confirmationem efflagitantis: quamvis istud generale potius

potius visum fuisse dixerimus; qua de re adeundus S. Augustinus in epist. 43, 48, 88, & 105: tum Alexandrini in caussa S. Athanasii in epist. Synodica ad S. Julium I, de qua perlegendus S. Athanasius in apolog. 2: tum Carthaginensis, quod Pelagio, & Cælestio damnatis in epist. Synodica ad S. Innocentium I. hæc habet: *Hoc itaque gestum, Domine Frater, sanctæ Caritati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas:* tum Milevitani, quod ad eumdem eodem de argumento, scilicet de hæresi Pelagiana sic scribit: *Quia Te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocavit... magnis periculis infirmorum membrorum Christi Pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris... Hæc insinuantes Apostolico pectori tuo non opus habemus multa dicere, & tantam impietatem verbis exaggerare, quum procul dubio Te ita permoveant, ut ab eis corrigendis, ne latius serpant, multosque contaminent, omnino dissimulare non possis:* tum Capuani pro extinguendo schismate Antiocheno, de quo adeundus S. Ambrosius in epist. Synodica ad Theophilum Alexandrinum, qua ipsum monet, ut id agere eo in negotio curet, quod S. Siricio Pontifici placere possit: tum Alexandrini contra Nestorium, de quo legenda Synodica S. Cyrilli ad S. Cælestinum: tum Arausicani II. adversus Semipelagianos, quod sic in præfatione habet. *Pervenit ad nos esse aliquos, qui de gratia, & libero arbitrio minus caute, & non secundum fidei Catholicæ regulam sentire velint: unde id nobis secundum admonitionem, & auctoritatem Sedis Apostolicæ justum, ac rationabile visum est, ut pauca capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de SS. Scripturarum voluminibus in hac præcipue caussa collecta sunt, ad docendum eos, qui aliter, quam oportet, sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus.* Synodum hancce confirmans Bonifacius II. in epist. ad S. Cæsarium sic loquitur: *Postulans, ut pro ambiguitate tollenda confessionem vestram auctoritate Sedis Apostolicæ firmaretur... Qua propter affectu congruo salutantes, superscriptam confessionem vestram consentaneam Catholicis Patrum regulis approbamus.* Tandem, ut me ad ultima tempora convertam, Episcopi Conciliorum Rotomagensis anno 1581.

 sub

ſub Carolo Card. Borbonio; Remenſis anno 1583. ſub Ludovico Card. a Guiſia; Burdigalenſis eodem anno ſub Antonio Prevotio Sanſaco; Turronenſis anno eodem ſub Simeone Card. de Maille; Bituricenſis anno 1584. ſub Reginaldo de Beaulne; Aquenſis anno 1585. ſub Alexandro Canigiano; Mexicani ſub Petro Moya de Contreras anno 1585; Mechlinenſis anno 1607. ſub Mathia Archiep.; & Narbonenſis anno 1609. ſub Ludovico de Vervins, acta, & decreta Romam ad Pontifices pro emendatione, & confirmatione miſiſſe apud Harduinum tom. 10, & 11. leguntur. Eadem vero pro ſuprema ſua poteſtate ad Concilii Tridentini exemplar exacta emendarunt, & confirmarunt Pontifices Maximi: nempe Gregorius XIII. acta Conciliorum Rotomagenſis; Remenſis; Burdigalenſis; & Turronenſis: Sixtus V. acta Concil. Bituricenſis; Aquenſis, & Mexicani: Paulus V. Mechlinenſis; ejuſque nomine acta Narbonenſis S. Congregatio Cardinal. Concilii Trident. Interpretum; quæ ita emendata, & confirmata tandem lucem adſpexerunt.

Quamobrem rite pronunciavit doctiſs. Melchior Canus lib.5. de loc.Theolog. cap.4: *Quum ergo Eccleſiæ ſuæ Deus proſpexerit in neceſſariis, nimirum ad hæreſes privatas in Provinciis refutandas Concilia Provincialia ſatis erunt, ſi erunt modo Summi Pontificis auctoritate roborata.* Supra dixerat: *Nec expedit, nec tolerabile eſt ſingulis hæreticis condemnandis ſingulas generales Synodos cogere.* Superaddiderat etiam in definitionibus fidei potius, quam numerum Epiſcoporum Synodum conſtantium, fore attendendam Summi Pontificis auctoritatem. Unde Tournellius tom.1. de Eccleſ. art. 4. egregium dictum hoc Cani expendens: *Reſpondeo*, inquit, *mirum videri non debere, quod exiſtimet Canus res fidei non numero Epiſcoporum, ſed pondere, & auctoritate Romani Pontificis definiri, a quo vim omnem, & auctoritatem Conciliorum derivari arbitratur, atque ubi diſcordes ſunt inter ſe Epiſcopi, ei parti ſemper adhærendum, pro qua ſtat Romanus Pontifex.* Cani ſententiæ ſubinde ipſemet ſubſcribit Tournellius tom.2. de Eccleſ. art. 3. ajens: *Si ergo contingeret* (quem caſum tamen haud futurum credit) *in aliqua fidei controverſia diviſos eſſe Epiſcopos, atque plures ex una parte cum Pontifice Romano, plures ex alte-*

altera sine Pontifice stare, haud dubie ei parti adhærendum foret, quæ Capiti conjuncta esset... Ecclesia siquidem Corpus est visibile Capiti suo Romano Pontifici adunatum; & ipse Pontifex Romanus est Centrum Unitatis, & Communionis Ecclesiasticæ. Ecclesia, *ait S. Cyprianus epist. 69. ad Pupianum*, est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens. Præstat audire postremo Thomassinum dissert. 4. in Concilium Gangrense, ubi ait: *Quod autem semel, iterumque juniores Theologi monuere, tum demum universalem, & infallibilem adsequi auctoritatem Provinciales Episcoporum Synodos, Synodicasque definitiones, quum Romani Pontificis calculo fuerint approbatæ, id perinde est, ac si dicerent, quum Ecclesiæ universalis approbatio eis fuerit accumulata. A Romano enim Pontifice, & ab Ecclesia universali auctorari unum, idemque est: unus Corporis, & Capitis nutus, unus assensus est. Annuente Capite, annuisse universa Corporis compago existimatur. Quod ne leviter, & perfunctorie dictum videri queat, ad vetustiores rursus Theologos devolvi non pœnitebit, & Ecclesiæ adolescentis primævam quasi juventutem explorare.* Tum exorditur a decreto S. Victoris pro celebratione Paschatis; tum agit de S. Zephyrini statuto de Mœchis recipiendis ad pœnitentiam; tum descendit ad S. Stephani doctrinam de hæreticis non rebaptizandis; tum de Origenis scriptis delatis ad judicium S. Fabiani; tum de caussa S. Dionysii Alexandrini ab homonymo S. Dionysio Romano dijudicata &c. in quibus omnibus Pontificum Romanorum judiciis Ecclesiam omnem adquievisse compertum est. Ex qua doctiss. Thomassini egregia sententia viden Natalis, & Bossuetii convulsum omnino toties repositum excogitatum ajentium, tum demum Pontificis judicium evadere infallibile, etiam dum Synodos particulares comprobat, quum illi Ecclesiæ universalis assensus primum accesserit, approbatioque fuerit accumulata!

Quod ad 2. pertinet, videlicet quoad exempla, quamquam Synodos particulares approbatas a Pontificibus, ac propterea legitima, & canonica potientes auctoritate perdifficile sit recensere omnes, præstat tamen eniti, ut quæ certo certius ejusmodi polleant auctoritate, indicentur. Non opus est equidem heic, quod opportuniori perficietur loco, de veteribus Canonum collectionibus

nibus pertractare; sed id unum præstat inquirere, quinam earum auspicio, si fieri possit, Conciliorum Provincialium Canones ex Pontificum auctoritate Ecclesiarum usu consecrati evaserint. Ut autem de Orientalis Ecclesiæ Canonum collectionibus nunc taceam, in ea, quam antiquissimus codex Corbejensis sæculo VI. Romanis caracteribus, sive uncialibus, veluti vocant, exaratus apud Coutantium in præfat. ad epist. Rom. Pontif. §. 2, tanquam Romanæ Ecclesiæ acceptam exhibet, præmisso Roman. Pontificum Catalogo in Vigilii Papæ anno 14. desinente, Concilia occurrunt Ancyranum, Neocæsareense, Gangrense, (cui postremo aliena manu, uti putat Coutantius, assutum legitur Telense, sive Teleptense,) quæ tria priora Concilia probata in Nicæna Synodo Osii Cordubensis testimonio ibidem relato comprobantur; (cui affinis est utique allocutio Andreæ Rhodii in Concilio Florentino sess. 7, in eo tamen decepti, quod in Gangrensis locum Synodum Antiochenam substituerit; siquidem non Antiochena, sed Gangrensis post Neocæsareensem, & Ancyranam ab Osio commemorata hoc in Codice habetur.) Ex his vero obiter vir doctus observat 1. Ancyranam nedum, & Neocæsareensem, sed Gangrensem etiam temporis ordine ante Nicænam celebratam fieri constans; non item Laodicenam, cujus heic Osius nec volam habet. Nec his vero officere ait, quod in vetustissimo Codice Colbertino, de quo paullo post, Nicæni Canones priori loco ante Gangrenses perlegantur: nam potiorem habendam fidem Corbejensi, quam Colbertino hacce in re censet. Observat 2. duos postremos Canones Ancyranos, quos Baronius ab eorum albo ceu assutos rejecit, genuinos esse, nec aliunde advectos; siquidem ex hoc Codice adpareat ab Osio Nicænæ Synodo confirmandos fuisse propositos; e contra spuria esse omnia, quæ Ancyranæ Synodo attribuerunt Gratianus 26. q. 5. Can. 12; Ivo par. 11, cap. 30; Burchardus lib. 10. cap. 1; & Compilator libror. 16. apud Labbeum ad calcem Concilii Ancyrani: quandoquidem horum ne vestigium quidem hoc in Codice extat. Obtinuisse autem Canones trium horum Conciliorum Synodi Nicænæ auctoritate non modo, sed magis S. Innocentii I. conjicere licet ex epist. 7, qua ait: *Quod ad Canonum observantiam attinet, solis*

solis illis parendum esse dicimus, qui Nicaea definiti sunt, quos solos sectari, & agnoscere debet Ecclesia Catholica. Quibus verbis, aut ego fallor, designabat Canones quotquot a Nicæno Concilio procusi nedum, sed probati fuissent, ad differentiam illorum, quos illud nec probasset, nec procudisset. Ad hæc in eadem Corbejensi collectione adjuncti leguntur Canones Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani, Carthaginenses, Agathenses, Epaonenses, Valentini, Taurinenses, Aurelianenses &c.; quibus dein attexuntur Decretales Siricii &c. Quam quidem collectionem a Gallo quopiam Scriptore adornatam autumat Coutantius n. *69*.

In codice Canonum a Quesnello ad calcem oper. S. Leonis M. edito, qui singulariter Romanæ Ecclesiæ acceptus fertur ibidem in fronte, constatque *59*. Capitulis, hoc ordine recensentur Canones Nicæni, & Sardicenses in titulos *46*. divisi sub eadem Nicæni Concilii inscriptione: sequuntur Canones Synodi Carthaginensis anno *397*. celebratæ, Ancyrani, Neocæsareenses, Gangrenses, Carthaginenses alii, Milevitani, Carthaginenses iterum alii; interjectisque decretalibus SS. Siricii &c. usque ad S. Gelasium, Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani, & Telenses, sive Teleptenses. Quæ huic Quesnelliano Codici fides sit adhibenda, suo dicetur loco: cui procul dubio præferendam collectionem a Dionysio exiguo elaboratam probe, facileque percipiet quisque, qui unam cum altera conferat, ex diligentiori nempe opera, quam Dionysius in sua collectione exornanda exantlavit. In hac autem Dionysii collectione exhibentur Capitulis *165*. conclusi, ac sub una numerorum serie dispositi Canones iidem, quos S. Leo IV. recensuit, de quibus paullo post. Cum hac etiam collectione Dionysiana cognationem habet collectio altera Colbertina Langobardicis litteris, idest majusculis exarata, qua usus sæpius est præl. Coutantius, putatque ante annos *900*. elucubratam, ideo quod Gelasianis decretis nihil recenseat recentius. Recensentur autem ibidem Canones Nicæni, Ancyrani, Neocæsareenses, Gangrenses, Carthaginenses in 40. titulos distincti, quos in 33. Capitula Dionysius diviserat; Africani deinde, quos a capit. 101. ad 105. Dionysius retulerat; Chalcedonenses, Constantinopolitani Canones 5; Sardicenses 19; An-

Antiocheni 25, quos excipiunt Decretales a S. Silvestro ad S. Gelasium: adjectumque legitur Symbolum cum Athanasianum, tum Nicænum. Sed ex assutis ibidem pseudo-epigraphis plerisque (qualia, ut ipsemet profitetur, Marcellini, Liberii, Xisti acta, & Silvestri Constitutum, quæ in Codice hocce locum habent; quæ interea tamen probant fabricata hæc jam fuisse non multo post S. Symmachi ætatem) nihil conjectura efficere potuit doctiss. Coutantius, quo Athanasiano Symbolo majorem, quam ex aliis monumentis, ex hoc Codice Colbertino auctoritatem adipisceretur. Præter hos Canones, alios plerosque exhibet codex alter Colbertinus ibidem a Coutantio laudatus §. 5, Conciliorum nempe Arelatensis I, II, & IV; Carpentoratensis; Arausicani I, & II; Taurinensis; Regiensis; Aurelianensis I, II, III, IV, & V; Epaonensis; Turonensis I; Matisconensis I, & II; Telensis; Parisiensis III; Autissiodorensis I; Cabilonensis I; Eliberitani; Tarraconensis; Gerundensis; Cæsaraugustani; Ilerdensis; Toletani I, II, III, IV, V, VI, VII, XI, & XII; Valentini, & Bracarensis I, & II. Quare ex his notis collectionem hancce circa annum *660.* adornatam, & quidem a Gallo-Hispano quopiam Gothorum sub ævum, cui tamen subinde aliena manu assuta multa sint, conjicit eo loci Coutantius. Quia vero commentitiis infarta collectio est, (cujusmodi sunt S. Clementis epistola ad S. Jacobum, & Constitutum Constantini M. in gratiam Romanæ Ecclesiæ) non est, cur fidem obliget omnino nostram. Quam ob caussam dimissis collectionibus aliis Carthaginensi Ferrandi Diaconi; Hispana Martini Bracarensis; Cresconiana; Isidoriana; Romana cum Quesnelli, tum Justelli; Hispana a Petro de Marca S. Leoni M. tributa, ex qua potissimum Isidoriana consarcinata est; Sorbonica ex Isidoriana partem maximam coagmentata; aliisque, de quibus alibi, ad certiora monumenta descendo.

Initio itaque S. Leo IV. P.M. in epist. ad Episcopos Britanniæ, quæ habetur Cap. *de Libellis* dist. 20, ab Ecclesia Romana, ac proinde a ceteris quoque Ecclesiis, approbatos asserit Canones Apostolorum, & Conciliorum Nicæni, Ancyrani, Neocæsareensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis, Sardicensis, Carthaginensis, & Africani.

Ante-

Antehac vero Hadrianus I. Carolo M., dum Romæ ageret, collectionem integram Canonum, quam Ecclesia Romana usu consecrarat, obtulit, de qua disserit Sirmondus tom. 2. Concil. Galliæ, addens ab Hadriano eidem Carolo oblatum etiam librum illum, qui Codex Canonum a S. Nicolao I. dictus est dist. 19. Cap. *Si Romana Ecclesia*. Hunc autem Canonum Codicem eamdem ipsam fuisse Dionysii exigui collectionem, cui deinde tamen, quæ ipsius diligentiam effugerant, adjuncta fuerint alterius studio, antequam Carolo M. ab Hadriano P. M. anno 774. (Sirmondus anno 787. traditam autumat) traderentur, pleraque alia Decreta Pontificum, qualia SS. Hilari, Felicis, Simplicii, Hormisdæ, Symmachi, & Gregorii Junioris perhibet Christophorus Justellus in præf. ad veterem Codicem Ecclesiæ universæ. Ex hac vero Canonum Hadrianea accuratiore collectione Epitomes deinde conflata est, quam publici juris fecit Henricus Canisius tom. 6. antiquar. lection., legiturque tom. 6. Conciliorum, & post ipsum vulgarunt Gretzerus, & Duchesnius tom. 3. Scriptor. Galliæ. In prædicta porro Epitome Canones iidem continentur, qui a S. Leone IV. loco præfato sunt recensiti. Secundum hæc Apostolorum Canones recepti ab Ecclesia Romana, in eaque Collectione commemorati sunt 45: Concilii Ancyrani ab Episcopis 18. anno 316. celebrati sunt Canones 24: Neocæsareensis circa eumdem annum ab Episcopis 17. Canones 14: Gangrensis anno 324, aut 325. juxta Beveregium, aut anno 362. juxta Onuphrium in Chronico, ab Episcopis 16. Canones 20: Antiocheni anno 341. ex Episcopis vel 90. juxta S. Athanasium, vel 97. juxta S. Hilarium, vel 99. juxta Sozomenum, e quibus 36. adfuisse Arianos, a Baronio, Petavio, Petro de Marca, aliisque putatum est. (At Valesius tom. 2. observ. in Socratem, & Sozomenum cap. 8; Pagius in Crit. ad annum 341. n. 9, & seq. ex Arianis 40. alioquin interfuisse ostendens, & Natalis hist. Eccles. ad sæcul. IV. cap. 3. art. 4. §. 10. conjecturam ex epistola S. Julii ad Eusebianos, cui illi innituntur, qua scilicet ad 36. suffragia illorum (scilicet Arianorum) recenseri videntur, qui Gregorium Cappadocem exauctorato S. Athanasio suffecerunt, exsufflant, mendumque esse in versione latina epistolæ S. Julii admonent, quum,

ut ex Græco liquet, scripserit Pontifex Gregorii Cappadocis electionem ea ratione esse irritam, non quidem quod a 36. Episcopis Arianis fuerit electus, sed quod in loco 36. mansionibus distante, idest Antiochiæ, quæ 36. dierum itinere ab Alexandria distat, fuerit inauguratus, quum alioquin in ipsa Urbe Alexandrina, si Ecclesia illa vacasset, eligi debuisset,) Antiocheni, inquam, Concilii sunt Canones 25; in quos præclarum commentarium edidit Emanuel Schelestratius, qui, & post ipsum Cabassutius notit. Eccles. sæcul. IV, Natalis hist. Eccles. ad sæcul. IV. dissert. 26, ac Pagius n. 13, & seqq. hoc Concilium Antiochenum, dempto decreto, quo S. Athanasius sede motus est, eique subrogatus Gregorius Cappadox, ab Ecclesia Romana receptum ostendunt: Laodiceni ab Episcopis 32. non in Syria, sed in Phrygia habiti anno 320. juxta Labbeum, aut 365. juxta Petrum de Marca, aut 372. juxta Harduinum, aut verius 363. juxta Gothofredum, & Pagium ad annum 314. n.25, de cujus Epocha egregie disputat Clariss. Cabassutius in notit. Eccles. sæculi IV, ubi de ista Synodo, Canones 58: Sardicensis, & quidem generalis anno 347. ab Episcopis ex Occidente aut 300, ut auctor est Socrates lib. 2. cap. 20, S. Athanasium non assecutus in apolog. 2, ubi Sardicensi Synodo 300. subscripsisse, non vero interfuisse affirmat; aut 250, ut habet Theodoretus lib. 2. cap. 6; ex Oriente vero 76, aut 59, omnibus plus minus 170, uti scribit in epist. ad Solit. S. Athanasius, sunt Canones 21: Carthaginensis II. anno 397. Canones 13: Carthaginensis IV. anno 398. ab Episcopis 217. sunt Canones 505. collecti ex diversis Conciliis in Africa celebratis sub Aurelio Carthaginensi: Africani, vulgo Carthaginensis VI., anno 419. ab Episcopis 217. sunt Canones 33. In hoc VI. Concilio Carthaginensi recensiti sunt, & confirmati Canones præteritorum Conciliorum, quæ sub Aurelio Primate in Africa celebrata sunt: ex quibus celeberrimus ille Africanæ Ecclesiæ Codex adornatus est, quem Dionysius exiguus Codici Canonum Ecclesiæ Occidentalis inseruit; Johannes Constantinopolitanus, vulgo Scholasticus, Nomocanoni intexuit; Synodus Trullana Can. 2, ubi partem Codicis Canonum Ecclesiæ Orientalis probavit; Theodorus Balsamon græce; Justellus latine cum notis

notis eruditis ediderunt. Quibus in collectione Hadriani subjuncti leguntur Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, & Chalcedonenses, qui in Epitome desunt.

Post hæc, ut de Reginone, Anselmo, Burchardo, & Ivone, quorum collectiones subdititiis multis infartas compertum est, nihil impræsentiarum proferam, Gratianus in Cap. 11. *Adnotatio* dist. 16. inter Canones ab Ecclesia Romana approbatos, & receptos, nedum prælaudatos recenset, sed plerosque alios conglomerat. Juxta eum igitur Ecclesiæ Romanæ usu recepti, & in judiciis Ecclesiasticis consecrati erant Canones Conciliorum Arelatensis I. ab Episcopis 200. (verius 600.) habiti Canones 4. (verius 22.) Arelatensis II. ab Episcopis 19: Arelatensis III. ab Episcopis 16: Arelatensis IV. ab Episcopis 11: Arelatensis V. ab Episcopis 19: Arausicani ab Episcopis 16, aut 26: Epaonensis ab Episcopis 26. Canones 39: Agathensis ab Episcopis 29, aut 34: Aurelianensis I. ab Episcopis 72; Aurelianensis II. ab Episcopis 31: Aurelianensis III. ab uno minus numero Episcopis; quæ eadem in Collectione Isidori extant. Arvernensis ab Episcopis 15: Matisconensis ab Episcopis 21; Matisconensis etiam ab Episcopis 86: Lugdunensis ab Episcopis 18: Lugdunensis II. ab Episcopis 20. Ita Gratianus loc. cit. Verum unum penes Gratianum esto fides: quippe jam sæpius ab viris eruditis est observatum, erroribus scatere, atque quidem adhuc post limam a Gregorio XIII. adhibitam, Gratiani opus; de quibus adeundi præ aliis P. Placidus Bokn doctiss. Benedictin. in Controv. Jurisprud. lib. 1, tit. 2. p. 1. q. 10; & nuper Sebastianus Berardus Academiæ Taurinensis eximius Doctor: unde Canones a Gratiano collectos non aliam habere auctoritatem, quam locorum, unde sunt derivati, ex decisione Auditorum Sacræ Rotæ apud Pennam 480. n. 18. ostendit doctiss. Berti de Theolog. discipl. lib. 20. cap. 18: eoque etiam quod passim circa historiam, Chronologiam, interpretationem, ac Criticem sæpius ille peccarit. De Gratiani collectione recurret sermo.

Posthabita Gratiani fide procul dubio omni Romanæ Ecclesiæ consuetudine, & auctoritate recepta sunt, & obtinent Concilia Romæ frequentissime a Pontificibus Summis celebrata, quæ

quidem omnia vel compendio velle comprehendere res esset tædii, & operæ plena: quocirca satius erit ea indicare, quæ ob fidei, gravioresque disciplinæ caussas habita sunt. Sunt autem Romanum sub S. Victore anno 197. contra Quartadecimanos judaici ritus sectatores, cujus meminit Eusebius lib. 5. hist. Eccles. cap. 23., cuique interfuisse Theophilum Cæsareæ in Palæstina Episcopum, unaque Episcopos 14. refert Synodicus vetus apud Fabritium tom. XI. bibliot. Græcæ. Sub S. Fabiano anno 237. contra Origenem apud Labbeum tom. 1., seu verisimilius sub S. Pontiano, sicut ex Ruffino lib. 2. invect. conjicit Coutantius in S. Pontiano. Sub S. Cornelio anno 250. pro recipiendis lapsis apud Eusebium lib. 8. cap. 43; & S. Hieronymum de Scriptor. Eccles. cap. 76.: anno 251. contra Novatianum, (si tamen alterum ab antecedente fuit, non secus atque sequens) anno 252, in quo Concilium Carthaginense tum contra Felicissimum schismaticum hominem; tum pro recipiendis lapsis habitum est confirmatum. Sub S. Stephano anno 256. adversus rebaptizantes; de quo S. Cyprianus in epist. 74. Sub S. Sixto II. anno 258. contra Noetum, & Sabellium, apud Eusebium lib. 7. cap. 6. Sub S. Dionysio anno 260. juxta Langletum, aut 262. juxta Pagium, aut 263. juxta Baronium, in quo S. Dionysius Alexandrinus erroris omnis circa Sabellium expers declaratus est, teste S. Athanasio eo in commentario, quem de sententia Dionysii adversus Arianos conscripsit. Sub S. Melchiade anno 313. in caussa Cæciliani Episcopi Carthaginensis adversus Donatistas ex Episcopis 19. apud S. Optatum lib. 1. adv. Parmen. Sub S. Julio anno 342, ficuti adversus Baronium, qui illud ad anni 340. exitum retraxit, post Valesium Pagius ostendit n. 3, & seqq., cui Episcopi 50. adfuere, in quo S. Athanasii caussa ad examen vocata est, isque communione, & Episcopatu, quo ab Eusebianis fuerat deturbatus, dignus judicatus est: actum etiam de Paulo Constantinopolitano, Marcello Ancyrano, Asclepa Gazensi, & Lucio Adrianopolitano ab Eusebianis nefarie exauctoratis apud S. Athanasium in apolog. 2. Alterum sub eodem S. Julio anno 349. contra Photinum, uti contra Petavium Concilium istud inficiantem, post Petrum de Marca pro-

probat egregie Pagius n. 4, & seqq., in quo & Ursacius, ac Valens pœnitentiam simulantes, in communionem suscepti sunt. Sub S. Damaso anno 366. adversus Ursicinum Antipapam; Valentem item, & Ursacium Arianos apud SS. Athanasium in epist. ad Africanos, & Hilarium in fragm. Secundum anno 372. adversus Auxentium Mediolanensem pseudo-Episcopum Arianum ex Episcopis 93. apud Theodoretum lib. 2. cap. 22; Sozomenum lib. 6. cap. 23; & Nicephorum lib. 11. cap. 31. Tertium anno 375, cui interfuit S. Petrus Alexandrinus contra Apollinaristas. Quartum anno 378. adversus varios hæreticos, & schismaticos, ac maxime Macedonianos apud auctorem Synodici. Quintum anno 380. de caussa Maximi Cynici, ut adparet ex epist. Concilii Italiæ anni 381. ad Theodosium Imper. Haud me fugit harum Synodorum sub S. Damaso ab aliis qua numerum; qua epocham inficiari; sed Pagii Chronologiam modo sectari satius habui. Sub S. Siricio anno 386. pro Ecclesiastica disciplina in Africa collapsa redintegranda ex Episcopis 80; ut liquet ex epist. Synodica ad Episcopos Africanos; quam quidem adulterinam suspicantur Papebrochius, & Quesnellus, sed genuinam ostendunt Schelestratius, Pagius, & Natalis. Aliud anno 390. adversus Jovinianum, ut habetur ex epist. 2. S. Siricii ad Ecclesiam Mediolanensem.

Sub S. Zosimo anno 418. contra Pelagium, & Cælestium: constat id ex Tractoria ad Episcopos universos. Tractoriæ huic, ideoque summo S. Zosimi juri vim intulerunt Usserius de Britan. Eccles. primordiis; Salmasius in Eucharistico; Quesnellus dissert. de Concil. Afric. contra Pelag.; & Garnerius dissert. 3. de Constit. Imper. in causa Pelag. affirmantes Honorium Imper. haud expectato S. Zosimi decreto, acceptis gestis Synodi Africanæ Legem adversus Pelagianos tulisse. Enim vero ab Africanis Episcopis gestorum suorum adversus Pelagium, Cælestiumque accuratam rationem S. Zosimo fuisse redditam; qua accepta a S. Zosimo Tractoriam una cum Synodica relatione ad Honorium Imper. Ravennæ agentem fuisse missam, iccirco ut decreta sua ad Ecclesias omnes deferrentur observanda, Pelagiani vero Orbi universo hæreticorum nomine habendi denuntiarentur, liquido adparet ex mu-

tuis

tuis Pontificis ad Africanos Episcopos, horumque ad Pontificem litteris; ex S.Augustino lib.2. de pecc. orig. cap.8, & epist.215. ad Valentinum; Mario Mercatore in commonit.; S.Prospero contra Collat. cap. 41, & in Chronico ad hunc annum; apertissimeque ex S. Possidio in vita S. Augustini cap. 8. Quorsum igitur nefaria juris inversione ad Principalem potius, quam ad Pontificiam auctoritatem confugisse Africanos Antistites comminiscuntur? Quorsum contra rei veritatem, uniusque conflandæ invidiæ amore Pontifici jus profecto indubium de fidei caussis dijudicandi aut imminuere, aut adimere Osores isti enituntur? At Episcopos Africanos veritos fuisse, ne Zosimus sententiam proferret in Ecclesiæ, fideique damnum proditurам, ideoque id inivisse consilii, ut ab se latam Imperiali lege comprobari procurrarent, graveque, quod ex Pelagianæ hæreseos confirmatione ex Pontifice imminebat periculum, amoverent, ac propulsarent subjungit Quesnellus. Sed commentum est istud, atrocissimaque calumnia. Etsi enim oeconomiæ cujusdam specie aliquando cum Cælestio sibi agendum proposuisset Pontifex, læsæque charitatis, violatorum imo Canonum Africanos accusasset, suspicionem tamen omnem, qua apud Africanos Antistites de præjudicio fidei inferendo laboraret Zosimus, quamve idem Zosimus præberet existimandi, votoque fingendi ab se favorem Pelagio, Cælestioque fore impendendum, procul amoliti sunt S. Augustinus lib. 2. de pecc. orig. capp. 6, & 21; ac in epist. 215, alia 47. ad Valentinum; S. Prosper in Chron., & Paulinus in libello contra Cælestium S. Zosimo oblato. Sed de his satis.

Sub S. Cælestino anno 430, & 431. adversus Nestorium, ut liquet ex ejus epistolis ad Nestorium, ad S. Cyrillum Alex., ad Clerum Constantinop., ad Johannem Antiochenum, ad Rufum Thessalon., ad Juvenalem Hierosol., ad Flavianum Philippensem, & ad Synodum Ephesinam, quæ insertæ sunt par. 1. Concilii Ephesini. Sub S.Leone anno 444. adversus Manichæos: conjicitur ex epist.2, nunc. 8. ad Episcopos Italiæ, & 15, alias 93. ad Turibium, atque ex S.Prospero in Chron. ad annum 443. Quamquam Quesnellus dissert.1.Concilium nullum hac in re habitum, sed unius S. Leonis auctoritate rem actam omnem autumat. Al-

terum

terum anno 449. juxta Baronium, aut vetius 450. juxta Quesnellum, & Pagium, in quo Ephesina pseudo-Synodus est proscripta. Sub S. Hilaro anno 465, in quo statutum Episcoporum caussas ad Apostolicam Sedem spectare, apud Lupum tom. 1. Epistolarum Cassinensium. Quo in Concilio Maximus Taurinensis ante Ebredunensem, & Mediolanensem Metropolitas subscripsisse legitur. Sub S. Simplicio anno 478. adversus Timotheum Ælurum, Petrum Fullonem, Johannem Apamenum, & Paulum Ephesinum Theophaschitas homines: liquet id ex epistolis 3, & 4. S. Felici III. in collect. Concil. male adscriptis, quas S. Simplicio restituendas ostendit Pagius in Critica Baronii ad cit. annum. Sub S. Felice III. anno 484. ex Episcopis 67. adversus Vitalem, & Misenum Apostolicæ Sedis Legatos, quod hæreticorum communione se polluissent, ac Pontificis mandata prævaricati fuissent; & adversus Petrum Moggum Alex., & Acacium Constantinopolitanum apud Labbeum tom. 4. Concil.. Aliud sub eodem Pontifice anno 485, ut adversus Valesium illud ad annum 484. retrahentem ostendit Pagius, eosdem adversus Eutychianos, ut constat ex epist. S. Felicis 5. ad Zenonem Imp. Alterum anno 487. ex Episcopis 38. coadunatum ob caussam Lapsorum in Africa Wandalica desæviente persecutione, ut adparet ex epist. 7. ad universos Episcopos. Sub S. Gelasio anno 495, vel 496, in quo decretum editum de libris, quos Romana Ecclesia aut recipit, aut respuit: item de ordine, quo Patriarchales Sedes post Romanam sunt recensendæ. Porro decretum istud de libris qua germanis, qua apocryphis, qua dubiis a nonnullis S. Damaso, ab aliis S. Hormisdæ adscriptum, S. Gelasio esse adjudicandum ostendit uterque Pagius in Critica Baronii, & in S. Gelasio. Sub S. Symmacho anno 499. ex Episcopis 72, in quo actum de abigendo procul ambitu in comitiis Pontificiis; deque omni schismatis aditu præcludendo, apud Theodorum Lectorem lib. 2. hist. eccl. in eo castigandum, quod scribit istud Concilium a Theodorico Rege indictum, quum indictum a S. Symmacho constet ex actis Concilii, & auctore libri Pontificalis. Alterum ordine tertium anno 502. ex Episcopis 64. coactum, quod cum quarto dicto Palmari a Baronio, & Labbeo perperam confusum osten-

ostendunt Sirmondus, & Pagius, in quo abrogata est Lex Odoacris Regis Italiæ, qua decretum fuerat, ne absque Italiæ Regis consensu eligeretur Romanus Pontifex: atque ne liceret Pontifici Romano quidquam ex bonis Ecclesiæ alienare. Aliud insuper ordine IV. dictum Palmare a loco anno 503. ex Episcopis 115. pro vindicanda adversus Laurentium pseudo-Papam S. Symmachi innocentia, de quo paullo post, pro quo Concilio apologiam adornavit Ennodius Ticinensis in Concilio V. Romano anno sequenti comprobatam. Romana isthæc Concilia ante sæculum VI. habita sunt, si unum, aut alterum excipias sub Symmacho adunatum.

Post sæculum VI. succurrunt Romanum sub S. Hormisda anno 518, vel 519, in quo redintegrata cum Romana Ecclesiæ Orientalis est unio, ea tamen lege a Pontifice præscripta, ut Acacii, Euphemii, & Macedonii nomina e diptychis delerentur. Agendum copiose de hoc argumento erit. Sub Johanne II. anno 534. adversus Monachos Acæmetas negantes Unum e Trinitate carne passum, atque B. Virginem proprie Dei Matrem: qua de controversia Acæmetas inter, & Scythas exagitata alio in loco agemus; diserte vero agit Christianus Lupus in notis ad Synodum Ephesinam: constat id liquido ex litteris Johannis II. ad Justinianum, & ad Avienum, aliosque Senatores tom. 4. Concil. recensitis. Sub S. Gregorio Magno anno 590. pro extirpatione schismatis Aquilejensis, dequo alibi: liquet ex epist. 16. lib. 1. ad Severum Aquilejensem, qua eum una cum Episcopis schismatis sectatoribus ad Concilium evocabat. Aliud sub eodem S. Gregorio ann. 595, in quo Johannes Presbyter Chalcedonensis Ecclesiæ a Johanne Jejunatore Constantinopolitano Episcopo injuste exauctoratus, atque ad Apostolicam Sedem appellans suo manere loco est jussus, rescissum vero judicium Concilii Constantinopolitani testatur id totum ipsemet S. Gregorius lib. 4. ind. 13. epist. 44, & lib. 5. epist. 15. ad Johannem Constantinopolitanum; 16. ad Mauritium Imper., & 17. ad Theoctistam cognatam Imperatoris. Tertium anno 600. juxta Pagium, aut 601. juxta Labbeum, Harduinum, & Langletum, in quo damnatus est Andreas quidam græcus homo impostor, falsarius, & hæreticus, ut habetur epist. 69. lib. 9. indict. 4. ad Eusebium Thessalonicensem:

sem: de cujus erroribus recurret sermo: erant enim Incorrupticolarum sectæ communes, ut est apud Photium cod. 162. Quartum anno 601, in quo decretum editum, quod *Constitutum* appellari consuevit, quove Monachorum indemnitati consultum est. Simile subinde est editum in Concilio Romano anno 610. a S. Bonifacio IV., quod publici juris fecit Holstenius in collect. Romana.

Sub Severino anno 640, in quo damnata est Ecthesis Heraclii, sicuti probat Pagius adversus Baronium, Combesisium, & Garnerium in ea versatos opinione, quod a Severino adversus Monothelitas nullum fuerit congregatum Concilium, ideoque Johannes IV. proscriptæ synodice hujusce hæreseos laudem primus retulerit. Quamquam nec a veri specie abludere sententia Garnerium arbitrarer, dum autumat a Severino adversus Monothelitas decretum quidem damnationis editum, Concilium autem nullum ab eodem coadunatum. Sub Johanne IV. anno 641, in quo una cum Ecthesi Heraclii Monothelitæ damnati sunt, teste Theophane in chronog. ad annum 20. Heraclii. Sub Theodoro anno 648, in quo Pyrrhum quidem condemnatum ex Theophane, Anastasio, & Auctore Synodici demonstrat Pagius, non etiam Paulum, sicut opinatus est Baronius: quem postea tamen ab eodem Pontifice damnatum contra Combesisium ostendit: cum quo interea consentit Typum Constantis a Theodoro haud fuisse proscriptum. Sub S. Martino I. anno 649. ex Episcopis 105. conflatum, in quo in Ecthesim Heraclii, & Typum Constantis anathema irrogatum: atque item Monothelitarum primipilos Theodorum Pharanitam, Cyrum Alexand., Sergium, Pyrrhum, & Paulum Constantinopolitanos pseudo-Episcopos. Sub S. Agathone anno 678. in caussa S. Wilfridi Eboracensis Episcopi ab Egfrido Rege loco moti, atque ad Apostolicam Sedem appellantis apud Mabillonium sæculo IV. Benedict. Alterum sub eodem S. Agathone anno 679. ex Episcopis 125. conflatum adversus Monothelitas apud Harduinum tom. 3. Sub Johanne VI. anno 704, ut ex Eddio in vita S. Wilfridi cap. 50, & epist. ejusdem Johannis ad Ethelredum Merciorum, & Alfridum Northumbrorum Reges adversus Baronium sub Jo-

hanne VII. anno 705. habitum autumantem ostendit Pagius, in eadem S. Wilfridi caussa. Sub S. Gregorio II. anno 721. adversus illicita ob cognationem spiritualem, aut carnalem conjugia. Alterum sub eodem anno 730. adversus Iconoclastas apud Hadrianum I. in epist. ad Carolum Magnum. Sub S. Gregorio III. anno 732. ex Episcopis 93. teste Anastasio pro cultu Sacrarum Imaginum contra eosdem Iconomachos. Sub S. Zacharia anno 743. pro disciplina Ecclesiastica ex Episcopis 40. apud Baronium ad præfat. annum. Aliud sub eodem Pontifice anno 745. adversus Adelbertum, & Clementem hæreticos, qui S. Bonifacio Moguntino non leve negotium facessebant apud Surium ad diem 5. Junii. Sub Stephano III, seu IV. anno 769. pro cultu SS. Imaginum, & contra Constantinum Antipapam. Ex Codice Veronensi Romæ edidit Concilium istud anno 1735., (cujus fragmenta nonnulla ediderat Holstenius, ac 12. Episcoporum nomina suppleverat Sirmondus,) doctissimaque dissertatione illustravit, ac Sirmondum emendavit, aliosque ipsum sequutos, Vir Cl. Cajetanus Cennius. Sub Leone III. anno 798, aut 799. ex Episcopis 57. adversus Felicem Urgelitanum, cujus libellus ejusdem erroribus refertus damnatus est, atque adversus Elipandum Toletanum errorum socium apud Labbeum tom. 7, ipsumque Felicem in confessione fidei edita anno 799. in Concilio Aquisgranensi. De altero Concilio sub eodem Pontifice, in ipsiusque caussa celebrato paullo post disputandum erit.

Post Sæculum VIII. occurrunt Concilium Romanum sub Eugenio II. anno 826. ex Episcopis 63. habitum, & ab Holstenio par. 2. collect. Romanæ publici juris factum, in quo disciplina Ecclesiastica canonibus 38. est sancita, quos adauxit dein, ac confirmavit S. Leo IV. in alio Concilio Romæ celebrato anno 853. Sub S. Nicolao I. anno 863, in quo damnati Photius, ejusque ordinator Gregorius Syracusanus: in gradum pristinum restituti S. Ignatius, & qui in odium Ignatii depositi in exilium fuerant amandati: gradu e contra deturbati, qui in Photii partes descenderant, nec ab iis discesserant: conscripta etiam damnatio in Zachariam, & Rodoaldum Legatos, qui a Photio in prævaricationem se abduci passi fuerant; & confirmato cultu sacrarum Imaginum

num conclamatum tandem contra Iconomachos. Sub Hadriano II. anno 868. adversus eumdem Photium; cujus acta inserta sunt actioni 7. Synodi VIII. Sub Johanne VIII. anno 877, in quo Carolo Calvo Imperatoria dignitas confirmata est, de quo adeundi Sirmondus tom. 3. Concil. Gall.; Chiffletius hist. Trenorciensis p. 221, & Pagius ad eum annum n. 4. Sub Johanne IX. anno 898, vel 899, in quo acta pseudo-Synodi Romanæ a Stephano VI. contra Formosum rescissa sunt, confirmata vero electio Lamberti Imperatoris, Berengarii autem infirmata. Berengarii loco legendum Arnulphi nonnulli contendunt. Sed non Arnulphi, bene vero Berengarii electionem eo in Concilio rejectam ostendit Franciscus Pagius in Johanne IX. Sub Agapeto II. anno 949, in quo confirmata sunt Concilia Ingilenheimense, & Trevirense anno superiori habita, teste Flodoardo ad cit. annum, in quibus Remensem in Sedem restitutus Artaldus, ab eadem deturbatus Hugo, aliique ab eo ordinati Episcopi anathemate innodati: sancita quoque quædam disciplinæ capita, inter quæ quod Paschatis hebdomada, item 2, 3, & 4. feria Pentecostes non minus, quam dies Dominica solemniter honorentur: ut Rogationum dies tum S. Marco sacer, tum ante Ascensionem jejunio consecrentur.

Sub Benedicto VII. anno 975. adversus Bonifacium VII. Antipapam. Alterum anno 983. adversus Simoniacos. Sub Johanne XV. anno 993. in caussa canonizationis S. Udalrici Augustensis Episcopi apud Baronium ad cit. annum; Labbeum tom. 9, & Harduinum tom. 6. Sub Gregorio V. anno 996, in quo S. Adalberto Pragensi facta facultas prædicatum Evangelium ad exteras gentes se conferendi, inque Cameracensem Episcopum ordinatus Herluinus est, apud Labbeum tom. 9. Concil. Sub Clemente II. anno 1047, in quo in Simoniacos anathema irrogatum, atque composita contentio de primo post Pontificem loco inter Archiepiscopos Ravennatem, Mediolanensem, & Aquilejensem, adjudicato illo scilicet Ravennati, uti liquet ex litteris Clementis II. apud Labbeum tom. 9; atque Hieronymum Rubeum lib. 5. hist. Ravennat. pag. 283. Sub S. Leone IX. anno 1049. contra Simoniacos. Alterum sub eodem anno eodem juxta Mabillonium, aut verius anno 1050. juxta Pagium, in quo S. Gerardus

Episcopus Tullensis Albo Sanctorum adscriptus est; Berengarius hæresis damnatus; & Lantfrancus innocens declaratus, apud Lantfrancum in opere adversus Berengarium; apud Chiffletium, & Henschenium ad diem 23. Aprilis. Aliud sub eodem Pontifice anno perinde 1051, in quo Gregorius Vercellensis Episcopus ob nefanda scelera, unaque Simoniaci damnati, & decretum editum, quod *Constitutum* vocatur, de continentia Clericorum, ut auctor est S. Petrus Damiani in epist. ad Cunibertum Taurinensem Episcopum. Quartum sub laudato S. Leone anno 1053, in quo Patriarchæ dignitas supra Forojuliensem, seu Aquilejensem adjudicata est Episcopo Gradensi, dicto etiam novæ Aquilejæ Episcopo apud Pagium ad cit. annum, quo de argumento alibi: diris etiam devota hæresis Fermentaceorum a Michaele Cerulario, & Leone Acridano invecta, asserentibus verum Sacrificium, nisi ex pane fermentato non offerri, ideoque verum Sacrificium non offerri ab Ecclesia Latina: ita apud Henschenium in vita S.Leonis IX. descripta a Wiberto lib. 2. cap. 5. Observes obiter cum Mabillonio lib. 2. de re diplom. cap. 25. §. 7. a S. Leone IX. annos Incarnationis ab ipso Pontificatus initio statim usurpatos, etsi non semper; eidemque calculo institisse deinde Victorem II, Stephanum IX, Nicolaum II, Alexandrum II, S. Gregorium VII, & Victorem III; ideoque hunc morem, uti ferunt, primitus invectum non fuisse ab Eugenio IV.

Sub Nicolao II. anno 1059, in quo Berengarius errores suos ejuravit, apud Chiffletium in opusc. de Berengarii damnatione: decretum quoque editum de electione Romani Pontificis apud Pagium in critica Baronii ad cit. annum: Simoniaca denique hæresis damnata apud S. Petrum Damiani opusc. 30. cap. 1, apud Labbeum tom. 9, & apud Nicolaum ipsum epist. 8. ad Episcopos Galliæ, & Aquitaniæ. Aliud anno 1061. habitum in caussa Aldredi Eboracensis observat Pagius adeundus num. 8, & seqq. Sub Alexandro II. anno 1063. ex Episcopis 100, & amplius, in quo S.Leonis IX, & Nicolai II. statuta contra Simoniacos confirmata sunt: Petrus Florentinus Episcopus ob simoniam gradu dejectus: sancita vita communis Clericorum: prohibita beneficiorum pluralitas, & consanguineorum conjugia usque ad 7. gradum

gradum vetita, aliaque hujus generis decreta, apud Baronium ad præfatum annum. Duo alia sub eodem Alexandro anno 1065. adversus quosdam Jurisperitos propugnantes tanquam licitas nuptias, quas tanquam incestuosas Ecclesia damnaverat, quippe qui quinque gradus in conjugiis non secus, ac in successionibus juxta leges Justiniani computandos fore contendebant, apud S. Petrum Damiani opusc.12. cap.29; Caussa 35. q.4. cap. *Ad Sedem Apostolicam*; & apud eumdem Alexandrum epist. 36. ad Episcopos, Clericos, & Judices Italiæ. Alterum anno 1073, in quo Gothofredus Ecclesiæ Mediolanensis invasor est damnatus, ex Puricello lib. 4. vitæ S. Herlembaldi cap. 34; & S. Gregorio VII. lib.1. epist.15. collegit Pagius ad cit. annum n.11. Sub S.Gregorio VII. anno 1074. contra simoniacos, & incontinentes Clericos; de quo legendæ ejus epistolæ 42, & 43. lib.1. Secundum sub eodem Pontifice anno 1075, in quo contra investituras, & Sacerdotes fornicarios decretum editum; & damnatus Robertus Apuliæ Dux, aliique proscripti ex familia Henrici Germaniæ Regis, quem in Synodo Romana III. anno 1076.anathemate devinxit, & loco dejecit: de quo legendus Cl. Ludovicus Gotti in S. Gregorii VII. vindiciis colloq. 11. §. 14. Alterum ordine IV. sub eodem Gregorio anno 1078. pro caussa Henrici, & Rudolphi pro Imperatoribus se gerentium. Quintum, & sextum anno 1079. adversus Berengarium ad ingenium regressum. In eo etiam excommunicatus est Nicephorus Græcorum Imperator. Sed & Berengarius in Romana Synodo tertiam fidei professionem emittere est compulsus; & in Synodo VII. anno 1080. sub eodem S. Gregorio Henricus depositus est, Rodulpho vero regia confirmata dignitas: atque quidem eadem pœna in Henricum confirmata in Synodis VIII, IX, & X. anno 1081, 1083, & 1084. Mitto alia sub Urbano II, Paschale II, & Callisto II. adversus Schismaticos, & Simoniacos celebrata. Sub Alexandro III. anno 1167, in quo Fridericus II. Imperator Victoris pseudo-Papæ defensor anathemate innodatus est, & Imperio motus, ut constat ex Johanne Saresberiensi in epist. 60. ad Johannem Pictav. Sub Innocentio III. anno 1210, in quo Otto Imperator e fastigio est deturbatus apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1999. Sub Gregorio IX.

gorio IX. anno 1228, in quo confirmatæ pœnæ jampridem in Fridericum II. Imp. latæ apud Raynaldum. Sub Bonifacio VIII. anno 1302. adversus Philippum cognomento Pulchrum Francorum Regem apud Harduinum tom. 7. pag. 1251. Parciores in congregandis Concilis fuere sequiorum temporum Pontifices, præsertim ab eo tempore, quo sacræ Cardinalium Congregationes, tanquam perennes Synodi dirimendis Ecclesiarum caussis semper præsto, sunt subrogatæ.

Ad hæc ad ejusdem in Ecclesia auctoritatis gradum evecta sunt Concilia quotquot ubique gentium habita, quibus præsentes adfuere aliquando Pontifices. Ea etiam Concilia, in quibus desiderata quidem ejusmodi Pontificis Romani præsentia est, attamen non defuit auctoritas, qua approbata fuere, ideoque Ecclesiæ fidem obligandi exinde obtinuerunt. Eorum autem ecce tibi elenchum. Cæsareense in Palæstina sub Theophilo anno 198; Ponticum sub Palma; Lugdunense sub S. Irenæo; Osrhoenum sub incerto Præside; & Corinthiacum sub Bachyllo; quæ contra Quartadecimanos S. Victoris jussu indicta, eique accepta evasisse, conjectura assequi est ex Eusebio lib. 5. hist. eccles. cap. 23, & seqq.; Auctore Synodici; ac V. Beda de æquinoctio vernali: qua de re consulendi Labbeus tom. 1. pag. 597, Baluzius in nova collect. pag. 13, & Coutantius de S. Victore I. §. 1. Lambesitanum in Africa contra Privatum hæreticum anno 240, quod calculo comprobavit suo S. Fabianus, teste S. Cypriano in epist. 55. ad S. Cornelium. Carthaginense anno 251. in causa lapsorum in persecutione; & contra Felicissimum Presbyterum, ejusque partiarios; quod confirmavit anno sequenti S. Cornelius, uti scribit S. Cyprianus in epist. 52, & 68. Carthaginense anno 252. contra Privatum, Felicissimum, & Novatianum ab eodem S. Cornelio approbatum, teste S. Cypriano mox laudato loco. Antiochenum adversus Novatianum anno 252. a Demetriano S. Cornelii jussu congregatum, sicut habet Auctor Synodici. Carthaginense anno 253, in quo latæ in Basilidem Legionensem, & Martialem Asturicensem Episcopos libellaticos ab Hispanis Episcopis depositionis sententia comprobata est; Sabino vero, & Felici eorum in locum subrogatis confirmatus gradus; quod judicium ratum habuit

habuit S.Stephanus apud S.Cyprianum epist.68. Antiochenum II, aut III. anno 269, aut 270, in quo Paulus Samosatenus à sede dejectus est. Ex eo ad S. Dionysium litteræ datæ, a quo Synodi sententia est probata, & Paulus e gradu pulsus. Adeundi Eusebius lib.7.cap.30; Valesius ibidem; & Pagius ad annum 271. n.2, & seqq. Arelatense anno 314. contra Donatistas ex Episcopis 600. juxta Adonem, aut 200. juxta Baronium conflatum, quod plenarium vocatum à S. Augustino putant Launojus, Sirmondus, & alii. Ab eo relatio missa ad S. Silvestrum, a quo acta ratahabita sunt. Adeundi, qui de Concilio isto accurate disserunt Scelestratius antiq. illustr. par. 2. dissert. 1. cap. 7. art. 3; Valesius in dissert. de Schism. Donatist. cap. 9; Sirmondus tom. 1. Concil. Labb., & Pagius ad annum 314. n. 22, & seqq.

De Ancyrano, & Neocæsareensi, quæ probarunt Nicæna Synodus, & S. Silvester; ac Laodiceno, quod Synodus III. Constantinopolitana, ac proinde ejusdem approbator S. Agatho probavere, supra dictum est. Alexandrinum I, & II. anno 315, & 321. adversus Arium a S. Alexandro Episcopo Alexand., unaque ex 100. circiter Episcopis adunatum, ex quo adversus eumdem Arium encyclicas ad Episcopos litteras, atque speciatim ad S. Silvestrum dedit idem S. Alexander, ut conjicere licet ex S.Liberio in epist. ad Constantium Imp. apud S. Hilarium in fragm., Theodoreto lib. 1. cap. 4, & Socrate lib. 1. cap. 10. Alexandrinum III. anno 329, aut 330. adversus eumdem Arium, & Sabellium, in quo actum quoque de more diverso celebrandi Pascha; de schismate Meletii, & de Coluthо Presbytero munia Episcopalia usurpante, cui Osius præfuit, & calculum adjecit suum S.Silvester. Legendi S. Athanasius in apolog. 2, Socrates lib.3. hist. cap. 5; & Baronius ad annum 319. Alexandrinum anno 339. in caussa S. Athanasii, e quo ad S. Julium exaratæ litteræ sunt, ut auctor est S. Athanasius in apolog. 2, cuique proinde probata S. Athanasii innocentia est. De Antiocheno supra jam actum est. Gangrense anno 324, vel 325, vel 326, vel post 340, & ante 357, ut Pagius arbitratur, de quo superius, in quo Eustathius, non quidem ille Armenus Monachus, ut putavit Baronius, sed Sebastenus, Arianarumque partium pseudo-Episcopus damna-

damnatus est, cujus errores innovarunt Lutherus, & Calvinus; ut videre est apud Natalem hist. Eccles. ad Sæculum IV. in Synopsi cap. 3. art. 10; cujus Concilii Canones Romanæ Ecclesiæ probatos constat ex S.Symmacho in Synodo Romana VI. anno 504. Vide Socratem lib. 2. cap. 43; Sozomenum lib. 4. cap. 24; recole & dicta superiori §. 1. Mediolanense anno 345. juxta Papebrochium, aut 346. juxta Petrum de Marca, Sirmondum, & Pagium, aut 347. juxa Petavium, in quo reprobata formula μακρόστιχον ab Arianis in pseudo-Synodo Antiochena anno 345. adornata; & proscripta Ariana hæresis: id liquet ex epistola S. Liberii ad Constantinum Imp. apud S.Hilarium in frag. 1. Mediolanense alterum anno 347, aut 349, quod subdititium putavit Sirmondus, cum priori confudit Petavius, vindicarunt autem, ac diligenter distinxerunt Petrus de Marca, & Pagius. In eo Ursacius, & Valens rogata venia in communionem recepti sunt: damnatus etiam hæresis nomine Photinus. Consulito Pagium ad cit. annum n. 8, & seqq. Alexandrinum sub S.Athanasio anno 362. contra Arianos, cui interfuit S. Eusebius. Parisiense eodem anno circiter, eademque de caussa, cui S. Hilarius adfuit. Illyricianum anno 367. sub S. Liberio, aut verius sub S. Damaso anno 372, aut 373. pro fide Nicæna, ad cujus Concilii Episcopos datis litteris de rebus optime gestis sunt gratulati Italiæ Episcopi apud S. Hilarium in fragm., & Theodoretum lib. 5. cap. 11.

De Carthaginensi, & Africano dictum est supra. Antiochenum anno 380. contra Apollinarem, quod probavit Constantinopolitanum I., ut constat ex epist. Synodica ad S. Damasum apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. Cæsaraugustanum anno 380. contra Priscillianistas, in quo scilicet damnati sunt Instantius, & Salvianus Episcopi, Elpidius; & Priscillianus laici. Sed & iidem Priscillianistæ pessime audierunt a Burdigalensi anno 385; Toletano I. anno 400; Hispanis duobus incerti loci sub S. Leone M.; & Bracarensi I. anno 560, quæ ab Ecclesia Romana eam ob rem sunt recepta. Aquilejense anno 381. contra Palladium, & Secundianum Arianos Episcopos, & Attalum ejusdem sectæ Presbyterum, cui præfuit S. Ambrosius, illudque profecto acceptum habuit S. Damasus Pontifex Maximus; ut cujus caussa eo in Concilio

cilio contra Ursicinum acta est. Petrus Franciscus Chiffletius Soc. J. in vindiciis oper. Vigilii Tapsensis Aquilejensis Concilii acta ceu subdititia explosit: quæ tamen genuina procul dubio ostendit Hermantius lib. 3. cap. 3. vitæ S. Ambrosii. Capuanum anno 389. contra Bonosum Sardicensem Episcopum, quem prædamnatum a S. Damaso refert Marius Mercator in 12. anathemat. Nestorii; & in caussa schismatis Antiocheni, cujus extinguendi provincia Theophilo Alexandrino demandata est, actaque probavit S. Siricius. Mediolanense anno 390. a S. Ambrosio adversus Jovinianum: actorum seriem ad S. Siricium misit idem S. Doctor, certiotemque fecit juxta ipsius sententiam damnatum Jovinianum fuisse. Carthaginense II. sub S. Innocentio I. anno 416. ex Episcopis 68. coadunatum advetsus Pelagium, & Cælestium, ex quo ad Innocentium I. Synodica missa rogarunt Patres, ut Synodi gesta auctoritate Apostolica confirmaret; quod ad votum cessit. Milevitanum ex Episcopis 61. anno eodem contra eosdem Pelagianos, ab eodemque S. Innocentio confirmatum. Carthaginensia duo intra unius anni 418. ambitum celebrata, quæ in unum confudere Baronius, & Antelmius differt. 8. de operibus S. Leonis M., & S. Prosperi, probe vero distinxere Norisius lib. 1. hist. Pelag. cap. 14, Pagius ad hunc annum n. 7, & seqq., Usserius in antiq. Britan. cap. 10, & Vossius hist. Pelag. lib. 1. cap. 44, adversus Pelagianos; quæ S. Zosimo probata fuisse adparet ex rescripto ejusdem Zosimi, & S. Augustino epist. 47, nunc 215. ad Valentinum. Constantinopolitanum sub Attico anno 424. circiter, cujus meminit S. Augustinus contra Julianum lib. 3. cap. 1, contra Pelagianos, quod ratum habuit S. Cælestinus in epist. 5. ad Nestorium, quæ prostat 1. p. Concilii Ephesini cap. 8. edit. Harduini. Alexandrinum anno 430. a S. Cyrillo contra Nestorium de mandato S. Cælestini, a quo est confirmatum: Synodica eo ex Concilio ad Nestorium missa extat par. 1. Concilii Ephesini cap. 4. apud Harduinum pag. 1283. Arausicanum I. a S. Hilario Arelatensi anno 441. ex Episcopis 17. collectum disciplinæ instaurandæ gratia, quod calculo comprobavit suo S. Leo M., non secus atque Constantinopolitana duo sub Flaviano anno 448, & sub Anatolio anno 450, de quo Quesnellus differt. 1. Arausica-

 num II.

num II. anno 529. a S.Cæsario Arelatensi, qui quum S.Felicis IV. auctoritatem adversus Semipelagianos sollicitasset, ab eoque dogmata de gratia, & libero arbitrio ex S. Augustino deflorata accepisset, eademque in Concilio protulisset, secundum eadem contra Semipelagianos est pronunciatum. Valentinum eodem anno, ab eodemque S. Cæsario contra eosdem Semipelagianos habitum: utrumque vero confirmavit Bonifacius II, sicuti constat ex ipsius epist. ad S. Cæsarium; & Cypriano in vita S. Cæsarii Confer & Eminent. Norisium lib. 1. hist. Pelag. cap. 23.

Præter hæc, aliaque plurima, Romanæ Ecclesiæ consuetudine, ad quam approbe conformabantur, recepta sunt, usuque sacrata Concilia Carthaginensia septem: Bracarensia tria: Toletana sexdecim: Hispalensia duo: Ilerdense, Gerundense, & Autisiodorense: Parisiensia I, & II: Cabilonense, & Triburiense: Turonensia I, & II: Germanicum, & Liptinense sub S.Bonifacio Mogunt. anno 742, & 743. a S.Zacharia Pontifice Maximo comprobata ex Benedicto Levita in præfat. ad tres posteriores libros Capitularium. Ad hæc Tricassinum I. anno 867. ab Hadriano II. in epist.ad Synodum Tricassin.Tricassinum II. anno 878. a Johanne VIII; ut nihil meminerim Ravennatensis, Ticinensis, Pontigonensis, Duziacensis, alterius Ravennatensis sub eodem Pontifice. Altheimetense anno 916. a Johanne X. Ingilenheimense, & Trevirense anno 948. ab Agapeto II, teste Flodoardo ad annum 949. Vercellense anno 1050. contra Berengarium, & Johannem Erigenam a S.Leone IX. Parisiense eadem de caussa, eodem anno, ab eodemque Pontifice: quibus adnectenda Papiense, Remense, Moguntinum, Sipontinum, & Mantuanum ob caussas diversas celebrata. Florentinum anno 1055. contra eumdem Berengarium a Victore II; Turonense eodem anno contra eumdem sub eodem Pontifice. Rotomagense anno 1063. contra Berengarium sub Alexandro II. Pictaviense anno 1073, aut 1075. contra eumdem, sub S. Gregorio VII. San Maxentianum in Pictavis ea de re, eodem anno, sub eodemque Pontifice. Burdigalense anno 1079. contra Berengarium sub eodem S. Gregorio. Mitto Concilia Melphitanum, Beneventanum, Trojanum, Constantiense, Placentinum, Claromontanum, Lemovicense, Turonense, Nemausen-

mausense, Barense ab uno Urbano II. celebrata. Nannetense anno 1127. rogatu Hildeberti Turon. ab Honorio II. in epist. ad Episcopos Prov. Turon. Jotrense anno 1135. ab Innocentio II. in epist. ad S. Bernardum, a quo, atque a V. Petro Clun. epist. 17. lib. 1. fuerat obsecratus. Parisiense anno 1147, & Remense anno 1148. sub Eugenio III. contra Gilbertum Porretanum, & Guidonem de Stella. Trevirense anno 1148, in quo S. Hildegardis scripta examini supposita probata ab eodem Pontifice sunt. Turonense anno 1163. ab Alexandro III. contra Albigenses. Præterea pleraque alia in Galliis, atque præsertim Parisiis, adversus eosdem Albigenses habita, quæque Pontificibus fuere accepta. Coloniense anno 1306. contra Beguardos a Clemente V. Posoniense in Hungaria anno 1309, quod anno 1346. a Clemente VI. confirmatum est apud Labbeum tom. 11. Premo silentio pleraque, quæ adversus Johannem Wicleffum, & Hus, & sequioribus ævis adversus Lutherum, & Calvinum sunt celebrata. Complutense ab Alphonso Carillo Archiep. Toletano adversus Petrum Oxomensem Pontificiæ infallibilitatis hostem infensissimum habitum, quod Sixtus IV. anno 1478. Constit. edita confirmavit. Mediolanense VI. anno 1582. a S. Carolo Borromeo acceptum Gregorio XIII. apud Labbeum tom. 15, & Harduinum tom. 10. Concilia denique a Ruthenis anno 1720; & a Maronitis anno 1736, celebrata, quæ confirmarunt Clemens XI. Constit. 57; & Benedictus XIV. anno 1741. Constit. 31; a quo pariter confirmata Concilia Tarraconense anno 1732. pro reductione dierum Festorum de præcepto; atque Albanum in Regno Serviæ anno 1744. Mitto cætera ne sim longior, nam allata abunde sufficiunt ad suadendum, & persuadendum, quod fuerat propositum, Romanum Pontificem Concilia Particularia confirmantem eadem ad eum auctoritatis gradum evehere, ut eorum dicto Ecclesia tuto adhærere ullo absque periculo erroris possit.

Ex Jure interdicto Conciliis tam Generalibus, quam Particularibus dignoscendi, ac dijudicandi de caussis Romanorum Pontificum.

§. II.

Heic est, ubi importuni, pugnacesque jurium Pontificiorum hostes invidiam in Pontifices, quam possunt, maximam quærentes, obtrectando, & obloquendo obtrudunt: Honorium in VI, & VII. Synodo damnatum: in Ephesina a Dioscoro contra S. Leonem M.; & in Constantinopolitana contra S. Nicolaum I. a Photio anathema dictum: in Constantiensi Concilio Johannem XXII, Gregorium XII, & Benedictum XIII. e Throno deturbatos: in Basileensi vero contra Eugenium IV. latam exauctorationis sententiam. Ante hac S. Damaso in Synodo II. Romana gravis personam criminis impositam. S. Bonifacium I. ad Synodum Spoletinam ab Honorio Imp., ut caussam suam mereretur, evocatum. S. Sixtum III. in Romana quoque Synodo turpis criminis postulatum. S. Symmachum itidem in Synodo I. Romana in jus vocatum, jussumque experiri in judicio. S. Leoni III. in Synodo item multa impacta scelera. Johannem XII imo, ejusque successorem Benedictum V. loco detrusos. Gregorium VI. Henrico III. Imper. agente a Synodo Sutrina judicatum, ac sede motum. Alexandri II. agendi rationem examini Mantuanæ Synodi subjectam. S. Gregorium VII. in Conciliis Wormatiensi, & Papiensi anathematis vinculo innodatum; præterea in Moguntino, & Brixiensi a Sede depositum. Paschalem II. in Lateranensi Concilio erroris se se redarguentem, ab Episcopis etiam nonnullis redargutum. Alexandrum III. in Papiensi item Synodo e gradu dejectum, ei suffecto Victore. Julio II. denique in Pisana Synodo intentatam litem, dictumque jus, ut proinde tantum absit Pontificia confirmatione Synodos indigere, atque ex illa Synodis quidquam adquiri auctoritatis, quod potius Pontifices Synodis multis modis subjectos ire perspicuum sit.

Verumtamen quæ temere per summum nefas patrata leguntur,

tur, jus ullum parere nullo modo possunt. An putas Romani Pontificis auctoritati detractum, eidemque inustam labem, propterea quod in S.Leonem M. Dioscorus, quod in S.Nicolaum I. Photius, quod in S. Gregorium VII. Teutonici, quod in Eugenium IV. Basileenses ausu nefario sententiam dixerint? Næ qui id putaret, maximo in errore versaretur! Age vero singulis objectis responsum demus opportunum. Honorius, fateor, in Synodis VI, & VII. pessime audivit (quamvis is sim ego, qui ejusdem fidem integram esse invictissimis argumentis jubeam, de quibus suo loco): at illius caussam iccirco in jus revocavere Patres illi, quod id juris a Pontificibus sibi fuisset indultum, permissumque, ut in Honorium quamvis fatis functum a Synodis jus diceretur. Testem veritatis appello Hadrianum II, qui in epist. ad Patres Synodi VIII. perlecta act. 7. sic Photium perstringit: *Intollerabilis est ista præsumptio... Quis vestrum unquam tale quid audivit? Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus anathema post mortem sit dictum; sciendum tamen est, quod fuerat super hæresi accusatus, propter quam solum licitum est minoribus majorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus libere respuendi: quamvis nec ibi, nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset auctoritas*. Quia scilicet, ut adnotat Lupus in dissert. de Synodo VI., Apocrisariis suis privatis in instructionibus demandaverat S.Agatho, siquidem Græci Honorium damnandum contenderent, alias in Ecclesiæ unitatem non consensuri, dispensatorie damnari, ac pro innumerorum salute immolari permitterent, ut pote qui aliquid caussæ dedisset. Confer interea Combesisium in hist. Monothel.; Garnerium in append. ad notas cap. 2. libri diurni; Baluzium in vita Petri de Marca præfixa lib. de concord.; Tamagninum in hist. Monoth.; Natalem hist. Eccl. ad Sæcul. VII. dissert.2; Pagium ad annum 633. n. 12. & seqq.; ad annum 648. n.6, & seqq., & ad annum 681. n. 7, & seqq.; Cavalcantem in vindic. Honorii, aliosque, de quibus suo loco. De Johanne XXII, Gregorio XII, & Benedicto XIII. satis superque dictum alibi est,

scili-

ſcilicet, ut verbo dicam, illos ſe ſponte Concilii Conſtantienſis judicio ſubjeciſſe: ſed & in illos eo in caſu ſchiſmatis judicium a Concilio exerceri potuiſſe. Quia tamen Romanus Pontifex charitatis vinculis, ſi quis alter, obſtringitur, quibus tenetur impactorum criminum notas a ſe removere, ne Chriſtifidelibus ſcandalum ingenerare videatur, ea de re ſemel, & iterum Pontifices ſponte qua Imperatores, qua Synodos propriæ innocentiæ aut teſtes, aut Judices deprecati ſunt, aut non inviti ſuſtinuerunt.

Pontificibus Romanis hacce in re, ut infamiam ſibi aſperſam eluere ſtuderent, exemplo præivit S. Petrus, ut animadvertit S. Gregorius M. lib. *9*. epiſt. *36*, inquiens: *Certe Petrus poteſtatem Regni cæleſtis acceperat, ut quæque in terris ligaret... & quia ex admonitione Spiritus ad Cornelium gentilem ingreſſus fuerat, contra eum quæſtio a Fidelibus facta eſt. Et tamen idem Apoſtolorum primus querelæ fidelium non ex poteſtate, ſed ex ratione reſpondit, cauſſam per ordinem expoſuit. Si enim quum a fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in ſancta Eccleſia acceperat, attendiſſet, reſpondere poterat, ut Paſtorem ſuum Oves, quæ ei commiſſæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed ſi in querelam fidelium aliquid de poteſtate ſua diceret, profecto Doctor manſuetudinis non fuiſſet*. Huic exemplo inhæſere S. Silveſter, qui ad Conſtantini tribunal a ſacrilegis accuſatus (quo de crimine ignoratur: quod enim objecerunt poſtea Donatiſtæ de traditione SS. Librorum, cujus & participes agere SS. Marcellum, & Melchiadem non erubuerunt, jamdiu expunxit S. Auguſtinus in brevic. collat. diei 3. cap. 18.) cauſſam ſuam detulit, ut contra vim ſe, dignitatemque ſuam mereretur, ut legitur in epiſt. Synodi Romanæ ad Imperatores Gratianum, & Valentinianum. S. Paſchalis I, qui ut ſibi impoſitam geminæ cladis perſonam a Romanis quibuſdam amoveret, (a quibus ſcilicet apud Lotharium accuſatus fuerat, quod juſſu, vel conſilio ipſius Theodorus S. R. E. Primicerius, & Leo Nomenclator in ſuo Patriarchio Lateranenſi primum excæcati, ac dein capite truncati fuerint iccirco, quod Imperatoris partibus ſtuderent,) Paſchalis, inquam, coram Oratoribus Lotharii jurejurando ſe ab hoc crimine purgavit, ut referunt Eginhardus, & The-

& Theganus apud Baronium, & Pagium in Paſchali I. Non abſimili modo Pelagius I. (ſi fides adhibenda Anaſtaſio ſit in ejus vita) quum falſis rumoribus auctor publicaretur malorum, quæ Vigilius Conſtantinopoli perpeſſus fuerat, coram populo ambone conſcenſo, atque Evangelia, & Crucem Domini ſuper caput ſuum tenens, ut tantam infamiam ab ſe removeret, juravit quia malum nullum contra Vigilium perpetraſſet. Verum hanc Anaſtaſii narrationem procul a veritate abire oſtendunt Noriſius in diſſert. de V. Synodo cap.9.§.1, ubi & Petri Halloixii temerarios inſultus perſtringit, & poſt ipſum Pagius in Pelagio I. Scilicet Pelagius Conſtantinopolim a Vigilio accerſitus pro tribus Capitulis pugnavir, Synodo V. ſubſcribere renuit, qua de re in exilium pulſus eſt teſte Victore Tunonenſi. At mortuo Vigilio a Juſtiniano ab exilio revocatus tria Capitula damnavit; ac proinde Juſtiniano agente Pontificatum aſcendit. Romani quum a Pelagio tria Capitula damnata accepiſſent, ab ejus ſe communione ſegregavere; quare coram populo ex ambone jurejurando Pelagius affirmavit nihil contra Synodi Chalcedonenſis fidem in trium Capitulorum damnarione ab ſe intentatum fuiſſe. Confer ejuſdem epiſt.2. ad Childebertum Regem Francor. apud Harduinum tom.3.p.331. Ergo ut ad propoſitas oppoſitiones revertatur oratio

S.Damaſum in Synodo II.Romana adulterii nequiter accuſatum a Concordio, & Calliſto Diaconis Urſicini pſeudo-Papæ partibus addictis, inuſtam calumniam eluiſſe inquio, accuſatoribus ab Eccleſia ejectis: qua in re nihil juris a Synodo exercitum in Pontificem eſt, ſed a Pontifice coram Synodo optime ſuæ famæ conſultum, remotumque ab Eccleſia ſcandali diſcrimen. Perſpicuum id fit ex Romanæ Synodi epiſtola ad Gratianum, & Valentianum Imperat. a Sirmondo in append. Codic. Theodoſ. rejecta, ab Harduino tom. 1. Concil. pag. 839. relata, & a Coutantio epiſt. S. Damaſi n. 6. inſerta : (quam quidem ad exitum anni 378. alii referunt, alii vero ad annum 381, ac momenta in partem utramque expendit Labbeus tom. 2. Concil. pag. 1005.) in qua præmiſſis gratiarum actionibus ob confirmatum Pontifici lege Imperiali auctoritatem de Epiſcopis omnibus judicandi, conqueritur tum de Urſicino, Iſaaco, Claudiano, aliiſque partiariis Romæ

turbas

turbas cientibus; tum de Episcopo Parmensi (cujus loco Portuensem legendum opinatur Tillemontius; sed Parmensem retinendum observat Coutantius); de Florentio item Puteolano, Restituto Africano, aliisque Pontifici obtemperare detrectantibus, subjungens de S. Damaso: *In sua caussa vestri tenet insigne judicii: non fiat inferior his, quibus etsi æqualis est munere, prærogativa tamen Apostolicæ Sedis excellit; ut judiciis publicis videantur esse subjecti, quibus Sacerdotale Caput lex vestra summovit.* Perspectum sit etiam ex Rescripto Imperatorum Gratiani, & Valentiani (Imperatorum Rescripta in hac Ursicini caussa quinque diversa recensuit Baronius 1, & 2. ad annum 368; 3. ad annum 369; 4. ante annum 371; 5. ad eum annum) ex rescripto, inquam, ad Aquilinum Urbis Vicarium anno 378, aut 381, sive, uti verisimilius censuit Coutantius, inter annum 378, & 379. edito, cujus meminit Honorius Cod. Theodos. lib. 16. tit. 2. leg. 35, (quo loci perperam Gothofredus putavit ab Honorio laudatam legem a Gratiano post Synodum Cæsaraugustanam adversus Priscillianistas latam) quo in rescripto S. Damaso a calumniis redempto subtexunt: *Quicumque judicio Damasi... condemnatus fuerit; & qui evocatus ad Sacerdotale judicium per contumaciam non ivisset, ad Episcopale judicium remittatur; vel Romam, vel ad eos, quos Romanus Episcopus Judices dederit, sine dilatione contendat.* Ita integrum ab Imperatoribus jubebatur Pontificis jus summum in Episcopos omnes, locoque suo optime collocabatur.

S. Bonifacii, cujus Pontificiam Sedem invaserat, Symmachi Urbis Præfecti ope suffultus, Eulalius, in Synodo Spoletina, anno 419. habenda caussa, & electio ut ab Episcopis discuteretur, jusserat quidem Honorius Imper.; quia nempe falsis relationibus a Symmacho deceptus fuerat: sed supplici Romani Cleri libello de Bonifacii legitima electione certior factus Imperator, non secus ac de turbis ab Eulalio excitatis, ab eodem Symmacho, qui ab Eulalii partibus recesserat, Synodo infecta Bonifacium suo loco stare jussit. Quod si Bonifacius postea apud Honorium egit, ut lege lata ediceret, ne in Sede Apostolica collocaretur imposterum, nisi qui a majori Clericorum numero electus fuisset, id

egit

egit, ut Ecclesiæ paci consuleret, neve schismate novo discinderetur. Nec vero Imperator in Pontificem aggressus est, uti quem dubium antea haberet, velut actum in Constantiensi simili ratione est. Confer mutuas Bonifacii ad Honorium, & Honorii ad Bonifacium litteras in Collect. Gratiani dist. 97. Cap. 1; Dionysii, Hadriani P. M., Isidori, ac Conciliorum. S. Sixti III. historiam, qua refertur ab Anicio Basso exconsule stupri crimine accusatus, qua de re congregata ab se Synodo, Clero quoque, Senatu, ac Imperatore coram ab se labem impactam amolitus sit, damnato ejus calumniatore, hancce, inquam, historiam, Synodum, & Sixti epistolam hacce de re ad Orientales scriptam, jure suppositionis arguunt Natalis hist. Eccles. ad sæcul. V. cap. 2. art. 5, & Pagius in brev. hist. in Sixto III. Nam acta illius Synodi falsa Consulum nota consignantur, scilicet nota Valentiniani, & Anatolii 6. Kalendas Septembris, idest anno 440, quum Sixtus ejusdem anni 5. Kalendas Aprilis, jam mortem occubuisset: Epistola vero illa ad Orientales contexta est ex sententiis, ac laciniis Concilii Toletani VIII; Felicis III; Gregorii M.; Hadriani I; Codicum Theodosiani, & Justinianei; Aniani interpretis, & Sixti Pithagorei; ac demum ex epist. 3. S. Fabiano falso adscripta. Falsam etiam Consulum notam præfert, scilicet Florentii, & Valentiniani, quum in fastis consularibus nullus occurrat Florentius cum Valentiniano Consul. Accedit, quod immanis est styli dissimilitudo a genuinis Sixti III. epistolis, quæ ad S. Cyrillum Alexand., ad Johannem Antiochenum, ad Perigenem, ad Proclum, & ad Illyrici Episcopos inscriptæ leguntur. Adisis laudatos auctores, unde hæc derivavimus: nec non Emin. Baronium ad annum 433; ac Petrum Coutantium in append. tom. 1. epist. Rom. Pontif. in Sixto III.

S. Symmachum quod spectat, Synodi IV. Romanæ Palmaris a loco dictæ Patres, & numero quidem 115, quamvis in vulgatis editionibus 74. dumtaxat subscripti legantur, ab se Pontificis caussam judicari, nisi se Synodi judicio sponte permitteret Pontifex, nullo modo posse professi sunt: nam hæc habent acta: *Memorati Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum*

convocare (non vero Theodoricum Regem) *ſcientes quia ejus Sedi primum Petri Apoſtoli meritum, vel Principatus, deinde ſecut a juſſionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas, ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem; nec antedictæ Sedis Antiſtitem minorum ſubjacniſſe judicio, in propoſitione ſimili forma aliqua teſtaretur. Sed potentiſſimus Princeps* (Theodoricus) *ipſum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem ſuam litteris demonſtraſſe ſignificavit. Unde a manſuetndine ejus paginæ poſtulatæ ſunt, quas ab eo directas conſtabat, haſque dari Sacerdotibus ſine tarditate conſtituit.* Duabus actionibus concluſa Synodus eſt: in 1. S. Symmachus ingreſſus, Synodo aſſenſum præbuit declarans interea, *Ut tanti loci Præſul* (verba ſunt Symmachi) *prius ſtatui priſtino redderetur, & tunc non ante veniret ad cauſſam, & ſi ita recte videretur, accuſantium propoſitionibus reſponderet.* Sed & ſubdidit: *Privilegia mea Regiæ ſubmiſi, & auctoritati Synodi dedi*: ita legitur in actis Synodi. Accuſabatur vero multorum criminum a ſchiſmaticis Laurentio pſeudo-Pontifici ſtudentibus: at compertum quum fuiſſet a ſceleſto illo ad dicendum contra Pontificem teſtimonium ſervos adductos fuiſſe, quos Canones, & Leges prohibent; quinimo in Pontificem cieri turbas ab inimicis, rem Theodorico deferendam Patres exiſtimarunt, qui reſpondit: *In Synodali eſſe arbitrio in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe præter reverentiam de Eccleſiaſticis negotiis pertinere.* Ita auguſte Rex Arianus. Act. 2. Synodus decrevit, ut Symmachi cauſſa divino judicio reſervaretur, is vero ab æmulorum ſuorum accuſationibus liber, puruſque criminis eſſet. Poſt Synodum autem Symmacho curante Laurentius in exilium ejectus eſt.

Quid ad hæc, quod in Synodo præcedenti ordine III. prolata in medium Odoacris Regis lege Eccleſiaſticæ libertati in electione Pontificis quammaxime infeſta, hac ratione legem abrogandam Synodo approbante palam edixit Laurentius Mediolanenſis: *Quia non licuit laico ſtatuendi in Eccleſia, præter Papam Romanum, habere aliquam poteſtatem, cui obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi*: cujus dicto ſubſcribens Eulalius Syracuſanus ita ſubjunxit: *Quod ſi cujuslibet Provinciæ Sacerdotes, intra*

intra terminos suos Concilio habito, quidquam sine Metropolitani, suive Antistitis auctoritate tentaverint, irritum esse debere Patres sancti sanxerunt; quanto magis, quod in Apostolica Sede, non existente Præsule, qui prærogativa Beati meritis Apostoli Petri per universum Orbem Primatum obtinens Sacerdotii, statutis Synodalibus consuevit tribuere firmitatem, a laicis, licet consentientibus aliquibus Episcopis, (qui tamen Pontifici, a quo consecrari probantur, præjudicium inferre non potuerunt) præsumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter Ecclesiastica ullo modo statuta censeri? Validissimæ videlicet huic rationi ex Pontificis suprema potestate derivatæ innixi Præsules deinde Pontificem a jurisdictione Synodi immunem, exemptumque dixere: eademque ratione dixit etiam Ennodius, de quo mox, eique injuriam propterea intulit Dupinus, dum unicum medium ab eo excogitatum ad Pontificem liberandum a Synodi judicio in Pontificis impeccabilitate repositum commentus est. Postquam vero in Synodo Palmari S. Symmachi honori, ac potestati optime fuisset prospectum, quum non desiissent projecti viri pudoris, conscientiæque profligatæ, qui contra hanc Synodum, ac S. Symmachum opus conscriberent sub hac epigraphe: *Adversus Synodum absolutionis incongruæ*: (cujus fragmentum videtur esse, aut ex isto decerptum, quod extat in Archivo Ecclesiæ Cathedralis Veronensis, excerptumque exhibet Clariss. Blanchinus tom. 3. in S. Anastasio II.) proinde in Synodo V. Romana sub eodem Symmacho, ut Pontificum honori consuleretur imposterum, Canones aliqui restituti sunt, quibus summopere caveretur inter alia: *Ne Oves, quæ Pastori suo commissæ fuerint, eum nec reprehendere, nisi a recta fide exorbitaverit, præsumant.* Præterea Ennodio Ticinensi imposita provincia (quam tamen eruditi nonnulli demandatam a subsequenti Synodo V. existimant) ut pro ingenio, quo valebat, Apologeticum pro Synodo IV. Romana, quam schismatici mordebant, & Symmacho P. M. adornaret, quem librum deinde Synodus V. approbavit. Ennodius itaque apologetico elaborato hæc inter alia edixit: *Aliorum forte hominum caussas Deus voluerit per homines terminare; Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio... Voluit B. Petri*

Apostoli successores Cælo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam ... Uni dictum est: Tu es Petrus &c. *& rursus Sanctorum voce Pontificum dignitatem Sedis ejus factam toto Orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium est ubique submittitur, dum totius corporis Caput esse designatur*. Postremo S. Avitus Vienn. in epist. ad Faustum, & Symmachum Senatores suo, & Gallicanorum Episcoporum nomine conscripta, de hacce Synoda Romana, & caussa Symmachi Papæ in ea Theodorici jussu pertractata, ita Italiæ Episcopos a quibus non nihil in hoc negotio præter jus, & fas intentatum fuerat suspicatus, perstringens inquit: *Dum de caussa Romanæ Ecclesiæ anxii nimis, ac trepidi essemus, utpote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes ... perlata est sollicitudini nostræ ab Italia in exemplaribus Sacerdotalis formula decreti, quam de Papa Symmacho ... Italiæ Antistites ediderunt. Quam Constitutionem licet observabilem numerosi, Reverendique Concilii reddat assensus ..., non facile datur intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur ... Quod Synodus ipsa ... prospiciens, caussam, quam (quod salva ejus reverentia dictum sit) pene temere susceperat inquirendam, divino potius servavit examini. Quibus cognitis quasi Senator ipse Romanus, quasi Christianus Episcopus obtestor, ut ... non minus diligatis in Ecclesia vestra Sedem Petri, quam in Civitate apicem Mundi ... In Sacerdotibus ceteris potest, si quid forte nutaverit, reformari: at si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare ... Non est gregis Pastorem proprium terrere, sed Judicis*. Viden Pontificis caussam Synodi judicio nonnisi ex Pontificis concessione permissam; sed neque Synodum ausam fuisse in ejusmodi caussæ cognitionem inquirere, religionique duxisse in Pontificis jus haud immigrare!

Quo circa dignus est, qui multis vapulet, Launojus vir intemperantioris criticæ, fideique sublestæ, dum lib. 1. epist. 9. tom. 5. par. 1. in omne se latus convertit, ut S. Symmachum Romanæ Synodi judicio subjectum suaderet: contendens nempe per to' *Minorum*, quo utitur Synodus ad declarandum Apostolicæ Sedis Antistitem inferiorum non subjacuisse judicio, intelligendos

non

non esse Episcopos, quos Symmacho, ejusque decessoribus *Collegas*, *Fratres*, *Coepiscopos*, *Comministros* appellare solemne est, quorumque, uti scribit idem Symmachus in epist ad Æonium Arelatensem, *Unum est per diversos Sacerdotium*. Ennodium vero insectatus temere ipsum nescivisse prorsus, aut quod pejus est, dissimulasse idem sychophanta ait, quod Silvester, & Damasus, quorum caussa in duobus Conciliis Laico uno, Ecclesiastico altero discussa fuerat, nec ignorarant, nec suppresserant silentio. Verum allata ex actis Synodi satis evincunt Launojum turpiter in errorem prolapsum, ac nomine *Minorum* non solos Clericos, aut laicos, sed ipsos quoque intellectos fuisse Episcopos: nam ob S. Petri Principatum, & Conciliorum statuta à S.Symmacho Concilium convocandum fuisse, ejusque caussam divino servandam judicio Synodus dilucide edixit. Esto vero unum sit Sacerdotium, non tamen unus est Sacerdotii gradus; ac Pontifici Sacerdotii supremus apex collatus fuit, ut plurimis adversus Purritanos, aliosque Protestantes ostendunt nostrates Theologi, atque inter alios Thomassinus vet., & nov. Eccles. discipl. par. 1. lib. 1. cap. 52; Duguetus Conferen. Eccles. differt. 3; & aliis dimissis novissime Clarifs. Mamachius orig., & antiq. Christ. lib. 4. cap. 4. §. 2. adversus Wicleffum, Lutherum, Calvinum, Blondellum, Salmasium, Drejerum, Ludovicum Capellum, Basnagium, Maresium, Chlarchsonum, Budæum, Tribechovium, Walchium &c., quos multis exagitat, perstringit, prosternit. Sane nisi S.Symmachus alios Episcopos *Minores* se ipso existimasset, in jus non vocasset Arelatensem, & Viennensem Antistites ad caussam dicendam de suarum Ecclesiarum privilegiis. Iniquior vero in Ennodium Launojus est, nec enim ipsi commemoranda SS. Silvestri, & Damasi exempla incumbebant, quæ ad rem non erant; nam quemadmodum S. Paulus a Præside vim patiens ad Cæsarem provocavit; ita S. Silvester Constantini tribunal adhibuit, ut a sacrilegis liber abiret. S. Damasus autem, uti docemur epistola Synodi Romanæ ad Imperatores Gratianum, & Valentinianum, caussam suam qua ad Synodi tribunal detulit, ut innocentiam suam redimeret, ac scrupulum omnem ex eorum animis eximeret; qua Imperatoris judicio stitit, ut a schismaticorum

corum calumniis, ac vi integer servaretur. Sed de hac re jam nimis. Adisis Baronium ad annum 502; Gratianum dist.17. Cap. *Concilia 6*; Sommier lib.6. hist. dogm. capp.14, & 15; Labbeum tom. 4. Concil. pag. 1324; Harduinum tom. 2. pag. 969; & Natalem hist. Eccles. ad Sæcul. VI. dissert. 1.

Pauca de S. Leone III. dicenda. Ille igitur, postquam ab Hadriani I. nepotibus oculis orbatus, ac lingua mutilatus fuisset, quæ nocte sequenti integra SS. Apostolorum intercessione recuperavit, quorumdam, atrociorumque criminum accusatus est, teste Anastasio in ejus vita. Ea de re in Ecclesia S. Petri a Carolo Magno frequentissimi ex Gallia, & Italia Episcopi collecti sunt, qui omnes uno ore responderunt: *Nos Sedem Apostolicam, quæ est Caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes, & Vicario suo judicamur: ipsa autem a nemine judicatur; quemadmodum antiquitus mos fuit, sed sicut ipse Summus Pontifex consuevit, jubeat, Canonice obediemus*. At Pontifex ambonem conscendit, & sacra Evangelia complexus coram omnibus palam juramenti religione se ab impactis criminibus purgavit, ut scilicet ab Ecclesia scandalum omne amoveret. Illust. Petrus de Marca lib.1. Concord. cap.11. §.6. Gallicanæ Ecclesiæ gloriæ justissime vergit, quod hujusce genus in caussis non exiguum suæ eximiæ erga Apostolicam Sedem observantiæ specimen exhibuerit. Postquam enim ex S. Aviti Vienn. in epist. 31. sententia, quæ in S. Symmachi caussa religiosa ceteris pariter Galliarum Præsulibus inhæreret, persuasionem rite deduxisset, quam perinde in caussa pari S. Leonis III. iidem Antistites induissent, sequentibus exprimit: *Iisdem vestigiis hæserunt Episcopi, & Proceres Francorum una cum Romanis in caussa Leonis III. Etenim quum frequentes adessent in Concilio Romano, præsente ipso Carolo Francorum Rege, in has voces eruperunt, quas retulit Anastasius: Nos Sedem Apostolicam &c.*

Johannem XII, agente Ottone I. Imperatore, in Synodo Romana enormibus criminibus impetitum, scilicet quod Ordinationes in equili turpiter habuerit: quod puerum annorum 10. Episcopum ordinaverit: quod Johannem Cardinalem gladio interfecerit: quod prava mulierculårum consuetudine se se dehonestarit,

rit, ab eadem Synodo exauctoratum, ei suffecto Leone VIII. pseudo-Pontifice, non utique negaverim. At nego legitime id factum, quinimo factum per summum nefas contendo: ut id vero contendam illud efficit, quod supra dicebam, scilicet superiorem ab inferiori judicari non posse; Synodum quoque ab ipso Johanne fuisse congregandam: simili de caussa S. Cyrillum, ut habetur act. 4. Concilii Ephesini, oblato libello expostulasse contra Johannem Antiochenum, quod adversus majorem Thronum, ut ajebat (scilicet Alexandrinum Antiocheno superiorem) depositionis sententiam temere, ac præpostere pronunciasset. Synodum quoque VIII. can. 21. cautum voluisse: *Ne contra summos Senioris Romæ Pontifices a Synodo ipsa universali audacter sententia diceretur*: quibus alia mox testimonia adjiciemus. Qua de re jure optimo Johannes ipse congregata Synodo anno *964*, scilicet anno sequenti, Leonem schismaticum, & acta Conciliabuli ab Ottone, ipsique devotis Episcopis habiti, ceu *Prostibulum favens adultero*, invasori scilicet alienæ sponsæ (Leoni) damnavit, & rescidit. Postremum hocce Concilium supposititium esse asserit Launojus lib. 4. in epist. 1. ad Ludovicum Maresium, argumento usus, juxta morem suum, negativo, quod nempe Scriptores illius non meminerint. At Launoii gerras explodit unum exemplar Vaticanum optimæ notæ, ac venerandæ antiquitatis, ex quo hujus Concilii acta ad annum *964*. descripsit Baronius, quæ acta nec ipsi Centuriatores in dubium revocare sunt ausi. Sed & Sigebertus laudatus a Baronio hujusce Concilii summam exhibet, ipsiusque meminit Vincentius Bellovacensis Speculi hist. lib. 24. cap. 86. Potius, ac dubio procul Conciliabulum fuit Synodus illa, in qua exauctorato Johanni suffectus est Leo VIII; non secus atque Romana Synodus anno *964*, in qua fatis functo Johanni suffectus Benedictus V. ab impio Leone a Sede deturbatus in exilium pulsus fuit, ubi hominem exuit. Pseudo-Pontifex ea quoque de re procul dubio Leo VIII. fuit, quamvis illum legitimum Pontificem, ac legitimam sub eo congregatam adversus Johannem Synodum dixerint Scriptores nonnulli, Germani præsertim Ottoni addicti, Continuatorem Luitprandi virum absque dubio tum Ottonis, tum Leonis VIII. partibus studentissimum (de quo a Ba-

a Baronio, Vossio, Caveo, Dupino, Natali, aliisque disputatum est acriter, num a Luitprando sit alter) secuti, Continuator Reginonis, Sigebertus, Martinus Polonus, Blondus Flavius, Platina, Schedelius, Philippus Bergomas, Trithemius, Onuphrius, Papyrius Masso, aliique apud Launojum in cit. epist. ad Ludovicum Maresium; qui vel una actorum Synodi sub Johanne adversus Leonem celebratæ lectione refelluntur.

Unum addam hoc loci non ingratum scitu, nec inutile. Videlicet in pseudo-Synodo a Leone VIII. habita, edita circumfertur Constitutio, qua Ottoni Imperatori, ejusque successoribus facultatem perpetuo fecerit eligendi Romanum Pontificem, & investituras Episcopis tribuendi. Hanc Constitutionem, quam refert inconsiderate Gratianus dist. 63. cap. *In Synodo*, ceu genuinam ex Theodorico Niemo descriptam defendit Goldastus tom. 1. Constit. Imper., nec respuit de Marca lib. 8. Concord. capp. 12, & 29, qui cæteroqui lib. 1. cap. 11. consentit Johannis exauctorationem nullius omnino extitisse momenti. Illa forsan ea occasione conficta fuit, quod Ottone cum exercitu Romam appellente, fugæque se commisso Johanne Papa, Romani armorum Ottonis vi perterriti eidem fidelitatem spondentes juraverint, nunquam se ad Pontificis electionem processuros, nisi postquam exploratam, perspectamque Imperatoris voluntatem habuissent, ejusque accepissent assensum. Verum prorsus commentitiam, ac subdititiam esse ostendunt Baronius, Pagius uterque, & alii, tum quia in ea mentio occurrit similis concessionis ab Hadriano I. Carolo Magno factæ, quam omnino spuriam esse, ac Hadriano suppositam invicte ostendunt laudati auctores; quibus adjungitur Natalis in Synops. hist. Eccles. sæculi VIII. cap. de Rom. Pontif.; ubi de Hadriano I; tum quia in eo exemplari quod ex Theodorico Niemo laudat Goldastus, dicitur Leo Ottoni concessisse, quæ Ecclesiæ Romanæ advenerant a Justiniano Imper., & Ariperto Rege, qui tamen nihil Ecclesiæ Romanæ contulere: dicitur etiam Ottoni concessisse Corsicæ Regnum, quod eo tempore nondum fuerat institutum; & Ducatum Istriæ, & Dalmatiæ, qui nunquam juris Romanæ Ecclesiæ fuerat: tum quia Constitutionis hujus violatoribus non modo anathematis pœna,

pœna, sed etiam capitis irrogatur, quæ plane pœna a stylo Pontificiarum Constitutionum quam abhorreat, non nemo novit. Eam igitur a schismatico quopiam confictam fuisse putat Pagius: sed etsi genuinus Leonis fœtus fuisset, quid illi a pseudo-Pontifice auctoritatis potuisset accedere? Sed de hocce commento satis. Confer tamen Gretzerum in apolg. Baronii cap. 20; & defens. in Goldastum lib. 2. cap. 15; Natalem Alexandrum hist. Eccles. ad saecul. IX, & X. dissert. 16; & Ludovicum Muratorium in præfat. ad Luitprandum tom. 2. Script. rer. Ital.

De Gregorio VI. gravior inter Eruditos concertatio exarsit. Pagius uterque, Senior quidem ad annum 1044. n. 1, & seqq., Junior vero in Gregorio VI. in ea firma persuasione obversati post alios sunt, quod Gregorius VI. ingenti pecuniæ vi Benedicto IX. persoluta, ac desuper Angliæ permissis reditibus ad Pontificatum ascenderit. Quam quidem conjecturam suam conficiunt testimoniis neutiquam contemnendis ductis ex Chonographo S. Benigni ad annum 1046. tom. 1. Specileg. Dacheriani; Hermano Contracto in Chron. ad eumdem annum apud Canisium tom. 3. antiq. Lect.; Bonizone Sutrino Episcopo, ac Scriptore coævo in Epitome hist. Pontif. Roman., de quo Lambecius tom. II. Bibl. Cæsar. lib. 2. cap. 8, & Martinus Polonus in procemio Chronici sui; Victore III. Papa lib. 3. Dialog. tom. 18. Bibl. PP.; Leone Ostiensi lib. 2. Chron. Cassin. cap. 80, quem tamen a Desiderio, sive Victore III, quæ narrat, accepisse observavit Angelus de Nuce in notis ad ejus Chronicon; & Clemente II. ejusdem Gregorii VI. successore in epistola de sua electione ad Clerum, & popul. Bamberg., cui pridem Episcopi nomine præfuerat, quam exhibet Gretzerus in lib. de Divis Bamberg. in vita S. Henrici Imper. cap. 16. tom. 10, qui ad unum omnes auctores, & testes accedunt Gregorium VI. simonia invasisse Sedem Apostolicam, ac in Synodo Sutrina anno 1046. habita simoniæ se reum confessum, ac dignitate se abdicasse. Contra vero pugnant, auctoritateque Ottonis Frisingensis lib. 6. cap. 23; Glabri Rodulphi lib. 5. hist. cap. 5. apud Duchesnium tom. 4. Script. hist. Francor.; S. Petri Damiani in litteris gratulatoriis ad eumdem Gregorium de sua electione; & Hildebrandi, postea S. Gregorii VII. eidem Pontifici individue

adjecti propugnant, atque ab omni simoniæ labe, ac suspicione liberare, & abstergere adnituntur Baronius ad annum 1044; Angelus de Nuce in excursu hist. ad Leonem Ostien. tom. 4. Script. rer. Ital.; Ciaconius in Gregorio VI; Papebrochius in Conatu Chron. dissert. 36, alias 21; ac Thomassinus vet., & novæ discipl. par. 3. lib. 1. cap. 61. n. 1. in ea persuasione intime infixi Gregorium VI. pecuniam dando Benedicto IX. Pontificatum non tam emisse, quam redemisse: hoc est altera via non affulgente ad abigendum hominem improbum Apostolicæ Sedi incubantem, seu verius ad hunc alliciendum, ut sacra dignitate, cui impar omnino erat, se abdicaret demum, mille denariorum Papiensium libras, ut habet MS. Papebrochii, aut millequingentas, ut apud ipsum tradit Benno, effudisse, bonaque fide id profecto egisse, quippe videri ei posset injuriam Ecclesiæ juste redimi quantovis impendio: in eumdem Gregorium propterea ceu libertatis suæ auctorem sponte a Romano Clero vota sua, ac suffragia fuisse collata, ac Pontificem renunciatum: idque dignitatis non gratiæ datum, sed tantis ejus in Apostolicam Sedem meritis, quantis nulla refundi posset gratia, nisi Sedes ipsa Apostolica; ideoque a primo ad extremum ipsius electioni sinistræ quidpiam suspicionis, aut labis simoniacæ affricari nequire. Ut ut hæc se habeant tamen, certe utrinque convenit Gregorium VI. variis calumniis utique a pseudo Pontificum partiatiis apud Imperatorem fuisse impetitum, non nisi tamen tyrannica vi de Pontificio Solio potuisse a Synodo dejici: sponte Synodo adfuisse, ac præfuisse, ut oportebat, assensum quoque præbuisse suum, ac suapte Pontificatu se abdixisse: ad hæc albo legitimorum Pontificum, non secus atque Prædecessorem Benedictum IX, fuisse adnumeratum. Quo loci sane haud habitus est Silvester III. hujus nominis, qui sub id pariter temporis in Pontificiam irrepserat dignitatem: nam tum a Benedicto IX, tum a Sutrina demum Synodo gradu depulsus est, ac tanquam spurius ab Ecclesia semper habitus.

Alexandro II. impacta objectio jam diluenda. Verum operæ pretium est scire, quod Nicolao II. vita functo, a simoniæ, & incontinentiæ vitiis infamibus plerisque Episcopis Italis, ac Germanis habito Basileæ Conciliabulo anno 1061. Nicolai II. acta omnia

omnia rescissa ausu temerario sunt, atque Agneti Imperatrici persuasum est, quod filius ejus Henricus IV. adhuc puer deberet in Pontificatu, quemadmodum in Regia dignitate, succedere: qua de re maturandam Alexandri II. electionem Cardinales, ut Ecclesiæ cito prospicerent, optimo consilio duxerunt. Quod Alexander absque Imperatoris assensu fuisset electus, in caussa fuit, cur a nonnullis Aulæ assentatoribus Cadolaus Pallavicinus Parmensis Episcopus ab Episcopis Vercellensi, & Placentino viris nequissimis in pseudo-Pontificem eligeretur Honorii II. nomine assumpto. De his actis S. Petrus Damianus opusc. 4. supra laudato, quod inscribitur: *Disceptatio Synodalis inter Advocatum Regium, & Romanæ Ecclesiæ Defensorem* ita habet: *Damnatio Papæ tam gravis, & inexplicabilis est, ut non humano, sed divino dumtaxat sit tractanda judicio*. Porro in gestis Romanorum Pontificum a Nicolao Cardinali Aragonio collectis apud Baronium ad annum 1064, quo Synodum Baronius consignat, quam tamen anno 1067. consignandam ostendit Pagius in Critic., legitur S. Annonis Coloniensis Archiepiscopi Romam appulsi rogatu Mantuæ Synodum ab Alexandro II. indictam fuisse, in qua legitimam de se factam electionem ostendit, atque simoniæ vitio Pontificatum non obtinuisse: qui id vitii objiciebat Cadolaus a Synodo diris omnibus devotus fuit, atque Pontificis Romani electionem Imperatoris auctoritate, vel assensu non indigere statutum est. Qua de re legendum laudatum opusculum 4. B. Petri Damiani de jure electionis Pontificis egregie disputantis, atque Alexandri II. electionem præclare defendentis; nam acta Synodi Mantuanæ perierunt. Quod si Alexander S. Annonis petioni deferens Synodum coegit ad suam electionem probandam; quinimo, ut refert Sigebertus in Chron., in Synodo jure jurando se a simonia expurgavit, nil mirum, nam id temporum malitiæ concedendum non modo, ut ait Pagius, sed caritati adscribendum, qua erga Ecclesiam Pontifices ita obstringi censemus, ut ab eadem omne penitus scandalum amoliri debeant.

S. Gregorii VII. agendi rationem paucis, quoad ejus fieri poterit, modo perstringam, nam de illius animi fortitudine, qua libertatis Ecclesiasticæ vindicem se præbuit, & assertorem acer-

 rimum,

rimum, plura alibi prosequemur. Henricum IV. Imperatorem ob usurpatas Ecclesiarum investituras, quas in Synodo II. Romana 50. Episcoporum sub pœna anathematis prohibuerat, sæpius admonitum, Romam ad caussam dicendam Gregorius evocaverat, minisque excommunicationis terruerat. In rabiem actus Imperator Wormatiæ Conciliabulo anno 1076. ex Teutonicis Episcopis congregato id nefasti egit, ut e Pontificatu Gregorium deturbaret; quod ei ex sententia successit: nam eo in Conventu multorum criminum persona sanctiss. Pontifici falso imposita, in Pontificem optimum anathema pronunciatum, atque e Pontificia Sede dejectus est. Absoluto Wormatiensi Conventiculo, missis ab Imperatore in Italiam Nunciis, aliud Papiæ Conciliabulum eodem anno coactum est, in eoque anathemati a Wormatiensi in Pontificem lato subscriptum; Pontifici detracta obedientia; juratumque a pseudo-Episcopis nullo modo deinceps Gregorium Pontificis honore, locoque habendum. Ausus temerarii atrocitate permotus Pontifex Synodum III. Romanam eodem anno 1076. habuit, in eaque Imperatorem, & Episcopos Moguntinum, Trajectensem, Bambergensem, aliosque id nefarie ausos, scilicet unitatem Ecclesiæ scindere, anathemate devinxit. In eadem Synodo III. exauctoratum quoque Henricum sunt, qui affirmant, quibus assentitur Pagius in brev. hist. Crit. in Gregoriorio VII. n. 43, aliis contendentibus nonnisi in Synodo VII. e Throno deturbatum Gregorii sententia Henricum fuisse. Ad meliorem frugem reverti Imperator visus est, veniamque suppliciter petenti facile indulsit Pontifex, atque excommunicationis vinculum relaxavit. Sed quoniam sciverat, se ab Henrici adulatoribus multis impetitum criminibus, ac præsertim sibi impactam simoniæ labem, ut ab omnibus se purgaret, Imperatore, Episcopis, ac plebe coram in SS.Eucharistiæ Sacramento periculum fecit, quod ut faceret pariter Imperatori auctor fuit, quod facere tamen refugit. Postremo ad pristinam nequitiam perjurus Imperator regressus, in Pontificem insolescere, & debacchari rursus aggressus est, investituris iterum usurpatis, & Catholicis Episcopis atrociter divexatis: qua de re Gregorius Romæ anno 1080. coacta Synodo VII. frequentissima excommunicationis jaculum in

in eos Principes sæculares, qui investituras Ecclesiasticæ dignitatis dare præsumerent, vibravit; Henricum iterato anathematis fulmine perculit, e Regni solio deturbavit; atque Imperium in Rodulphum translatum confirmavit: sed & in schismaticos Episcopos Tedaldum Mediolanensem, Guibertum Ravennatensem, & Rolandum Tarvicensem jam antea in Synodo IV. Romana anno 1078. excommunicatos, iterum anathematis telum intorsit. Imperator facto schismate, Moguntino primum, Brixiensi postea anno eodem 1080. habito Conciliabulo, actis in Synodo Romana circa investituras rescissis, & Gregorio deposito contra erexit in Papam Guibertum Ravennatensem. Ergo Gregorius anno 1081. Romæ Synodo VIII; & anno 1083. alia, seu IX. congregata iterum, atque iterum in Henricum, Guibertum, eorumque fautores schismaticos animadvertit: quam postremo sententiam adversus Henricum, & Guibertum, qui Clementis III. nomine se se inscribebat, in Synodo X. Romæ anno 1084. adunata confirmavit. Quinimo adversus eosdem schismaticos celebrata anno 1085. in edit. Harduini in Germania est Synodus Quintilineburgensis, quæ a S.Gregorio pœnas in Henricum latas relaxari noluit non modo, sed confirmavit potius, declaravitque: *Nulli unquam licere Summi Pontificis judicium retractare, & de judicio judicare*. Postremam ut sceleri manum imponeret Imperator, atque ad cumulum schisma perduceret, Moguntiæ anno eodem, qui supra 1085, altero coacto Conventiculo in Gregorium iterum latam depositionis sententiam confirmari, & Guibertum, seu pseudo-Clementem electum pronunciari curavit, quo anno S.Gregorius VII. hominem exuit. Sed eo fatis functo non extinctum est schisma, quod annos 40. perduravit: nam Guiberto suffecti subinde sunt Albertus, & Theodoricus: sed de his alii. Ex his denique nefarie adeo in S. Gregorium gestis quis sani consilii vir quidquam adversus Pontificis auctoritatem exculpat? Quis absque insigni schismatis nota, quam Pontifici detrahit, potiorem Synodo potestatem conciliare præsumat?

Paschalis II. plane esto non innocens, nec culpa omnino carens agendi ratio fuerit, qua nempe Henrico Imperatori molestiam creanti investiturarum privilegium non tam concessit, quam per

vim

vim extorquenti permisit: at in ipsum a quopiam Jus, ac sententiam dici potuisse, hoc constantissime pernego; neque unus sum, qui id pernegem: nam Ivo Carnotensis epist. 235. ad Henricum Angeriacensem Abbatem de hacce Paschalis culpa scribens: *Admonendus, ait, mihi videtur Papa, ut se judicet, aut factum suum retractet. Quod si fecerit, referamus Deo gratias, & gaudeat nobiscum Ecclesia, quæ graviter languet, dum Caput ejus laborat tanta debilitatum molestia. Si autem in hoc languore insanabiliter ægrotaverit, non est nostrum judicare de Summo Pontifice.* Imo epist. 283. suo, ac Episcoporum Provinciæ Senonensis nomine respondens Johanni Lugdunensi Archiepiscopo, qui ipsum, aliosque Episcopos ad Synodum celebrandam sollicitarat, ut Paschalis factum examini subjicerent; *Non videtur,* inquit,, *nobis utile consilium ad ea Concilia convenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare, vel judicare: quia nec vestro, nec ullius hominum probantur subjacere judicio.* Non ita plane modeste egere erga Pontificem Cardinales quidam, qui decreta S. Gregorii VII, & Urbani II. contra investituras defendentes, decrevere perinde nihil roboris habere, quæ adversus illa concesserat Paschalis. Neque magis æque Bruno Signinus Episcopus, qui cum aliis Præsulibus illud privilegium a Paschali largitum hæreseos insimulare non est veritus. Multo minus Guido Archiep. Viennensis, qui coacto Viennæ Concilio privilegium illud, quod a Paschali Henricus extorserat, rescidit, investituris hæresis ignominiam inflixit, quinimo se a Pontificis obedientia decessurum una cum ceteris Synodi Episcopis minitatus est. Johannes item Archiepiscopus Lugdunensis, & Goffridus Vindocinensis, qui investituris hæresis pariter labem inurere non dubitarunt. Verum hos omnes in Paschalem reverentia peccasse non modo, sed etiam in eo quod investituras hæreseos infamia notarent, facile probavit Ivo in laudatis epistolis præsertim in ea, quam suo, & Provinciæ Senonensis Episcoporum nomine ad Johannem Lugdunensem conscripsit: esse quidem investituras alieni juris, idest Ecclesiastici, invasionem, non autem errorem contra articulum fidei præseferre: quod sane patescit ex eo præsertim, quod S. Gregorius VII, Victor III, Urbanus II,

nus II, & Callixtus II. investituras diris cunctis devoventes, nunquam earum defensoribus hæreseos dicam conscripserunt.

Quod si idipsum, quod concupiverat Ivo, sponte Paschalis præstitit, congregatoque anno 1112. in Basilica Lateranensi 300, & amplius Episcoporum Concilio, se ipsum in culpam vocans, factum suum Synodi judicio corrigendum submisit illis verbis: *Scriptum illud, quod magis necessitatibus coactus...feci...sicut prave factum cognosco, ita prave factum confiteor, & omnino corrigi, Deo præstante, desidero; cujus correctionis modum Fratrum, qui convenerunt, consilio, judicioque constituo, ne forte per hoc imposterum detrimentum aliquod Ecclesiæ, aut animæ meæ præjudicium relinquatur.* Quapropter Girardus Engolismensis Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus Pontificis, & Synodi assensu hanc protulit sententiam: *Privilegium illud...a Domino Paschali Papa per violentiam Regis Henrici extortum nos omnes in hoc sancto Concilio cum Domino Papa congregati Canonica censura, & Ecclesiastica auctoritate judicio S. Spiritus damnamus, & irritum esse judicamus &c.* Quod si iterum Paschalis idem privilegium in altera Synodo Lateranensi anno 1116. celebrata damnavit illis verbis: *Quod feci, pro liberatione populi feci; feci autem ut homo, quia pulvis sum, & cinis. Fateor me male egisse, sed rogo vos omnes, orate pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum scriptum...condemno sub perpetuo anathemate, & rogo vos omnes, ut idem faciatis.* Cui ceteri responderunt: *Fiat, fiat.* Si, inquam, Synodi judicio se subjecit, non coacte fecit, sed fecit ex voluntate, fecit ex humilitate, fecit ex caritate, ut ab Ecclesia scandalum eliminaret, & a simpliciorum animo suspicionem omnem evelleret: fecit, ut exemplum pœnitentiæ, quo veniam promereretur, ceteris præberet: fecit exemplo S. Petri, de quo S. Gregorius homil. 18. in Ezech. S. Pauli reprehensionem ideo non moleste tulisse ait: *Quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset & primus in humilitate.* Cæterum Brunoni Signino subdenti privilegium illud hæresim præsetulisse respondit Paschalis: *Ecclesiam Romanam nunquam habuisse hæresim, atque pro ea orasse Dominum, quum dixit:* Rogavi pro te &c. Quæ quum jam a nobis supra observata sint, non est cur eadem

eadem refricemus. Sed neque defuerunt, qui omnino a culpa Paschalem excusarent, qualis Ivo fuit una cum Episcopis Provinciæ Senonensis, tum quia eo in privilegio electionum libertatem integram jusserit servari, omnemque ab eis simoniam procul exclusrit, regium assensum dumtaxat indulgens: tum quia, ut ipse affirmat, id necessitate compulsus, nempe ut ingruentia, ingentiaque mala ab Ecclesia averteret, quo in casu Pontifices frequenter, œconomia quadam usos, temporum nequitiæ quidpiam indulsisse, nisi in Ecclesiastica historia valde hospes ignorat: tum quia justa intercedente caussa Canones Ecclesiasticos relaxare, posse Pontificem infra ostendemus; neque vero privilegium illud divino cum jure pugnasse supra ostensum est. Hactenus de Paschali.

De Alexandro III. paucioribus, quoad ejus fieri poterit, agere nunc præstat. Igitur Alexander III. in electione 23. Cardinales suffragatores habuerat; Victori ex adverso votis suis quinque dumtaxat Cardinales accesserant: quia vero hic Friderici I. Imper. gratia potiebatur, ille vero Imperatori erat invisus, Imperator Papiæ Concilium celebrandum indixit, ipsumque adesse Alexandrum jussit, ut electionis utriusque merita in trutina ponerentur. At respondit Pontifex. *B. Petro, & per eum Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ hoc privilegium legitime a Domino Jesu Christo, Sanctisque Patribus traditum, & per prospera, & per adversa, etiam cum sanguinis effusione, usque ad hæc tempora conservatum, ut universarum Ecclesiarum caussas ipsius auctoritate discuteret, ac finiret, ipsa vero nullius unquam judicio subjaceret.* Ita refert Baronius ex Vaticano Codice. Quibus nihil apertius, aptiusque pro optima caussa, quam propugnandam assumpsi. Interea anno 1160. habita est Papiæ pseudo-Synodus, cui adfuere 44, aut 50. Episcopi improbæ voluntati Imperatoris devotissimi, a quibus sententia dicta in Alexandrum est, eoque a Pontificatu amoto, Octavianus, dictus Victor IV, legitimi Pontificis loco est salutatus. Papiensis Conciliabuli acta, & Victoris pseudo-Papæ electionem a schismaticorum hominum factione anno sequenti 1161. confirmari in altero apud Laudam celebrato Conventu jussit Fridericus: fatis functo Victore ipsi a schismaticis suffectus est Guido Cremensis, dictus Paschalis III, cuique ut confirmaretur pestilen-

tiæ

tiæ Cathedra, Conciliabulum Herbipoli in Franconia anno 1166. Imperator coegit: eoque mortalitatem expleto anno 1170. substitutus est a schismaticis Johannes Strumensis Abbas, dictus Callistus III. Verumtamen pro Alexandro III, ceu Pontifice indubio, rejecto cum anathemate Victore, stetere Orientales Episcopi in Concilio Nazareno anno 1160. collecti sub Amalrico Patriarcha Hierosolymitano, dederuntque epistolam Synodicam ad Alexandrum: Hispani, sicuti liquet ex epist. Arnulphi Lexoviensis egregii ejusdem defensoris in epist. ad Cardinales: Hiberni, & Norvegi, veluti constat ex eadem epistola: Angli in Concilio apud novum Mercatum in Neustria coadunati anno 1161: Gallicani in Conciliis Bellovacensi, Tolosano anno 1161; deinde in Monspessulano anno 1162, & anno sequenti in Turonensi congregati, cui Alexander ipse præfuit, interfuere quoque 17. Cardinales, 124. Episcopi, Abbates 114, & ex Anglia S. Thomas Cantuariensis: quo in Concilio acta Papiensis Conciliabuli damnata sunt; Victor, & ejus fautores anathemate devincti. Romam redux Alexander anno 1167. in Lateranensi Basilica habita Synodo Fridericum excommunicavit, imo, ut nonnulli volunt, exauctoravit. Postremo, Deo animum Imperatoris tangente, Fridericus anno 1177. in Concilio Veneto ejurato schismate ad Ecclesiæ unitatem rediit; Alexandro tanquam legitimo Pontifici obedientia semet obstrinxit; rejectoque pallio ad pedes Pontificis totum se in ipsius potestatem transcripsit: quem Alexander benigne elevans admisit in osculo, & benedixit, & ab censuris absolvit, uti referunt acta Veneti Concilii. Ex quibus vides Pontificiæ dignitati vel a Concilio, vel ab Imperatore nihil derogatum, imo multum adsertum. De Fabula denique, qua fertur Alexander fastu inaudito Friderici caput pede pressisse, consule, qui abunde hanc expungunt, Baronium ad annum 1177. n. 85, & seq.; Contelorium in narrat. concord. inter Alexandrum III, & Fridericum I; Gretzerum tom. 6. pag. 674; & Muratorium Annal. Italiæ tom. 7. pag. 28. His unum addam, quod Philippus, qui quondam de Imperio cum Ottone IV. decertarat, postquam Innocentio III. scripsit paratum se esse Pontifici satisfacere, si in quopiam ab ejusdem obedientia, aut reverentia deflexisset, sub-

dit Pontificem propriæ relinquere conscientiæ, si Imperium, aut ipsum læsisset, hanc rationem proferens: *Judicium vestrum soli Deo reservetur, cujus judicium, & examen, quod sibi soli debetur, nobis non quærimus usurpare*. Adisis Raynaldum ad annum 1206. n.15, & 16. Quod reliquum foret, de Julio II. in jus a Cardinalibus in Pisano Conventu vocato nihil impræsentiarum subtexere juvat; quandoquidem eo de Conventiculo diris cunctis devovendo satis egimus, quum de Concilio Lateranensi V. sermonem instituimus, unde recolenda tibi, si aveas, ibi dicta sunto.

Ex jure Pontificis in Canones

ARTICULUS IV.

Ex jure condendi Canones in Conciliis sive Generalibus, sive Particularibus.

§. I.

PRincipio quidem Synodis Oecumenicis in Oriente celebratis Romanos Pontifices legem, quam tenere deberent, præscripsisse, atque decreta qua circa fidem, qua circa personas, quibus nihil ipsis, præter quam parere, esset reliquum, direxisse, atque ita alias inter Ephesinæ S. Cælestinum; Chalcedonensi S. Leonem; Constantinopolitanæ III. S. Agathonem; Constantinopolitanæ IV. Hadrianum II. satis, superque, opinor, quum de illis disputaretur, est demonstratum. In Synodis autem in Occidentis plagis habitis cuncta ferme ad Pontificum nutum ab ipsorum Legatis gesta, si quando abfuere, aut a Pontificibus ipsis edicta, quando præsentia sua aderant, ut demonstremus, non multis indigemus: id enim indicâsse sat erit, ut planum fiat jure Petrum de Marca pronunciasse lib. 5. Concord. cap. 8. §. 4. *Sane quæ nam futura sit Summi Pontificis potestas in Concilio œcumenico facile animadverti potest: Nempe rerum gerendarum, & sanciendarum auctor esse debet, quemadmodum & Senatus consulta olim in*

in imperio fiebant auctore Principe. Ergo in Lateranensi I. anno 1123. adversus Laicas investituras Callistus II. Canones elaboravit. In Lateranensi II. adversus Petrum Abælardum, & Arnaldum Brixiensem anno 1139. Innocentius II. anathemata intorsit. In Lateranensi III. contra Catharos, & Valdenses anno 1179. Canones ab Alexandro III. conditi sunt. In Lateranensi IV. anno 1215. contra Albigenses, & Almaricum Innocentius III. censuras vibravit, & Canones edidit. In Lugdunensi I. anno 1245. Innocentius IV. in Fridericum II. sententiam tulit. In Lugdunensi II. anno 1274. contra Græcorum errores B. Gregorius X. decreta constituit. In Viennensi anno 1311. unus Clemens V. Templarios abolevit; Beguardos confixit; & Constitutiones elucubravit. In Constantiensi anno 1417. Martinus V; in Florentino anno 1438. Eugenius IV; & in Lateranensi V. anno 1512. Leo X, quæ credenda, quæque agenda forent, editis Constitutionibus, aut Canonibus promulgatis præscripserunt. Nihil morabor ceteras particulares Synodos qua in Orientis, qua in Occidentis Provinciis, ac præsertim Romæ celebratis, quarum, quæ præcipuæ videbantur, elenchus brevis superius exhibitus est, quibus plane ea ratione auctoritas invictissima accessit, quod eædem Pontifice Romano aut præsidente, aut præcipiente, aut probante celebratæ sint. Hinc Cap. *Si quis* 25. q. 2. habetur: *Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholicæ fidei disciplina, pro correctione Fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, aut futurorum malorum a Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit*. Hinc Cap. *Ubi periculum* de Elect. in 6. §. *Cæterum* legitur: *Romanus Pontifex dicitur Doctor universalis Ecclesiæ, & Gregis Dominici director*. Cap. *Multis*, & Cap. *Concilia* dist. 15, & Cap. *Significasti* de elect. dicitur: *Quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, quum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, & facta sint, & robur acceperint.* Similia leguntur Cap. *Solitæ*; Cap. *Unam Sanctam*, & Cap. *Novit* de Judiciis. Hinc Cap. *Quum Romana* de Appellat. declaratur: *Quum sit Romana Ecclesia Caput, & Magistra omnium Ecclesiarum disponente Domino constituta, & ad eamdem consul-*

tationes, & quæstiones de diversis Mundi partibus merito referantur. Hinc jure Bail tom.1. Concil. in appar. de tripl. verbo Dei, tit. de verbo Dei definito ait: *Quum robur, & potestas Concilii ab eo dependeat, quem Christus Vicarium suum generalem super universam Ecclesiam constituit, ac proinde omnes Ecclesiæ Prælati etiam in Conciliis Romanum Pontificem maxime debent revereri, ne inanes sint eorum definitiones, ejus auctoritate destitutæ, & illegitima habeantur Concilia, ut sæpe factum est*. Legendus eamdem in rem Fagnanus in 3. ad Cap. *Majores* n.36. de Baptis., & in 1. ad Cap. *Antigonus* n. 48. de Pactis, & in 1. ad Cap. *Significasti* de Elect. Adeundus ipsemet etiam Petrus de Marca lib.1. Concord. cap. 8. plurimis ostendens a Romanis Pontificibus insitum jus qua in condendis legibus, qua in puniendis transgressoribus, qua in judiciis ferendis, qua in relaxandis juribus cum in Oriente, tum in Occidente nullo non tempore exercitum.

Neque vero obtrudant Pontificiæ potestatis Osores a prisca, & deinceps ætate Romanos Pontifices se se Canonibus in Conciliis conditis obstrictos, eorumdemque executioni urgendæ obligatos fassos fuisse, & professos; adeoque tantum abesse, ut se illis superiores facerent, ac potestatem arrogarent, prout alluberet, illos condendi, conditisque Concilia obstringendi. Ita S.Innocentium I. in epist. 7. ad Clerum, & populum Constantinopolit. apud Sozomenum lib.8. cap.26. ea de re Canonem 3. Concilii Constantinopolitani I. abrogasse iccirco, quod Canonibus Nicænis esset adversus. Quam in rem legendi Quesnellus, si licet, dissert. 12, & Coutantius in notis ad hanc epistolam S. Innocentii. Ita S. Zosimum in epist. 5. ad Episcopos Provinc. Vienn., & Narbon. II. veterum Canonum se retinentissimum exhibuisse, ac Canonem 1. Concilii Taurinensis anno circiter 397. juxta Baronium, aut 401. juxta Pagium, quo Proculo Massiliensi Episcopo jus in Provinciam secundam Narbonensem fiebat, abolevisse, quod Arelatensi Primati injuriam faceret, cui pridem decretis Patrum (intellige Rom. Pontificum) jus illud fuerat adsertum. Ita S. Bonifacium I. in epist.12. edit. Coutantii ad Hilarium Narbonensem e contrario Patroclum Arelatensem, quod alienæ Diœcesis Episcopum inconsulto Metropolitano ordinasset, ea de re reprehendisse, quod
in

in Canones peccasset. Ita S. Cælestinum in epist. 3. edit. ejusdem ad Illyricos sacris Canonibus subjectum se enuntiasse. Ita S. Leonem M. in epist. ad Synodi Chalced. Patres; & in epist. ad Marcianum Imp. Canonem 28. Concilii Chalcedonensis improbasse ideo, quod Nicænis Canonibus opponeretur. Ita S. Hilarum in epist. ad quosdam Galliarum Episcopos tum Mamertum Viennensem, qui Diensibus Episcopum ordinarat, gravibus objurgasse; tum Ebredunensi Ecclesiæ integra sua jura restituisse. Ita S. Felicem III. in epist. ad Veranionem Episcopum Sedem Apostolicam Chalcedonensis Concilii executricem nuncupasse, eaque de caussa Zenonis Henoticum rejecisse. Ita S. Gelasium I. in epist. 7. edit. Hard. Episcopos Dardaniæ admonuisse, ne Eutychianis communione jungerentur in Concilio Chalcedonensi proscriptis, cujus Canonum executionem Sedi Apostolicæ demandatam dicit. Ita S. Symmachum in epist. ad Æonium Arelat. conquerentem, quod Avitus Viennensis Ecclesiæ suæ jura invaderet, & in epist. ad Avitum Vienn. questum, quod Pontifex jus ordinationum Ecclesiæ Arelatensi adjudicasset, (quippe Arelatensi Ecclesiæ primatum asseruerant Pontifices Romani,) controversiam ex sacris constitutis dirimendam ad suum tribunal retraxisse. Ita S. Hormisdam in indiculo, quem dedit Ennodio, & Fortunato Episcopis Constantinopolim ab se missis, ad Anastasium Imper. pro pace Ecclesiæ procuranda, provide cautos, & integros manere jussisse Canones Concilii Chalcedonensis. Ita Bonifacium II. decretum suum, quo Vigilium sibi successorem designaverat, ceu sacris Canonibus adversum delevisse. Ita Johannem II. in epist. 6. ad S. Cæsarium Arelatensem ex sacris Canonibus ejus judicium contra Contumeliosum Rejensem Episcopum confirmasse. Ita S. Agapetum I. in epist. 2. ad eumdem Cæsarium Arelatensem significasse neque ab se bona Ecclesiarum alienari posse, quod id sacri Canones prohibeant. Ita S. Gregorium M. lib. 1. epist. 24. ad Johannem Constantinopolitanum venerari, & amplecti Concilia officio duxisse. Ita S. Martinum I. in epist. 5. ad Johannem Philadelphiæ Episcopum acta Synodi Lateranensis contra Monothelitas misisse, eidemque in Oriente Sedis Apostolicæ Vicario constituto Canonum executionem, & custodiam enixe commendasse. Ita Johannem VIII.

Carolo

Carolo Regi Anspertum Mediolanensem Antistitem suæ Sedi restituere denegasse, contra statuta Majorum se agere non posse asseverando. Ita Paschalem II. in Synodo Lateran. se contra Canones concedendo Investituras deliquisse confessum; atque in epist. ad Balduinum Hierosolymorum Regem, qui Daimbertum Patriarcham Hierosol. gradu suo pepulerat, eique Ebremarum subrogarat, juxta Canones hunc quidem sede movendum, illum vero suo restituendum loco sanxisse. Ita Eugenium III. in epist. ad Episcopos Germaniæ improbasse factum Friderici Imperatoris, quo Episcopum quemdam e sua Sede ad Magdeburgensem transtulerat, dispensationemque impertiri renuisse, ajendo contra Deum, & contra Canones se petitioni ullæ præbere consensum non posse. Ita Lucium III. in epist. ad Raynaldum Noviomensem Episc. se Canonibus obstrictum ultro citroque fuisse professum. Ita Innocentium III. ad Philippum Regem Galliarum scripsisse se absque Concilii deliberatione cum ipso in Matrimonii impedimento non posse dispensare, ut nempe, dimissa Ingelburge, Mariam superinduceret. Eumdem Pontificem Bartholomæo Archiep. Turonensi jus Metropoliticum adseruisse, quod ab eo abjudicabat suæ Sedi vindicans Dolensis Episcopus. Præterea in epist. ad Balduinum Imper. Constantinopolitanum, postquam Thomæ Mauroceni, eoquod contra Canones a Clericis, & Laicis Patriarcha Constantinopolitanus fuisset renuntiatus, electionem irritam dixisset, Balduini tamen precibus eàmdem sanavisse, suaque auctoritate confirmasse. Legendas volunt etiam Innocentii III. epistolas tum ad Nicolaum Melitensem, tum ad Cantuariensem Episcopos, quibus irrita jubet quæcumque contra sacros Canones fuissent attentata. Ita Paulum II. certas leges, quibus ante electionem fidem suam juris jurandi religione obstrinxerat, in Conclavi sancitas, Pontificem factum mutato consilio abrogasse, illis ut pote sacris adversis Canonibus, Pontificem electum nullo modo ligari posse affirmando. Similibus in Conclavi legibus latis se se obligasse ante electionem voto, ac juramento Pium III, & Julium II. legimus apud Baronium, & Raynaldum. Pontifices ergo, concludunt, legibus, ac maxime in Concilio generali editis parere necesse est, ac proinde Conciliis generalibus subjectos esse. Quod confirmant ex profes-

sione

ſione fidei, quam a ſæculo VII. uſque ad XIII. ante ipſorum inaugurationem publice emittere Pontifices Romani conſueverant, qua ſpondebant ſe obſervaturos diligentiſſime decreta omnia tum a Prædeceſsoribus, tum a Synodis canonice ſtatuta; ac diſciplinam ab illis traditam illibatam cuſtodituros: uti legitur in libro diurno Rom. Pontificum, quem egregiis notis illuſtratum edidit vir doctiſſimus P. Garnerius Societ. Jeſu.

Nam reponimus 1, quod quamvis daremus Romanos Pontifices, aut ratione pacti impliciti cum Eccleſia, aut ratione explicitæ promiſſionis, ad Eccleſiam regendam juxta Canonum regulas obſtringi, & obligari, exinde tamen haud conſectaretur illorum poteſtatem infra Canones, aut gradu inferiorem Concilio fore, neque ullo modo ſupremam eſse in Eccleſia, aut ſupra Eccleſiam. Quandoquidem, ut rite animadverſum a Grotio, & Puffendorfio eſt lib. 1. de Jure B., & P. cap. 3. §. 16, juncto Coccejo ibidem; ac lib. 7. de Jure N., & G. cap. 6. §. 10, & ſeqq., non idem plane eſt putandum eſse poteſtatem aliquam ſummam, ac a nullo pendentem, atque abſolutam, nulloque termino circumſcriptam. Ut enim poteſtas ſuprema ſit, atque independens, id ſatis eſt, ut ea vi coactivæ nullius ſubjiciatur: ut vero ſit abſoluta, atque illimitata, oportet ut nulli pacto, nullique promiſſioni illigetur. Quare fieri optime poteſt, ut Pontificis Romani poteſtas ſuprema ſit, atque a Concilio independens, quamvis Canonicis regulis obſtricta foret; ac propterea vi quidem directiva, velut ajunt, Canones obſervandos ab illis fore ſequeretur, non ſequeretur illos vi coactivæ obnoxios eſse, adeo, ut in ipſos, ſi Canones infringerent, animadvertere Concilium poſſit. 2. Quandoquidem Canones in triplici differentia ſunt, ut alii ſint juris Divini, alii juris Naturalis, & alii juris Eccleſiaſtici: præterea quum Romanorum Pontificum diſpenſationes, quæ contra Canones fieri contingeret, trifariam conſiderari poſſint, ut earumdem aliæ dicantur fieri invalide, aliæ fieri illicite, aliæ vero tum invalide, tum illicite, propterea ex Canonibus Pontifices obſtringi aliis quidem lege Divina, aliis lege Naturali, aliis denique lege Eccleſiaſtica. Circa primi, aut ſecundi generis Canones Romani Pontifices plane diſpenſare ordinaria poteſtate non poſſunt,

possunt, at bene extraordinaria, ut sæpe factum est; siquidem divini, & naturalis juris interpretes sunt: si enim de ordinaria dispensatione esset sermo, ea illicita non modo, sed etiam invalida esset. Circa vero Canones 3. generis vi quidem coactiva ad eos non tenentur, bene vero vi directiva. Qua de re si dispensare circa illos contingat, dispensatio semper valide fiet; at si fieri contingeret absque necessitate, aut utilitate, ea tunc foret illicita: quarum conditionum si una, vel altera adsit, non modo valida, sed etiam licita erit. De primi ergo, atque secundi generis Canonibus intelligendi sunt Romani Pontifices; qui quandoque sacris se obstrictos Canonibus fassi sunt, & professi: sicuti S. Martinus I. in epist. ad Johannem Philadelph. inquiens: *Defensores divinorum Canonum, & custodes sumus, non prævaricatores*: S. Gelasius in epist. ad Dardaniæ Episcopos scribens: *Uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ ceteris oportet, quam primam*: & S. Gregorius M. lib. 1. epist. 24. ajens: *Dum Concilia universali sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere, quos ligant, aut ligare, quos solverint*. Circa vero Canones 3. generis eas geminas aureas regulas observari voluere Pontifices, scilicet quod absque *Necessitate*, aut *Utilitate* dispensationes non concederentur. Unde optime ajebat S. Leo. M. in epist. 98. ad Rusticum relatus Cap. 2. dist. 14. *Sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperare*. Quorum similia scribit in epist. 25, & 84. perperam a Gratiano S. Damaso adscripta: *Norma sanctorum Canonum, qui sunt spiritu Dei conditi, & totius Mundi reverentia consecrati, fideliter a Nobis est scienda, & diligenter tractanda, ne quovis modo SS. Patrum statuta absque inevitabili necessitate ... transgrediamur*. S. Cælestinus in epist. ad Episcopos Illyrici: *Dominentur nobis regulæ*, inquiebat, *non regulis dominemur. Simus subjecti Canonibus, dum Canonum præcepta servamus*. B. Benedictus XI. de incommodis loquens, quæ ex dispensationibus nascuntur Extravag. *Inter cunctas* §. *sane de Privileg.*, *Plerumque*, dicebat, *pariunt novitates, discordiam, præsertim dum ab eo, quod dici æquum visum*

sum est, *per novam Constitutionem receditur*, *nec quare recedatur*, *utilitas evidens*, *vel alia caussa subest*. Bonifacius VIII. relatus Cap. *Alma Mater de sent. Excom. in 6*, *Alma Mater*, ajebat, *Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat*, *& consulte*, *quæ suadente subjectorum utilitate consultius*, *& rationabilius revocat*, *in meliusque commutat*. Denique Urbanus II, Paschalis II, & Innocentius III. supra relati duas illas regulas in dispensationibus concedendis religiose servandas jubebant, scilicet: *Urgentem necessitatem*, *aut evidentem utilitatem*. Ad hæc S. Bernardus lib. 3. de Consider. cap. 4. *Spiritualis homo*, scribebat, *qui omnia dijudicat*, *ut ipse a nemine dijudicetur*, *opus suum trina quadam consideratione præveniet*, *primum quidem an liceat*, *deinde an deceat*, *postremo an expediat*: *nam etsi constet in Christiana utique Philosophia non decere*, *nisi quod licet*, *non expedire*, *nisi quod decet*, *& licet*, *non continuo tamen omne*, *quod licet*, *decere*, *aut expedire consequenter erit &c.* Hisce nempe regi Eugenium III. in Ecclesiæ regimine volebat regulis. Audiendus item S. Thomas, qui 1. 2. q. 76. art.4. *Si Rector*, inquit, *Universitatis absque ratione pro sola voluntate licentiam tribuat*, *non erit fidelis in dispensatione*, *aut erit imprudens*: *infidelis quidem*, *si non habet intentionem ad bonum commune*; *imprudens*, *si rationem dispensandi ignoret*; *propter quod dicit Dominus Luc.* 12. Quis putas est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Adeundi Gratianus in Cap. *Ideo* 25.q.1. V. *Sacrosancta Rom. Ecclesia*; & Thomassinus p.2. lib.3. cap.24, & seqq. Sub hac igitur acceptione facilis captu evadit exceptio, quæ frequens circa facta aliqua, aut decreta, ceu sacris Canonibus adversantia, a Pontificibus adhibita legitur, qualis inter alias ex hac facile intelligendis, ea fuit, qua Bonifacius II. decretum suum dispunxit. Ex qua agendi ratione perperam Basnagius ad annum 531. subinfert Pontifices sacris Canonibus esse obnoxios; nec illis summum jus in Ecclesiam inesse. Non enim id factum processit ex defectu potestatis, sed potius ex potestatis abusu profectum fuerat: neque postea refectum fuit ex Synodi sententia, sed Synodo dumtaxat suadente, ac ostendente pessimum Ecclesiæ exemplum dari Successorem designando, sola, ac summa Ponti-

ficis potestate, qua factum fuerat: *Constitutum*, ait Anastasius, *in præsentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus incendio consumpsit*.

Ex jure abrogandi, aut relaxandi Canones Conciliorum.

§. II.

JUris ejusdem modi, idest Monarchici est; quem sane regendæ Ecclesiæ modum, velut omnium optimum, Romano Pontifici invictissimis, ut puto, rationum momentis par. 1. art. 1. in tuto posui, sicuti Ecclesiæ Canones procudere, ac præscribere, ita nec secus in Ecclesia a Conciliis præscriptos, ac procusos abrogare, aut relaxare. Primum superiori §. ceu loco stabilitum est suo, præstat nunc, ut postremum, quod primi veluti appendix haberi debet, ita, si superis placet, omnem prorsus extra dubitationis aleam collocetur, ut nec impudentissimus quispiam inficiari præsumat. Si itaque Pontificibus ipsis imprimis est auscultandum, quibus profecto quare auscultandum utroque aure non sit, ego nescio, id sibi juris qua dictis, qua factis nullo non tempore, sicut tenacissime retinuere, sic asseruere invictissime. Quid ajo sibi asseruere? Ajam magis asseruisse ultro citroque, quotquot pro ejusdem juris usu ad Pontifices sæpius acceesserunt supplices. Quomodo, ut probe cernis, suspicio omnis procul amovetur Pontifices Romanos ex amore proprii amplificandi juris extra orbitam æqui, justique aliquando excurrisse. Id itaque sibi constantissime asseruit S. Julius I, dum in epist. 1. edit. Cout. ad Eusebianos apud S. Athanasium in apolog. 2, Canones in Concilio ab eisdem elucubratos iccirco roboris irritos denuntiavit, quod sua absque conscientia fuissent elucubrati, generatim declarando: *Irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta*, sicut habet Sozomenus lib. 3. cap. 10. *Quum Ecclesiastica regula interdictum si, ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesia decernatur*; veluti loquitur Socrates lib. 2. cap. 17. Quamobrem Sardicensis Synodus ad Canones suos communiendos, ac in tuto collocandos id approbi

probi consilii arripuit, officiique habuit loco rerum ab se gestarum S. Julium certiorem protinus facere, decretisque suis ex Pontificis auctoritate potissimum robur adsciscere: *Hoc enim*, scribens, *optimum*, & *valde congruentissimum videbitur, si ad Caput, id est ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque Provinciis Domini referant ante Sacerdotes*. Quem locum postea in epist. 42. laudavit S. Nicolaus I. P. M. Id sibi deinde asseruit S. Damasus, in eadem quinimo assertione S. Liberium stetisse pariter auctor est locuples, dum ex sua, decessorisque sui sententia robur omne Synodo Ariminensi detraxit, ut sæpæ dictum est. Quo pacto vero aliorum quorumcumque sententias infringere, ita versa vice obstringere suis omnes in Pontificis auctoritate positum esse adeo omnibus perspectum erat, probatumque, ut decretis a S. Damaso adornatis, & ad se directis syngrapham adjicere suam religioni duxerint Orientales Antistites, tum numero 153. in Synodo Antiochena coadunati anno 378, aut 379, tum in Constantinopolitana anno 382, sicut ex Synodica ad S. Damasum adparet.

S. Siricius, etsi sacrorum exactor severus Canonum, acerrimusque vindex, & assertor, temperandi eos tamen, remittendique de rigore, aut etiam rejiciendi, pro ut opus foret, insitum sibi jus tum dilucide innuit, quum vel in epist. 6. conquerebatur valde, ac dolebat de eorum molestia, qui ad impetrandas dispensationes importunius, quam par fuisset, disciplinæque bono expediret, quotidie suis auribus ingerebantur. Ab Episcopis Africanis e Concilio Carthaginensi anno 401. Oratorum opera obsecratus S. Anastasius I, ut in Clericorum albo cooptari illos benigne indulgeret, qui olim baptismo a Donatistis fuerant abluti, (quod alioquin intercedente S. Siricii decreto nefas esse haud nesciebant): efflagitatus etiam ab eisdem Episcopis ex altera Synodo eodem anno Carthagine habita litterarum ope, ut Clericis a Donatistarum schismate reducibus suo in Ecclesia defungi officio liceret, (quod pariter a S. Siricio, Capuanaque Synodo interdictum ipsos non præteribat), Canonis utriusque veniam concessit. Id equidem ex Pontificiis litteris, quæ perierunt, liquido non patet, exinde tamen certo

 con-

conjicit Clarifs. Orfius hift. Eccl. lib. 22. n. 44., quod benignignitatis quadam fpecie poftmodum ab Africanis Præfulibus erga Clericos ejus genus agi cœptum fit: quomodo haud egiffent profecto infcio, invitoque Pontifice, quem poftulaverant. Quin idipfum conjectura attingere licet ex Codice Canonum Ecclefiæ Africanæ, ideft Canon. 56, 65, & 68, ubi litteræ hanc ob rem ad S. Anaftafium miffæ, viciffimque ab eodem receptæ memorantur.

In eamdem S. Siricii de SS. Canonum integritate fervanda fententiam ingrefsus S. Innocentius I, etfi Canonum eorumdem puritati in tuto ponendæ fedulo incumberet, adeoque ut fcribens in epift. 2. ad Victricium Rotomag. Clericorum cauffas juxta Nicænos Canones judicandas, dirimendafque jufferit diftricte, jus tamen fuum de eorumdem rigore remittendi integrum volens, fubjunxit: *Sine præjudicio tamen Ecclefiæ Romanæ, cui in omnibus cauffis debet reverentia cuftodiri*. Quefnellus equidem pro intemperantiori prurigine ingenii quamcumque in Pontifices invidiam quærendi, occafionemque infringendi quæcumque, ut poffet, quæ ad Pontificis jura confirmanda conferrent, verba ifta: *Cui in omnibus cauffis debet reverentia cuftodiri*, ab Innocentii epiftola expunxit ideo, quod a S. Nicolao I. in epift. alias 40. lecta non fint, defiderentur etiam in Collect. Mfs. Dionyfiana, & Hadrianea, aliifque veteribus Codicibus; eadem proinde Codici Romano ab Editoribus fuiffe affuta præfidentiffime affirmans differt. 12. cap. 4. Quominus vero Quefnellus fallere quempiam poffit, Codices prohibent optimæ notæ Romani plerique; Colbertini duo apud Coutantium; Hifpanus, quo Ifidorus eft ufus; Gallicanus, quem adhibuit Hincmarus in opufc. 45. cap. 12, & opufc. 55. capit. cap. 28; Romanus alter, qui ufu Gratiano venerat; Oxonienfis, quo ufus ipfemet Quefnellus eft; aliique paffim aliis collectoribus ufitati, in quibus prælaudata verba habentur: cum quibus verbis demum cognationem habent maximam, quæ a Synodo Sardicenfi Can. 3, 4, & 7, in verfione Dionyfii, five 4, 5, & 7, Ifidori, & Gratiani 5, de cauffis Apoftolicæ Sedi refervatis ftatuta leguntur. Infita ejufmodi agendi ratio S. Innocentio erat, ut pro opportunitate temporis Canonum

num rigorem aut temperaret suaviter, aut retineret severe. Itaque, quam in epist. 16. ad Marcianum Episcopum Naissitanum veniam fecerat Ordinatos a Bonoso ante damnationem cum honoribus admittendi, atque ad functiones Ordinum peragendas, eamdem postea, cessante, quæ pridem urgebat, caussa, ac necessitate, ad se retraxit in epist. 17. ad Episcopos Macedoniæ. *Quod necessitas*, inquiens, *pro remedio invenit, cessante necessitate, debet utique cessare pariter, quod urgebat*.

Nec dispar ibat a decessorum suorum sententia S. Zosimus, qui juris istiusmodi sibi conscius, usumque facere tum e re arbitratus, in epist. 1, & 5. ad Episcopos Provinciæ Narbonensis Canoni 6. Nicæno, & Can. 1. Constantipolitano derogavit, Arelatensi Ecclesiæ Metropoliticam dignitatem conferens non modo, sed & in Narbonensem utramque Provinciam ei potestatem concedens. Quamvis nequaquam dissimulandum, quod Narbonensis Ecclesiæ jura postliminio redintegravit S. Bonifacius I, quem successorem excepit S. Zosimus, ac Patroclum Arelatensem a jure in Narbonensem Ecclesiam exercendo coercuit, Nicænorum Canonum integram manere observantiam jubens epist. 12. ad Hilarium Narbonensem. Quamquam vero S. Bonifacius Canonum integritati sedulo incumberet, de eorum severitate tamen relaxare, ubi Christianæ bono Reipublicæ expedire cerneret, pro data sibi potestate, non omittebat. Argumento id præclaro esse potest caussa Perigenis, qui Patarensis Ecclesiæ Episcopus ordinatus, nec locum adeptus, post fata Antistitis Corinthii, in Corinthiorum Episcopum desideratus fuerat a Clero, Populoque. Eorum votis oberant tamen Canones Episcoporum commigrationes vetantes, Nicænus 16, Sardicensis 1. & 2, Capuanus relatus in Carthaginensi III. Can. 38; Pontificum etiam Romanorum decreta SS. Julii I. epist. 1, Damasi epist. 5, & 6, atque Siricii epist. 10: quorum propterea indulgentiam obsecrabat, & obtestabatur Ecclesia Corinthia a S. Bonifacio, qui re accurate perpensa, atque a Rufo Thessalonicensi certior factus e re Ecclesiæ esse, ut ejusdem petitioni faceret satis, Perigenem Ecclesiæ Corinthiæ præfecit; quem postea suo loco stare, quo deturbare quidam Thessaliæ Episcopi moliebantur, eorum conatus

natus irritans, jussit. Legendæ ejus epistolæ in edit. Cout. 4, 5, 13, 14, & 15. ad Rufum Thessal., ad Episcopos Thessaliæ, & Illyrici, quæ Apostolicæ Sedis amplissimæ potestatis speciem pulcherrimam, expressissimamque præseferunt. Tillemontio prior illa, sive quarta S. Bonifacii epistola falsi suspecta visa est tom. 12. monum. hist. Eccl. pag. 667, ideo quod Perigenis electionem confirmare in ea innuit, de qua postea electione in sequenti epistola nihil decernere se voluisse significat. Veruntamen hanc Tillemontii suspicionem omnino amovet S. Bonifacius in epist. 15, ubi duplicis epistolæ, videlicet 4, & 5. ad Rufum hac de Perigenis caussa ab se directæ, dilucide meminit: sed & utramque epistolam veluti in Ecclesiæ Thessalonicensis archivo asservatam in Synodo Romana sub Bonifacio II. anno 531. sess. 2. Theodosius Echiniensis memoravit, ideoque neutram loco abigere suo licet.

Qua cum Perigene ad Corinthiorum obnixas preces egerat S. Bonifacius Prædecessor, pari indulgentia sibi agendum proponens S. Cælestinus cum Proclo Cyziceno Præsule electo, nec locum consecuto, Theodosii Imperatoris postulatis inflexus, idque exigente temporum necessitate, nec non eximia viri virtute, etsi Conciliorum Canones, ac decessorum decreta, de quibus paullo superius, obstarent, horum nihilo secius veniam largitus est, ac per ipsum licuit Proclo ad Constantinopolitanam Ecclesiam commigrare, veluti refert Socrates lib. 7. cap. 40, de quo tamen consulendus Doctiss. Coutantius in notitia epistol. ad S. Cælestinum attinentium §. 17. Illustrius est autem, quod juris istius plenissimi idem Pontifex specimen præbuit in epist. 22. ad Synodum Ephesinam: qua etenim Pelagiani ab Apostolica Sede jampridem habiti fuerant, humanitate fore, ut Nestorianis partibus addicti perinde haberentur, idest suis in Ecclesia dignitatibus restituerentur, si dejecti, aut in eisdem retinerentur, si nedum detrusi, modo rectam ad frugem redirent, spem fecit quam maximam, sponsoremque se præstitit. Hisce vero inhærens vestigiis, exemplisque edoctus S. Leo M. eodem libenter usus est jure sive cum Episcopis Occidentis; nam percunctatus ab Italis de Ordinationibus Bigamorum, & Incontinentium irritas illas omnino voluit, & dixit: ad preces autem Præsulum Africanorum quædam

dam subaustere, ac severe deneganda quidem duxit, quædam vero blande, ac benigne dispensare nequaquam detrectavit: sive cum Episcopis Orientis; siquidem quem absque Pontificis assensu in Sedem admittere Constantinopolitanum Antistitem Theodosius Imperator non fuerat ausus, hoc habito conscientiam omnem actutum violati Canonis exuit: quem vero Antiochenæ Ecclesiæ Præsulem idem Constantinopolitanus præfecerat, (quod præter Canones pariter fuerat peractum,) suo permanere loco permisit, in utriusque gratiam veniam infracti Canonis faciens, atque utriusque ordinationi, valorem, quo carebat utraque, attribuens. *Quod Nos*, ajens in epist. 54. ad Marcianum, *amore reparandæ fidei, & pacis studio retractare cessavimus*. Splendidior autem enituit juris ejusmodi usus in abrogatione Canonis 28, quo a Concilio Chalcedonensi instauratus fuerat Canon 3. Constantinopolitani I. de secundo post Romanum Pontificem honoris gradu Episcopo Constantinopolitano permisso: quo de jure sibi insito Conciliorum etiam generalium Canones abrogandi differens in epist. 55. ad Pulcheriam Augustam, *Consensiones*, ajebat, *Episcoporum SS. Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes ... in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus*. Scilicet id significans ab Apostolica Sede Nicænos Canones receptos, e contra Constantinopolitanum 3, & Chalcedonensem 28. reprobatos: non enim nesciebat alioqui tanta præditum fuisse auctoritate sive Constantinopolitanum, sive Chalcedonense, quanta fuerit Concilium Nicænum. Sed & in epist. ad Anatolium 45, in edit. Cacciari 64. ex Lapsis in pseudo-Synodo Ephesina pœnitentes quosdam, qui minus peccassent, ad reconciliationem recipi, gradibusque restitui benigne indulsit; quorumdam, qui majoribus flagitiis se polluisent, sibi reservata districtione, non secus atque discussione causæ cujuscumque gravioris, implicatiorisque, quæ exquisitiori indigeret examine.

Nec ab ejusmodi summi juris usu destitit, qui nec sententia aberat dispar, S. Hilarus: quippe in epist.4. irritas quidem declaravit dispensationes ab Apostolica Sede per obreptionem impetratas, antea tamen in epist.2. Mamerto Viennensi Metropolitæ, a quo

a quo Dienſis Epiſcopus juris Provinciæ Arelatenſis fuerat ordinatus, veniam infracti Canonis fecit: *Ad Eccleſiarum*, inquiens, *quietem tantæ tranſgreſſionis vulnera, memores Apoſtolicæ ſapientiæ, curari volumus fomentis... Nunc enim temporis opportunitas, nunc languentis neceſſitas, nunc medicinæ ipſius & modus eſt quærendus, & qualitas*. Hæc ipſa ratio in cauſſa fuit, cur permoveretur ad impertiendam violatorum Canonum veniam Silvano Calaguræ in Provincia Tarraconenſi Antiſtiti, a quo Presbyteri alienæ diœceſis ordinatio fuerat uſurpata; nec non aliis inſuper Epiſcopis abſque Metropolitani conſcientia ordinatis: *Temporum neceſſitate*, ajens in epiſt. 2. ad Aſcanium, *perſpecta, hac ratione decernimus ad veniam pertinere, quod geſtum eſt; ut nihil deinceps ... contra Nicænorum Canonum conſtitutum tentetur*. Legenda quoque Hiſpanorum Epiſcoporum ad eumdem epiſtola, qua ad ipſius tribunal Silvanum deferunt, ac pro Silvano apud ipſum deprecantur in edit. Harduini tom. 2. pag. 787. De proprio jure perſuaſus, itidemque de prudenti œconomia pro temporum neceſſitate adhibenda S. Simplicius, in epiſt. 14. ad Zenonem Imperat., ad infimas ipſius preces Calendioni, qui contra Nicænorum Canonum tenorem Conſtantinopoli in Epiſcopum Antiochenum fuerat ordinatus, quæ ordinatio Antiochiæ ab Orientalibus fuerat celebranda, infracti Canonis indulgentiam conceſſit, ea lege tamen, ne ab Acacio uſurpata Antiocheni ordinatio traheretur in exemplum, Canonumque impoſterum ſtaret integra religio, quod ſervaturum ſe Imperator juris jurandi ſacramento ſpopondit. Præclare item proſecutus id juris S. Gelaſius in epiſt. 5. ad Epiſcopos Lucaniæ edit. Harduini a rigore Canonum recedendum pro temporis qualitate duxit: *Neceſſaria*, ſcribens, *rerum diſpenſatione conſtringimur, & Apoſtolicæ Sedis moderamine convenimur, ſic Canonum paternorum decreta librare, ut quæ præſentium neceſſitas temporum reſtaurandis Eccleſiis relaxanda depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri, temperemus.* Quam attamen Sedi Apoſtolicæ diſpenſandi facultatem utique attribuit, cap. 9. eamdem Epiſcopis circa ordinationes, & beneficiorum collationes aut ademit, aut intra æqui, juſtique orbitam coercuit, pleniſſimam uni S. Petri Sedi colla-

collatam fuisse affirmans. Quia vero quosdam Dardaniæ Episcopos dubitatio nonnulla subierat de summa ista Pontificis Romani potestate supra Conciliorum statuta, inter alia, quæ ad hanc ab eorum animis amputandam ambiguitatem, clara, & præclara accumulavit, de re in Ecclesia exploratissima suspicionem movere nefas esse subtexit in epist. 7. edit. cit. *Cuncta per Mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi: utpote quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.* Quæ propria fecit postmodum S. Nicolaus I. in epist. ad Episcopos Galliar. Sed & S. Symmachus rescindens, quæ suo decessori S. Anastasio in divisione Provinciarum Arelatensis, & Viennensis decernenda visa fuerant, qua polleret auctoritate planum fecit, & qua prudentia in ejusmodi auctoritate exercenda in epist. 9. ad Avitum Vienn. scribens: *Quod fit præter regulam, modo fit ex justa caussa, non infringit regulam... Nam quamvis a Patribus statuta diligenti observatione, & observanti diligentia sint custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur; quod & ipsa lex cavisset, si prævidisset; & sæpe crudele esset insistere legi, quum observantia ejus esse præjudiciabilis Ecclesiæ videretur: quoniam leges ea intentione latæ sunt, ut proficiant, non ut noceant.* Juxta hæc indulgenter cum Contumelioso Episcopo agendum, qui in Canones multa commiserat, S. Cæsario Arelatensi epist. 2. auctorem pariter se præbuit S. Agapetus: quo de argumento copiosius alibi. Plerosque alios prætermitto, ne prolixior, quam par sit, evadat oratio.

Putasne tamen alteram Pontificibus MM., qui devexiori sub ætate, idest a sæculo VI, ac deinceps Ecclesiæ clavum tenuere, de summo isto jure suo persuasionem insedisse? Ne id putes præpostere, prohibet plane imprimis S. Gregorius M. plurimis in locis, ac præsertim in epist. 31. lib. 6, ubi de Concilio Constantinopolitano I. agens, ipsius auctoritate Romanam Ecclesiam minime affici, nec decretis obstringi dilucide edicit: *Romana Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eamdem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.* Cui nempe calculo accesserat

S. Damasus suo. Antiquis præterea Canonibus, ac præsertim Chalcedonensi 4. detraxit, privilegia Monasteriis impertiens, quibus ab Episcoporum jurisdictione, ac regimine subtraherentur. Legere est hanc in rem ipsius epist. 8, 9, & 10. lib. 2, quibus ad preces Theodorici Regis Monasterium Augustodunense privilegio immunitatis affecit: epist. 2. ad Respectam Abbatissam lib. 6, qua Monasterio S. Cassiani idem privilegium concessit: epist. 18. lib. 7. Ad Marinianum Episcop.; 116. ad Virgilium Arelat., quibus confirmat privilegium Arelatensi Monasterio a Vigilio Papa collatum: quod privilegium aliis quoque Monasteriis largitus legitur in epist. 43. lib. 4; 40. lib. 6, & 63. lib. 9. Porro jam sub S. Leone M. in Concilio Arelatensi III. anno 450, aut 451, ut conjicit Sirmondus, Monasterium Lirinense, cui Faustus præerat, a jurisdictione Episcopi Forojuliensis, qui tum erat Theodorus, exemptum fuerat: in quod proinde tempus quidam epocham exemptionis Monachorum conjiciunt. Postremo idem S. Gregorius M. fertur antiquos Canones, qui usque ad 7. consanguinitatis gradum matrimonia inter propinquos jungi prohibebant, in Anglorum gratiam abrogasse; & refertur Can. *Quædam lex* 33. q. 3; quam perinde in rem facit ipsius epist. 31. lib. 12. ad S. Augustinum. Quamquam vir doctiss. Petrus Coutantius in Censura decret. S. Julio I. attributorum n. 13. in ea intime opinione versatur haud priscum huncce viguisse morem, ut in septima dumtaxat generatione conjugia jungerentur, præsumens a prudenti alioqui Pontifice exceptionem aliquam in epistola ad S. Augustinum fuisse adhibendam: exceptionis autem ejusmodi, multoque minus antiqui hujus moris ne volam quidem haberi apud S. Isidorum Hispal.; Theodorum Cantuar.; & Rabanum Maurum, a quibus tamen de hujus genus impedimentis est pertractatum: neque, quod potissimum est, meminisse S. Gregorium II, quamvis a S. Bonifacio Mogunt. rogatum, & interrogatum, in quota progenie demum propinquorum matrimonia copulare liceret. Hinc ex Isidori officina procusam autumat epistolam S. Gregorii M. nomine inscriptam ad Felicem Messanensem, qua de infractis ab se in gratiam Anglorum priscis gradibus consanguinitatis illum fecisse certiorem non tam fertur, quam fingitur.

Rede-

Redeundo nunc ad propositum, a quo paullisper deflexeram, S. Martinus I. conscius certe sibimet erat juris istiusmodi particulam Romano Pontifici a Christo D. factam, qua Conciliorum etiam generalium Canones aut rejicere penitus, ubi oporteret, aut relaxare posset; quum bono Christifidelium expediret. Quandoquidem Canonum severitati æquum imponi modum erga eos permittens, qui ex ignorantia peccasent, in epist. ad Johannem Philadelphiensem suas in Oriente vices gerentem, lapsos Episcopos, ac Presbyteros ad frugem regredientes ad pristinos gradus redintegrandi facultatem fecit: *Novit enim*, inquiens; *Canon afflictorum temporum persecutionibus veniam tribuere, in quibus contemptus non præcessit, prævaricationem redarguens; sed angustia magis, & penuria, quæ propter necessitatem ex misericordia cogit multam diligentiam prætermittere*. Econtra vero etsi oratus, & exoratus a SS. Amando, & Corbiniano, ut ab Episcopali onere exonerarentur, eos non exaudiendos existimavit, ideo quod e bono Ecclesiæ id non esset. Adeodatum pervaserat eadem persuasio, quippe qui Monasterio S. Martini Turonensis ab Episcoporum jurisdictione exemit; quamquam id privilegii plane sacris Canonibus multum detrahere non ignoraret: *Parumper autem*, ajens, *ambigimus, idcirco quod mos, atque traditio S. nostræ Ecclesiæ plus non suppetat a regimine Episcopalis providentiæ Religiosa loca secernere*. Primum hoc immunitatis privilegium Natalis Alexander putat ab Apostolica Sede Monachis impertitum. At jampridem a SS. Leone I, & Gregorio M. similia Monachis collata privilegia paullo superius indicatum est: cujus perinde speciem præseferunt, quæ Monasteriis Bellilocensi Johannis XVIII, & Sergius IV; Cluniacensi Benedictus VIII, aliisque plurimis, quæ modo prosequi operæ præsentis non est pretium, sequiori sub ætate Pontifices alii concessisse passim leguntur. Privilegium equidem illud tanquam pseudo-epigraphum, non secus atque pleraque alia ejusdem genus, pro intemperie sui ingenii dispungere obnixus est Launojus: sed hujus gerras jampridem exsufflarunt prorsus Monsnierus in lib. de juribus Eccles. S. Martini Turon., atque Cointius ad annum 679. n. 34, & seqq.

Qui a Synodo VI. pro qualitate culparum gradu amoti fue-

 rant,

rant, Macarium, aliosque Præsules Romam dimissos fuisse, ut cum ipsis Pontifex vel indulgentia, vel severitate ageret, prout alluberet, liquet ex litteris Constantini Imper. ad S. Leonem II; ex verbis ipsius Imper. act. 18. relatis, & Anastasio Bibl. Ac certe S. Benedictus II, sicuti retulit in Synodo VII. Legatus Apostolicus apud Baronium ad annum 785. n. 8, Macarium vehementer incitavit, & ursit, ut errorem animo ejiceret, spondens, faciensque spem, fore, ut suæ Antiochenæ restitueretur Ecclesiæ. S. Sergio I. non altera ab hac sane inhærebat animo sententia de propria, summaque potestate Conciliorum Canones aut infringendi, aut confirmandi: nam etsi obsecratus enixe a Justiniano Imperat. Trullanos tamen Canones assensu comprobare suo renuit, testibus Anastasio, & V. Beda. Constantino etiam: siquidem rogatus a Johanne Constantinopolitano Antistite, a quo *Christiani Sacerdotii Caput* fuerat in epistola denominatus, Michaele Romano Presbytero Constantinopolim Apocrisario misso, lapsos Episcopos, qui videlicet Synodo VI. anathema dixerant, suis restituit locis. S. Zacharias istiusmodi juris non unum, minusque illustre specimen exhibuit. Pippino Francorum Regi, quod Provincialis Synodi proprium esse sacri Canones volebant, nempe jus nominandi ad vacantes Ecclesias, attribuit: cujusmodi facultatis particulam factam pariter Carolomanno observat Clariss. Pagius ad annum 752. n. 14. Ad eumdem Pontificem retulerat S. Bonifacius Moguntinus ex Gallis Presbyteros, ac Præsules quamplures, quamvis adulteriis, flagitiisque aliis infames, quondam a Gregorio Prædecessore suo dispensatum secum, ut sacris operam darent, circumferri: cui respondens epist. 1, & 5. hujusmodi indultum cum inficiatus est, tum agere cum illis ex severitate Canonum jussit. Videsis Baronium ad annum 742. n. 10. E converso eidem S. Bonifacio in epist. 8. assensum præbuit, adquievitque indulgenter, ut prædiorum Ecclesiæ expilatorum parte aliqua restituta, pars altera in potestate Laicorum retineretur, ne videlicet majora incommoda in Ecclesias inducerentur. In epist. 1. eidem S. Bonifacio exoranti, ut sibi successorem deligere, & ordinare liceret, assensum denegavit: id tamen indulgens, ut ubi mortem instare sibi intelligeret, tum demum illum desi-

designaret, ac Romam ordinandum dirigeret. A S. Leone IV. absolvi a vinculo, ac lege Subdiaconatus, qua detinebatur, ne ad Angliæ Thronum ascenderet, impetrasse Ethelvulphus legitur in vita S. Suitberti apud Surium ad diem 2. Julii.

Ea ratione Carolo M. facultatem fecit Concilium Francofordiense, ut apud se Hildeboldum Episcopum retineret, a residentia in propria Ecclesia eumdem eximens, quod ab Apostolica Sede ipsi pridem fuisset facta retinendi Ingilramnum, Can. 55. Herardus quoque Turonensis Archiepiscopus in Synodo Suessionensi III. tum demum Synodis Episcoporum fas esse affirmavit aliquid de rigore Canonum remittere, quum id Apostolicæ Sedi approbatum fuisset; probe intelligens penes unum Pontificem istiusmodi juris summam consistere. Ad hæc Hadrianus I, cujus intuitu dicta, & acta sunt ista, in epistola ad Tarasium Constantinopolit. perlecta in Synodo VII. act. 2, postquam Tarasio succensuisset ob id, quod *Universalem* Patriarcham se inscribere non revereretur, improbassetque imo ipsius electionem, qua scilicet ex laico ad Episcopalem dignitatem fuisset extemplo elatus, veniam nihilosecius infractorum Canonum impartitus est, ea lege, ut pro restituendis SS. Imaginibus sedulam impenderet operam: *Si autem*, inquiens, *sacras, ac venerabiles Imagines in illis partibus non restitueris, Consecrationem vestram modis omnibus recipere non audemus*. Ibat profecto in eadem vestigia S. Nicolaus I, qui in epist. ad Michaelem Imperat. quam liquido, tam luculenter demonstrandum asumens Ecclesiæ Romanæ auctoritate Concilia confirmari omnino oportere, *Unde*, subjungit, ac subinfert, *quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt*. Hadrianus II, quem is successorem in Sede excepit, Actardum Episcopum Nannetensem, Rege, Clero, Plebeque obsecrantibus, ad Sedem Metropolitanam Turonensem, contra statuta Canonum, hoc est Nicænum 16, & Sardicenses 1, & 2. transtulit, & transvexit, uti constat ex ejusdem epistolis 27, 28, & 29. collect. Concil. Gall. edit. Sirmondi. Sed & expressius ob ingentem delinquentium multitudinem e re Ecclesiæ esse Canones aliquando relaxare scripsit in epist. ad Basilium Imper. lecta in Synodo VIII. act. 1. Cum Photii

Photii partiariis, Basilio Imp., Ignatio Patriarcha, & Synodi VIII. Patribus enixe exorantibus, dispensationem ab eodem Hadriano II. denegatam alibi dictum est, & adparet ex Synodi act. 10, & 12; ac Anastasio Bibl. Ipsius sententia igitur Romanus Pontifex pro summa in S. Petro sibi facta a Christo D. potestate supra Conciliorum etiam generalium Canones omnino potis est.

Atque quidem, Pontifici sicui alteri, Johanni VIII. quam maxime juris usus istiusmodi frequens venit. Frotarium ab Ecclesia Burdigalensi ad Bituricensem, rogante Carolo Calvo Imp., transmigrare indulsit, uti liquet ex epist. 8. ad eumdem Imperat., & 13. ad Clerum, & Populum Bituricensem. Photium a Synodo VIII. gradu dejectum Sedi Constantinopolitanæ (quamvis imprudenter, ut quidam volunt, ab imprudentiæ nota omnino absolventibus verisimilius aliis,) redintegravit epist. 169. Quamquam postea comperta hominis fraude, & nequitia, anathemate devinxit, locoque detrusit. Accipe nunc alterius indulgentiæ ab eodem Johanne adhibitæ insigne exemplum, quo in epist. 12, 13, & 15. Episcopo Carnotensi jubet Madelgero homicidii reo, ac pro absolutione Romam profecto beneficia restitui. Cujusmodi indulgentiarum iis, qui Romanum iter instituissent, a Pontificibus impetratarum exempla innumera Ecclesiastica historia suppeditat, testimonioque comprobant suo S. Nicolaus I. in epist. 20, atque Synodus Lemovicensis anno 1032. celebrata. Idem vero Johannes VIII. epist. 34. magnopere dolet, quod jam eo malorum devenisset Ecclesia, ut nisi multa juris, & Canonum contemperatione, jam amplius rite adgubernari nequiret. Qua perinde juris remissione usus Formosus, quod expostulantibus Orientalibus Episcopis Hadrianus II. indulgere noluerat, quodque infimis repetitis precibus a Stephano VI. morte prærepto impetrare nequiverant, facilis indulsit, idest Synodi VIII. decreta relaxando, quibus a Photio promoti, aut qui sententiæ ab illo nequam in S. Nicolaum P.M. ejaculatæ subscripserant, a dignitatibus arcebantur: signatimque a Leone sapiente Imper. obsecratus Stephano ipsius Fratri veniam fecit ad Patriarchæ gradum ascendendi, quamvis a Photio fuisset Diaconus ordinatus. Quid autem, quod idem

idem Imperator a Sergio III. impetravit, quominus sibi licerent quartæ nuptiæ, ad quas adspirabat vehementer, nihil impedirent sive Græcæ Ecclesiæ contrariæ leges, sive Nicolai cognomento Mystici Patriarchæ Constantinopolit. adversi conatus? Quid imo quod idem Patriarcha epistola ad Pontificem exarata, quam Baronius ad annum 911. n. 6. regerit, officii loco habuit implicati negotii istius rationem accuratam reddere? Quod haud leve haberi indicium debet perspecti juris, quo Pontifex Græcæ Ecclesiæ leges infringere ultro, citroque posset.

Multoque minus ab hac de proprii juris intima persuasione aberant aut prope, aut procul ipsi Pontifices: in quibus Johannes IX. ab Hervæo Remensi Antistite consultus, rogatusque de rigore Canonum dispensandi cum Normannis ipsi facultatem fecit. Leo VII. in epist. ad Gerhardum Lauriacensem, hanc Ecclesiam dignitate Metropolitica adauxit, quam eopse a Salisburgensi abstulit. Dissensionem deinde exortam Archiepiscopos Lauriacensem inter, & Salisburgensem, sive Juvavensem, composuere tum Agapetus II, tum Benedictus VII. Gerardo Lauriacensi caussa adjudicata, jureque Metropolitico confirmato. Quamquam haud ignoro, potius quam dispensationi id omne sit deputandum, juris in pristinum restitutionem æstimari commode posse. Defecit tamen dignitas hæc Metropolitica Ecclesiæ Lauriacensis in Pilgrino anno 992: qua de re adeundus Lambecius lib. 2. Bibl. Cæsar. pag. 641, & seqq. Clemens II. in diplomate, quo Johannem Pæstanum ad Salernitanam Ecclesiam transtulit, anno 1047. dato, hanc circa Canones dispensandi regulam, æquamque rationem teneri a Pontificibus MM. solere perhibet. *Quoties ita contingit, ut exigente necessitate, & maxima utilitate transmutandus est quisquam Episcopus de propria Sede ad aliam, diligentissime perquirenda est persona, utrum necessario sit transmutanda, ut sic major utilitas oriatur, sicut major Sedes assumitur*: apud Harduinum tom. 6. Concil. par. 1. pag. 923. Juxta hæc ipsa S. Leo IX. in epist. 12. ibidem pag. 971. Johannis transitum ab Ecclesia Tuscanensi, aut Tuscanellensi (denominata nempe a Tuscana, aut Tuscanella, quas quidem duas distinctas Urbes autumavit Vir Clariss. Franciscus Marianus Vatic. Bibl. Scriptor Græcus, indistin-

distinctam vero a Viterbio Tuscaniam: sed & a Viterbio Tuscanellam distinxit Ughellus: non distinguendam autem a Tuscania Tuscanellam, sed unam eamdemque Urbem Episcopalem, postea excisam, & Viterbiensi adjunctam Ecclesiæ verisimilius conjicit Vir doctiss. Cajetanus Cennius differt. in Concilium Later. sub Stephano III. cap. 3. n. 13.) Johannis transitum, inquam, ab Ecclesia Tuscanensi ad Porruensem approbavit, ipsique, atque successoribus confirmavit. A voto peregrinationis Romanæ, quo se obligaverat, S. Eduardum Angliæ Regem idem Pontifex absolvit, ut adparet ex actis Conventus Westmonasteriensis anno 1066. celebrati apud Harduinum præcit. tom. pag. 1150. Præterea a S. Leone IX. indultum, ut a simoniacis ordinati sacro ministerio perfungerentur, quod cæteroqui sacris Canonibus prohibitum erat, auctor est S. Petrus Damiani in opusc. 6. cap. 35. tom. 3, sive in epist. 16. ad Henricum Ravenn. cap. 30, ejusmodi veniam ab ejus decessore Clemente II. pariter factam commemorans: alterum præterea dispensationis genus referens, quod perinde refertur Cap. *Si quis* 1. q. 1, quo S. Leo cujuslibet ordinis Clericis ab hæreticorum castris ad Ecclesiam ultro reversis indulsit, ut in his quidem gradibus, quos fuissent adepti, remanerent, ac reciperentur, ad eminentiores vero non adspirarent, nec ullatenus admitterentur.

In hæc eadem incedebat vestigia Nicolaus II, quippe qui in Synodo Romana anno 1059. habita, relatusque a Gratiano Cap. *Statuimus* 1. q. 1, & ab Ivone par. 5. cap. 79, a simoniacis, haud tamen simoniace, ordinatos ordinum suorum obire munia permisit, *Non tam*, inquiens, *censura justitiæ*, *quam intuitu misericordiæ: tanta quippe talium multitudo est, ut dum rigorem Canonici vigoris super eos servare non possumus, necesse sit, ut dispensatione ad piæ condescensionis studium nostrum ad præsens inclinemus*. Quam perinde ob caussam ingentia, quæ ingruebant, propulsandi incommoda, cum Aldredo Eboracensi Archiepiscopo, etsi simoniæ convicto, ut dignitatem retineret, dispensavit, uti refert Willelmus Malmesb. lib. 3. de gest. Anglor. Quid imo, quod S. Lantfrancus Cantuariensis Antistes Romam profectus a Nicolao II. veniam Canonum fieri cum Willelmo Duce, qui contra

tra regulas canonicas conjugium contraxerat, impetrasse legitur in ejus vita cap. 3? Quid autem, quod ex Nicolai jussione, ac instructione SS. Petrus Damiani, & Anselmus Lucensis Mediolanum profecti ad Clericos incontinentes, & simoniacos intra orbitam cohibendos, Canonum severitatem ex indulgentia Pontificis ob ingentem multitudinem illorum, qui simoniace fuerant ordinati, temperandam fore duxerunt? Acta tamen suæ legationis opusc. 5. comprehensa Pontificis judicio summisse demisit S. Petrus Damiani verbis illis obsequii erga Pontificem, æquæque de ipsius potestate opinionis refertissimis: *Nos enim, si quid erravimus, ad Petri Magisterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur*. Postremo, ut cætera prætercam, idem Pontifex amplissimum S. Eduardo Angliæ Regi privilegium contulit, scilicet Apostolicæ Sedis Vicarium constituens: *Vobis*, inquit, *& posteris vestris Regibus committimus advocationem, & tuitionem ... omnium Angliæ Ecclesiarum; ut vice nostra cum consilio Episcoporum, & Abbatum constituatis ubique, quæ justa sunt*. Ita in epistola ad S. Eduardum, quam refert Ælredus in vita ejusdem Regis. Difficillimo, quo exigebat tempore Alexander II, afflictis Ecclesiæ rebus expedire quammaxime existimavit de rigore Canonum cum exundanti illorum; qui simoniaca labe aspersi erant, multitudine aliquid remittere. In his itaque nominatim Moguntinum, Coloniensem, & Bambergensem Antistites simoniæ fama laborantes Romam accersitos, gravissimis objurgatos, jurisque jurandi religione de vitando imposterum hocce vitio obstrictos benigne suis restituit Sedibus.

Eadem Ecclesiarum necessitate instante, juris severitati non insistendum, persuasum erat S. Gregorio VII., qui plurimos iccirco Franciæ, & Burgundiæ qua Præsules, qua Presbyteros, quos simoniæ, & incontinentiæ vitiis inquinatos Hugo Diensis Episcopus, Sedisque Apostolicæ Legatus qua exauctoraverat, qua excommunicarat, rigore Canonum relaxato, suis gradibus stare permisit. Qua de re lib. 5. epist. 17. *Quia*, inquit, *consuetudo S. Romanæ Ecclesiæ est quædam tolerare; quædam etiam dissimulare, discretionis temperantiam potius, quam rigorem Canonum sequentes, caussas Episcoporum Franciæ, atque*

Burgundiæ, *qui suspensi*, *seu damnati a Legato nostro Hugone Diensi Episcopo fuerant*, *non sine gravi labore discussimus*. Post accuratum demum examen a beneficio absolutionis haud arcendos inter alios Manassem Remen., Hugonem Bisunt., Richerium Senon., Gotefredum Carnot., Richardum Bituric., & Rodulphum Turon. autumavit. In epist. vero 5. lib. 9. hanc ita benigne agendi rationem attexit: *Super his*, ad Hugonem scribens, *consulimus*, *ut nunc pro tempore canonicum rigorem vestra sapientia temperet*; *atque hac turbationis tempestate quædam parcendo*, *nonnulla dissimulando*, *ita studeat moderari*, *ut non ex severitate justitiæ deteriorandi occasionem sumant*; *sed suspenso nunc judicio*, *spatium recognoscendi æquitatem habentes*, *postmodum facilius acquiescant*. Quorum similia habet lib. 1. epist. 16, 34, 44, & 74; lib. 3. epist. 11; lib. 4. epist. 22; lib. 5. epist. 6, & 13; lib. 6. epist. 39; & lib. 9. epist. 3. Sancio Aragonio Episcopo se abdicandi licentiam, etsi rogante obnixe Rege, denegavit lib. 2. epist. 50. Nehemiæ e contra Strigoniensi Archiepiscopo indulsit, ut Clericum minus dignum, dignioribus non suppetentibus, Presbyteratus honore adaugere posset lib. 4. epist. 25. Urbano II. cum eodem jure summo idem œconomiæ studium insedebat: siquidem in Romana Synodo anno 1099. habita Can. 10. cum iis, qui a Schismaticis, Imperatorias partes nempe consectatis, Episcopis fuerant ordinati, modo ad frugem regrederentur, ut graduum suorum honore fruerentur, defungerenturque susceptorum ordinum munere; indulsit: *Misericordiæ intuitu*, *magnaque necessitate cogente*, ut ait Can. 11. Constantiensi etiam Episcopo concessit, ut eadem tum necessitate Ecclesiæ exigente, eorumdemque proba conversatione promerente, cum Clericis sibi obnoxiis, sacris Canonibus nihil obsistentibus, hac uti humanitate liceret.

Quæ Paschalem II. de proprio in hoc genere dispensationum jure pervaserat, opinionem fas est intueri tum in epist. 16. edit. Harduini, ad S. Anselmum Cantuar., cui cum iis, qui a Willelmo Angliæ Rege investituras accepissent, dispensandi vices demandat suas: tum in epist. 42. ad eumdem, cui exoranti, & consulenti, ut eo maxime in Regno, in quo divina, huma-

humanaque susque deque perturbata erant, & perversa, de rigore Canonum remittere sibi liceret, respondens: *Tuæ deliberationi*, inquit, *committimus, ut juxta datum tibi divinitus intellectum, quum Ecclesiæ, cui præpositus es, tanta necessitas expetit, SS. Canonum, decretorumque difficultatem valeas temperare*: tum in epist. 95, 97, & 98, quibus eidem S. Anselmo, sive ne Presbyterorum filiis, siquidem e re tum maxime Ecclesiæ id esset, spem omnem prorsus ad ordines promotionis adimeret; sive ut Willelmum Rotomagensem Episcopali defungi ordine suo permitteret, facultatem integram fecit, ut eadem scilicet, uteretur *pro necessitate temporis, & utilitate Ecclesiæ*. Ab Honorio II. infimis precibus, iteratisque ab Innocentio II, ut auctor est Guido Carthus. in ejus vita apud Surium tom. 2. ad diem 1. Aprilis, S.Hugo Gratianopolitanus, ut dignitati se abdicere demum liceret, unique Deo vacare, obsecravit, sed non obtinuit. Neque melius ad S. Bernardi votum successere, quas pro indulgentia Petro Pisano impetranda, ablatæque dignitati redintegrando, apud eumdem Innocentium II. effuderat, obnixæ preces. Suo tamen uterque vir Sanctus auspicio fecit, ut eo firmius, quo posuimus, summo loco stet Pontificis circa Canones potestas: cujus ecce tibi in epistola 213. S. Bernardi hac de re ad Innocentium II. specimen egregium. *Quis mihi*, inquit ibidem, *faciet justitiam de Vobis? Si haberem judicem, ad quem Vos trahere possem, jam nunc ostenderem Vobis, (ut parturiens loquor,) quid meremini. Extat quidem Tribunal Christi; sed absit, ut ad illud appellem Vos .... Itaque recurro ad eum, cui in præsenti datum est judicare de Universis, hoc est ad Vos. Vos appello ad Vos &c.* Confer & ejusdem epist. 219, nec non Ven. Petri Cluniac. epist. 2. lib. 5. ad eumdem Pontificem, quibus Ludovicum VII. Galliarum Regem excusant, multoque ex capite venia dignum ostendunt.

Aliquando tamen a rigore Canonum aliquantum decedendum esse, dum Ecclesiæ bono expediat, Innocentius II. docuit, idemque decessit in epist. 16. ad Hugonem Rotomag. Archiep.; quam ex tom.2.Spicileg.Dacher.regerit Harduinus tom.6. par.2. pag. 1162, dum nempe Abbates Normanniæ ab ejusdem Archi-

episcopi jurisdictione, cui alioqui subjugaverat in Synodo Remensi, eximendos duxit: dumque cum Ramiro, sive Ranimiro Monacho, & Sacerdote, (qui veri minus simillime quibusdam visus est Episcopus etiam) dispensavit, (quam dispensationem quidem Anacleto pseudo-Papæ acceptam nonnulli perperam attribuunt: cujusque dispensationis illustre exemplum, ut de plerisque aliis, quæ in proleg. attigi, nunc taceam, præluxerat in Casimiro Monacho, & Diacono, cui a Benedicto IX, sive ut minus vere alii volunt, a Clemente II, ducendæ uxoris, procurandæque Reipublicæ Polonicæ facultatem factam auctores sunt inter alios Johannes Duglossus, sive Longinus lib. 3. hist. Polon. ad annum 1040, & Martinus Chromerus de orig. & reb.gest. Polon. lib.4.) cum Ranimiro, inquam, Innocentius dispensavit, ut ad Regnum Aragoniæ eveheretur, ac matrimonium iniret, sicuti referunt Ordericus Vitalis hist. Eccles. lib. 13; Guillelmus Neubringensis rer. Anglic. lib.2. cap.10; & Robertus de Monte in Chron.ad ann.1159. Scriptores coævi: ad quos accedunt Rodericus Toletanus lib.*6*. cap.1; Gaufredus Vosiensis in Chron. cap.48; Zurita lib.1.Annal. cap.53, aliique; quibus adquievere Pagius in Critic. ad ann.1134.n.31, & seqq., Dumesnil doctr.& discipl.Eccles.lib.*39*. n.25, ac Thomassinus vet., & nov.discipl. par.3. lib.3. cap.24. n. 12: ut proinde perperam Johannes Baptista Gonetus tom. 5. Clypei Theolog. Thom. disput. *9*. art. 2. §. 4; ac Natalis Alexander hist. Eccl. ad Sæcul. XI, & XII. cap. 11. art. 4. hancce dispensationem fabellis, aut dubiis admodum existimaverint deputandam. Sandovallius in Alphonso VII.id factum ex licentia Pontificis *inficiatus* ideo est, quod dispensationes hujusmodi tum usu nondum venissent: sed illum loco indicato refellit Pagius. Eugenius III, quantum in epist.8. ad Episcopos Germaniæ, a quibus cum absque ullo necessitatis, aut utilitatis indicio, tum absque Sedis Apostolicæ conscientia, & consensu Episcopus Cicensis ad Magdeburgensem transvectus fuerat, acerrimum Canonum vindicem, & assertorem se exhibuit, tantum juris sui de rigore Canonum remittendi, ubi e re esset, conscius sibi met erat, nec non a S. Bernardo certissimus fuerat frequenter factus: hujus illustre specimen suppeditatur in epist. *63*. Eugenii

ad

ad Clerum, & Popul. Tornac., & in epist. 246. S. Bernardi ad Eugenium.

Ex innumeris, quas passim impartitus perhibetur Alexander III, indulgentiis, pauca, ac perstrictim illustriora percurrere juvat. In his ad Ludovici VII. Galliarum Regis obnixas preces Jejuniorum aliquot ab Ecclesia præceptorum relaxationem indulsit. Ecclesiasticas caussas a Judicum Ordinariorum tribunalibus sæpius ad se retraxisse, aut discutiendas aliis demandasse legitur epist. 42, 43, 46, & 63. edit. Hard.; in append. 1. epist. 2, & seqq.; 9, 14, & seqq.; 32, 37, 41, 47, 51, & in append. 2. epist. 22, 108, & in append. 3. epist. 7, & seq. In epist. 22. append. 1. ad Upsallensem Archiep., ejusdemque Suffraganeos dispensandi cum iis, qui matrimonio in 5, vel 4. gradu pridem fuissent conjuncti, facultatem largitur, ea tamen lege adjecta, ne deinceps hujusmodi conjugia jungerentur. Sed & persemet cum Germaniæ schismaticis, qui scilicet Octaviani, Guidonis, & Johannis partes fuerant consectati, ad frugem se recipientibus benigne dispensavit, ut habet Helmoldus in Chron. lib. 2. cap. 28. In epist. 23. ad Lingacopensem Episcopum ipsius electionem in locum alterius, qui sponte se abdicans ad Monachi vitam secesserat, equidem approbat, subjungens attamen sua absque auctoritate nec dignitate illum se abdicere, nec in vacantem locum insilire isti licuisse. Henrico II. Angliæ Rege orante, & exorante Gilbertum ab Herfordiensi ad Londoniensem Ecclesiam transmigrare permisit, ut ipsemet perhibet in epist. 13. ad eumdem Episcopum. In gradum pariter Adalberti Saltzburgensis Episcopi, qui eodem se abdicaverat, ingredi Chunradum indulsit; ut habet in epist. ad Clerum Saltzburg. apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1669. A Bernardo Justiniano in vita S. Laurentii Justin. cap. 1. apud Surium, & Bollandum die 8. Jan. proditus est idem Pontifex indulsisse Nicolao Justiniano, ut abdicato monastico instituto, cui se devinxerat, uxorem duceret. Narrationem istam est inficiatus Gonetus tom. 5. Clyp. Theolog. Thom. disput. 9. de impedim. dirim. art. 2. §. 4. a Bernardo Justiniano pugnantia fuisse conscripta: pugnam hanc tamen, sive αντιλεγόμενον ab illo removet doctiss. Sandinus in vit. Alexandri III. not. 12. Con-

Consultus hic Pontifex ab Episcopo Ambianensi de muliere, quæ viro impotenti, aut lepra infecto copulata, nec ab ipso cognita alteri nubere volebat, respondisse fertur: Juxta Romanæ Ecclesiæ consuetudinem non esse separandos: *Si tamen consuetudo Ecclesiæ Gallicanæ habet, ut hujusmodi Matrimonium dissolvatur, Nos*, inquit, *patienter tolerabimus, si eidem ..... nubendi in Domino concesserit facultatem*. Extat hoc responsum in antiq. collect. Decret. tit. 16. *de Frigidis, & Maleficiatis Cap. Quod Sedem Apostolicam* ab Antonio Augustino edita; & apud Harduinum tom. 6. Concil. par. 2. pag. 1862. cap. 28. Sane Matrimonium illud cum viro impotente contractum invalidum erat habendum, ideo quod impedimento præcessisset Matrimonium. Sed tunc temporis ulla nondum Ecclesiastica lex vigebat qua invalidum esset declaratum; sed dumtaxat consuetudo alia in Romana Ecclesia, & in Gallicana alia, quas eo loci Alexander commemorat. Clemens III. Richardo I. Angliæ Regi deprecanti indulsit, ut ipsius filia Arthuro Britanniæ Duci Regis ejusdem Nepoti nuberet: notatu vero sunt digna verba, quibus Rex epistolam suam ad Clementem exorditur, relatam a Rogerio Hovedeno in annal. Anglic. *Justiorem exitum facta Principum sortiuntur, quum ab Sede Apostolica robur, & favorem accipiunt, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ colloquio diriguntur*. Quæ quidem a Christifidelium quoquo, cui bene, optimeque volo, arcte, contenteque animo insculpta teneri vellem.

In Innocentio III, in cujus electionem, idest annum 1198. Emin. Baronii Annales desinunt, idcirco ego dicendi modum faciam, quod ut approbe in procem. ad quinque veteres Collectiones admonuit Antonius Augustinus, prima sub ipso publica auctoritate Pontificii juris facta Collectio fuerit, parique deinceps, quæ ex posterioris ætatis Pontificibus decretales accesserunt, ut docet etiam BENEDICTUS XIV. in præfat. sui Bullarii, auctoritate Pontificium jus adauctum dispensationum hujus genus refertissimum sit, ac cuilibet, qui plurima adhuc exempla desideret, facile patens. Juvat tamen ex his illustriora nonnulla ex suis indicare saltem titulis. Itaque Episcoporum abdicationes deinceps absque Pontificis auctoritate fieri pro-

prohibuit Cap. *Inter de Transl. Episcop.* Qui & Cap. *Quidam ibidem* ad cedendum illos, qui facultatem obtinuissent, compelli decrevit. Legendæ quoque ejusdem epistolæ 16. ad Episcopum Taurinensem, 32. ad Auxitanum; 34. ad Uticensem, & 142. ad Cremonensem, & Vercellensem. Resignationes in favorem, & Coadiutorum assumptiones Pontifice inscio, aut invito peragi interdixit Cap. *Ex parte de Clerico ægrotante*: quod confirmavit Bonifacius VIII. Cap. *Pastoralis* in 6. Translationes Episcoporum solius Apostolicæ Sedis auctoritate permitti posse, ac debere decrevit Cap. *Quum ex illo de Transl. Episcop.* ut propterea in Patriarcham Antiochenum, qui Archiepiscopum Tripolitanum ad aliam Ecclesiam transvexerat; & in Archiepiscopum Turonensem, qui Episcopum Abrincensem ad Sedem Andegavensem transtulerat, severe animadverterit. *Quum*, inquiens, *ex illo generali privilegio, quod B. Petro, & per eum Ecclesiæ Romanæ Dominus indulsit, Canonica postmodum manaverint instituta, continentia majores Ecclesiæ caussas ad Sedem Apostolicam perferendas &c.* Ottoni Imperatori ad matrimonium ineundum Canonum veniam roganti indulsit. Adisis Raynaldum ad annum 1204. n. 52; & 1208. n. 14. Ut Canonum etiam veniam facerent Concubinariis, quos a sacrorum consortio submoverat Legatus suus, Gallicanis Episcopis adnuit lib. 15. epist. 111, & lib. 16. epist. 54. In impedimento consanguinitatis cum Nivernensi Comite dispensavit; & Patriarchæ Hierosolym. dispensandi cum Monachis benigne indulsit lib. 16. epist. 901. Pertinent huc, quæ habet lib. 1. epist. 16. ad Capitulum S. Anastasiæ; & lib. 16. epist. 154, ubi Romanum Pontificem affirmat Canonum Moderatorem, & Dispensatorem: dispensationum autem concedendarum duas statuit regulas: *Urgentem necessitatem, aut evidentem utilitatem*. Dispensandi hanc denique Pontificii juris rationem, qua id inficiantium temeritas retunditur, eorumque refellitur error, qui pares in hac juris specie Pontifici Synodos, ac Præsules alios faciunt, reddit Innocentius in epist. ad Præpositum, & Capitulum Cameracensem, quæ refertur Cap. *Proposuit* 4. *de Concess. Præbend. De jure*, inquiens, *secundum plenitudinem potestatis possumus supra jus dispensa-*

pensare ... Non enim, subtexit *extra de Transl. Episcop.* Cap.3., *Non enim homo, sed Deus separat, quos Romanus Pontifex, qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, Ecclesiarum necessitate, vel utilitate pensata, non humana, sed divina potius auctoritate dissolvit*. Similia habet cit. tit. Cap.2., & Extra *de Renunciat.* Cap. 11.

Adjungere Innocentio adhuc juvat, præstatque non parum Honorium III, a quo Ferrandus, quem Canonicæ leges ob natalium vitium (nam ex incestis, ideoque ab Ecclesia dissolutis nuptiis fuerat procreatus) omni honori imparem faciebant, Regni Castellæ legitimus hæres est denuntiatus. Adisis Raynaldum ad annum 1218. n. *67*, & seq. Præterea ne impedimento essent, sive natalium defectus, sive quartus consanguinitatis gradus, in illo, ut Ecclesiasticis beneficiis perfrui Episcopo Pragensi epist.44, in isto, ut Luneburgensi Duci conjugium inire liceret, Christiano Prussiæ Antistiti epist. *469*. facta est facultas. Gregorium IX, a quo Henrico Angliæ Regi ad sanctiora consilia Antistites, quorum videretur opera utilior, adhibendi, hoc est ab Ecclesiarum residentia evocandi, licentia indulta est epist. *106*. lib. 5: qua perinde Andreas Hungarici Regni hæres a jure jurando de haud repetendis juribus regiis liberatus fuit lib. *6*. epist. 270; liberatusque ab impedimento, quo distinebatur a conjugio ineundo cum Margareta Provinciæ Comitis filia sibi quarto consanguinitatis gradu conjuncta S. Ludovicus Galliarum Rex lib. 7. epist. 441. Notabilia sunt vero, quibus in ejusmodi indulgentia elargienda usus est, verba: *Romanus Pontifex, qui claves in P. Petro discretionis, & potestatis accepit, nunc mansuetudine utitur, nunc rigore... sed prudenter attendit non solum personas, sed caussas, cum quibus videlicet, & ex quibus dispensare disponit, ne forte sic dispenset, ut dissipet, imo ne dissipet, sic dispenset &c.* Justorum natalium dignitate donavit idem Gregorius cum Alphonsum, ut ad paternum Aragoniæ Regnum adscenderet lib.*9*. epist.28; tum Zuverinensem Episcopum, ut ab hoc gradu honoris haud arceretur, ut ex Alberto Stadensi regerit ad annum 1240. n.32. Raynaldus: ibidem rite adnotans discrimen, ob quod idem Pontifex eadem Episcopali dignitate adaugeri Philippi Francorum Regis Nothum pro-

prohibuit lib. 14. epist. 115. Quamquam postea de hac Gregorii severitate in gratiam S. Ludovici remiserit Innocentius IV. lib. 1. epist. 254, & 262. Quid autem, quod in ejusdem S. Ludovici gratiam de Ecclesia Romana optime meriti tum eumdem, tum Theobaldum ejus generum Navarræ Regem lib. 2. epist. 208, & 47. apud Raynaldum ad annum 1256. n. 17. insigni hac prærogativa affecit, ut Præsul nullus, nisi ex Pontificis M. auctoritate, eorum in ditiones Ecclesiasticas distringere censuras valeret? Quid amplius, quod ad Waldemari Succiæ Regis vota legibus de consanguinitatis gradibus dissolutis, ut Sophiam tertio sibi gradu proximam duceret in uxorem, licentiam elargitus est lib. 5. epist. 74, quam ad annum 1259. n. 19. Raynaldus describit? Qua pariter in quarto consanguinitatis gradu cum Birgero Succiæ Regni hærede, referente ad annum 1284. n. 24. eodem Raynaldo, Martinus IV. lib. 4. epist. 51. usus est venia.

Nec omittendum, quin obiter saltem, strictimque observetur, quod Bonifacius VIII. cum Jacobo Aragonio in lege de gradibus consanguinitatis ad conjugium cum Blanca ineundum, & cum S. Ludovico Ord. Min. in lege de ætate ordinandorum ad Episcopatum Tolosanum adeundum dispensavit, lib. 1. epist. 180; & lib. 2. epist. 630; quas ad annos 1295. n. 24, & 1296. n. 16. refert Raynaldus. Impedimentum quoque consanguinitatis Eduardum Angliæ Regem inter, & Isabellam sustulit lib. 4. epist. 234; quam vero licentiam sibi arrogaverat Stephanus Armenorum Catholicus sustollendi impedimentum, quo Armeniæ Rex Sembat afficiebatur, valoris irritam dixit, inque unius Pontificis jus fuisse transcriptam: *Hæc Romana*, inquiens lib. 4. epist. 268. ad eumdem Regem, cui deinde de hocce juris rigore benigne relaxavit, *Hæc Romana Sedes Mater est fidei, sola auctoritatem ab ipsis exceptam præstat Conciliis, jura statuit, & omnibus legem ponit. Inde* (ex potestate hoc est S. Petro collata) *dispensationum supra jus absolutam obtinuit potestatem*. Adjungit Gregorio Armeniæ Catholico hanc juris particulam unius utique Pontificis Romani propriam factam perspectum fuisse, persuasumque; idque imo ex intemerata SS. Patrum traditione profectum; post quæ pergit: *Quum Canones ad sui observantiam omnes astringant, solus Sum-*

mus Pontifex, qui eos condere potest, quive legibus est solutus, cujusque auctoritas in ipsis sæpius intelligitur excepta, vel etiam aliis, cui per eosdem Canones nominatim concessa sit dispensandi facultas super illos, ut per dispensationis lenitatem rigorem eorum ex caussa temperet, potestatem habebit, irrefragabili veritate suffulti dicimus, quod dictus Stephanus in hoc dispensare non potuit &c. Hanc circa leges consanguinitatis indulgentiam idem extendit ad Ericum Daniæ Regem lib. 5. epist. 159. Alterius vero generis beneficio Sanctii Castellæ Regis filios ex Maria, cui contra leges Ecclesiasticas ceu uxori matrimonio se junxerat, susceptos affecit: nempe justorum natalium honore cohonestavit, idoneosque fecit, ut Regni forent hæredes lib. 7. epist. 80. Johannes XXII. itidem qua Archiepiscopo S. Thadæi in Tartaria, qua Vicario, & Custodi Ord. Præd., & Minor. facultatem, fecit diplomate dato, descriptoque in Annal. a Raynaldo ad annum 1321. n. 5, ut violatorum Canonum veniam concederent iis, qui sacris ordinibus rite initiati non fuissent: quinimo ut vel ad ampliores gradus promovere, qui essent idonei, vel ad alias Ecclesias transferre, prout oporteret, per se iisdem fas esset. Clemens VI. istiusmodi juris circa Canones varium fecit usum: eorumdem quippe modo acerrimum vindicem se præstitit, atque tum Ludovicum Bavarum eò audaciæ summæ progressum, ut de matrimoniorum caussis cognosceret, impedimentaque convelleret, anathemate perculit, & gravissimis pœnis affecit, ut refert Raynaldus ad annum 1341. n. 15; tum Eduardum Angliæ Regem id nefarii consilii agitantem de contrahenda Pontificia facultate, ne Angliæ Sacerdotia absque Regio consensu conferret, ab iniquo excogitato gravissimis litteris deterruit, deque summa Pontificis in totam, qua late patet, Ecclesiam potestate docuit; uti videre est apud eumdem Annalistam ad annum 1344. n. 55, & seqq. Modo dispensatorem fidelem se præbuit, atque tam cum eodem Eduardo Rege ad frugem regresso de rigore Canonum multum dimisit; tum sacram sub utraque specie communionem, ob singularia eorumdem merita, elargitus est Philippo Galliarum Regi, Bonæ Reginæ conjugi, Johanni primogenito Normanniæ Duci, ejusdemque uxori, ac Odoni Duci Burgundiæ: qua de concessione adeun-

adeundus Raynaldus ad annos 1344. n. 62; & 1345. n. 32. Sed aliorum, quæ ad horum summam, cumulumque facerent, specimen habes in prolegomeno, ideoque aliò properandum.

Ne tamen suspicio tibi sinistra forte subrepat, propriis amplificandis, exaggerandisque plus æquo juribus Pontifices incumbentes, hæc non tam ex veritatis amore, quam ex præconcepta immensæ potestatis opinione aut egisse, aut enuntiasse, ut animadvertas heic admoneo, quod, præterquam quod vix, ac ne vix quidem unquam Pontifices MM. ad hasce Canonum relaxationes condescenderunt, nisi infimis precibus inflexi a Synodis, ab Episcopis, a Principibus, a Magnatibus &c., quibus omnibus propterea eamdem de potestate ista Pontificis intimam persuasionem adhæsisse approbe oportet, in eamdem signatim, expresseque sententiam de jure Pontifici insito supra Canones incedebant ultro citroque S. Augustinus, qui in epist. 162. S. Melchiadis prudentem œconomiam laudibus exornavit, ideo quod Donatistis, modo ad unitatem redintegrari non detrectarent, Canonum veniam fecit, & copiam retinendæ dignitatis Ecclesiasticæ nefarie a Majorino collatæ. Africani Antistites, quorum ad obnixas preces tum SS. Zephyrinum, & Cornelium cum Lapsis de Canonum severitate remisisse constantissimum est, adeoque ut propterea Tertulliani, & Novatiani invidiam haud levem incurrerint: tum SS. Anastasium, & Bonifacium sive Donatistis ad Ecclesiam redeuntibus impedimentum, quo a S. Siricio gradus ad dignitates fuerat interceptus, procul amovisse; sive Scripturarum Canonem, quem in Synodo adornaverant, calculo comprobasse suo, sicuti conjicere licet ex Cod. Canon. Eccles. Afric. Can. 24, 47, 56, 65, 68, 93, & 94; quibus jungendi Canon. 106, 133, & 134, qui est Synodica ad S. Bonifacium P. M. Theophilus Alexandrinus, qui teste Socrate lib. 5. cap. 25. apud S. Damasum supplex intercessor, ac sequester accessit, ut Flaviano Antiocheno veniam faceret, quatenus honoris locum in Ecclesia, quem antea inordinate tenebat, rite, legitimeque retinere tandem eidem liceret. Hispaniarum Episcopi, quos pro dispensationibus frequenter ad Pontifices confugisse liquido adparet ex epist. 1. S. Siricii ad Himerium, & S. Innocentii I. epist. 3. edit.

Cout. ad Synodum Toletanam, qua tum ab hæresi Priscilliana redeuntibus honores in Ecclesia asservari, tum ordinationes nonnullas contra SS. Canones celebratas tolerari, pacis gratia, permisit. S. Ambrosius, qui in epist. 56. ad Theophilum Alexandrinum se auctorem præbuit, ut de Flaviani, & Evagrii caussa a Synodo Capuana ad Synodum Alexandrinam dimissa, id decernere curaret diligenter, quæ Pontifici M. placitura evaderent. Galliarum Antistites, quos gravibus emergentibus dubiis circa Canones id consilii approbe capessere religioni duxisse, ut ad Romanum Pontificem pro Canonum rigore aut retinendo, aut remittendo appellerent, fit exploratum tum ex epist. 10. in edit. Cout. Synodi Romanæ sub S. Innocentio I, ut Sirmondo visum est, aut sub S. Siricio, uti Coutantius verisimilius est arbitratus, qua a Gallicanis Episcopis consulta Apostolica Sedes pro totidem responsis Canones 6. Romanæ Ecclesiæ usu consecratos dedit, ad quorum amussim procusos, approbeque exactos a Concilio Arelatensi II. anno 452. habito, liquido constabit hujus Concilii Canones 6, 7, 8, & 52. conferenti cum hisce Canonibus: tum ex epist. 4. S. Zosimi, qua Ursum, & Tuentium Episcopos illicite ordinatos Apostolicæ Sedis gratia indignos declarat, ejectosque ab Ecclesia sacrorum consortio suspensos manere denuntiat: tum ex relatione ad S. Bonifacium I. Cleri Valentini adversus Maximum Episcopum; nec non Cleri, populique Lutubensis adversus Præsulem, quem sibi invito, renitentique Patroclus Arelatensis obtruserat: utrique vero a Pontifice factum satis fuisse, eorumque ad preces Canonum integritati prospectum adparet ex epist. 3. ad Galliar. Episcopos, & 12. ad Hilarium Narbonensem. Sed hæc Ecclesiæ Gallicanæ, Hispanæque sententia elucescit adhuc magis ex dictis superius de SS. Zosimo, Hilaro, Symmacho, Agapeto, & Zacharia; Hadriano I, Hadriano II, Johanne VIII, Johanne IX; S. Gregorio VII, Innocentio II. &c., quæ retexere modo non refert.

Quæ vero Ecclesiæ Orientali jugiter olim hæserit pariter de jure Pontificis supra Canones Synodorum persuasio, expressior nescio desiderari an possit ea, qua tum se, Ecclesiasque suas ad Pontificis Romani vota corrigendas Legatis S. Liberii submiserunt, uti

uti ſcribit Sozomenus lib. 6. cap. 11: tum decretis a S. Damaſo ad ſe tranſmiſſis obſtringi ſe ſe oſtenderunt, ac ſyngrapham adjungere ſuam officio, religionique habuerunt, uti legitur apud Auctorem libelli Synodici: tum SS. Siricio, & Innocentio ſupplicarunt ad gratiam, qua ob Flaviani obtruſionem in Antiochenam, tum ob S. Johannis Chryſoſtomi e ſua Conſtantinopolitana Eccleſia detruſionem exciderant, Romanæ Eccleſiæ redintegrari, ſicuti auctores ſunt S. Innocentius I. in epiſt. 19. ad Alexandrum Antiochenum edit. Cout., & S. Bonifacius I. in epiſt. 15. ad Rufum Theſſalonicenſem. Nec minus liquida, minuſque locuples ex iis adparet, pro quibus S. Cæleſtino P. M. ſupplicarunt ſive S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, ſive Patres Synodi Epheſinæ. Ille quippe, quam cum Neſtorio agendi rationem tenere deberet, ex Pontificis dicto intelligere deſideravit, a quo hanc ſibi præſcriptam accepit regulam, nempe ut Neſtorio, ad frugem reducendi gratia, indulgentiam offerret, ſuoque nomine polliceretur veniam: iſti vero referre ad Pontificem religioni duxerunt in locum Neſtorii ordinatum Maximianum; Johannem etiam Antiochenum, Orientaleſque alios ad Neſtorii partes delapſos ſacrorum conſortio ab ſe ſegregatos, num tamen gradu præterea detrudendi eſſent, Pontificis arbitrio id ab ſe permitti: quos perinde S. Cæleſtinus pro reſponſo commonefecit ad Maximiani ordinationem ſe calculo accedere ſuo, ſua tamen ſententia ſequacibus Neſtorii ſpem omnem veniæ non eſſe adimendam;non ſecus atque cum Johanne Antiocheno, donec correctionis ſpes affulgeret, ſeveritatem diſtrictionis ſuſpendendam. Cujus diſpenſationis ſpeciem eidem pariter Johanni Antiocheno Patriarchæ S. Sixtus III. pollicitus eſt, dummodo partes, ac defenſionem perſonæ Neſtorii abjiceret: qua de re adeundus Cottelerius monum. Eccleſiæ Græcæ p. 43, & 47. Plurimam adhuc lucem accipiet Orientalium proba iſta opinio ab ea agendi ratione,quam benigne cum ipſis haud ſemel adhibuit S.Leo M.,quippe qui in epiſt.21. ad Flavianum Eutycheti, etſi a Flaviano hæreſis nomine in Synodo dejecto, veniam, & gratiam ſpopondit ad ordinem, & Monaſterii adminiſtrationem redeundi, ſub ea lege, ut ad frugem ipſe rediens erroribus omnino ſe abdiceret. Haud abſimili benignitatis gene-

genere egit prӕterea idem Pontifex cum Maximo Antiocheno, & Anatolio Conſtantinopolitano, infractorum in ipſorum ordinatione Canonum faciens veniam, cujus obtentu jam gradum legitime retinere liceret; qua de re legendӕ epiſt. 54, 55, & 58. Perſuaſio hӕc ipſa de poteſtate Romani Pontificis intime inceſſerat Mennam Conſtantinopolit., Petrum Hieroſolym., & Ephremium Antioch., qui in Synodo V, Conſtantinopolitana II. edicto Juſtinianeo adverſus tria Capitula diu obluctati, demum ſubſcribentes eam conditionem adjectam omnino voluere de chyrographo ſuo recipiendo: *Si hæc Romanus Pontifex non probaret*: quia ſcilicet Canones Synodi, etiamſi generalis, a Romano Pontifice infirmari poſſe, ac infringi perſpectum ipſis, perſuaſumque approbe erat. Perſuaſum id perinde tum S. Ignatio Conſtantinopolitano Antiſtiti, tum Baſilio Imperatori, tum Synodi VIII. Patribus, qui litteris officii refertiſſimis ad Hadrianum II. inſcriptis obſecrarunt etiam, atque etiam, ut ob Eccleſiarum neceſſitatem cum ordinatis a Photio gratiam faceret, deque ſeveritate Canonum relaxaret cum iis, qui nonniſi minarum vi, ac metu in Photianas partes fuerant pertracti, uti paullo ſuperius jam inſinuatum eſt; nec ipſe Natalis diſſert. in Synodum VIII. adnotare, & admirari deſivit.

Referendo nunc gradum ad Latinos noſtros, devexioremque uſque ad ӕtatem deſcendendo, in hanc utique de Pontificis jure ſupra Synodorum Canones pedibus, manibuſque ſententiam abibant quotquot, quibus occaſio affulgeret juris iſtius utendi, aut de eo ſcribendi. In his a Gallicanis Epiſcopis apud Ivonem Carnot. epiſt. 144, & 190. Paſchalis II., quatenus cum Philippo Francorum Rege, qui Betradam cognatam dimittere nolebat, in matrimonii impedimento diſpenſaret, oratus, & exoratus eſt. Concilii Londinenſis anno 1138. habiti Antiſtites can. 7. apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1203. ordinatos ab Epiſcopo alieno reſtitui ordinibus prohibuere quidem, Romano Pontifici tamen hanc juris particulam integram religioſe, ut par erat, permiſerunt. Fulbertus Carnotenſis epiſt. 38; Ivo ejus ſucceſſor epiſt. 214, 260, & 262; S. Lantfrancus Cantuarienſis apud Eadmerum lib. 1. hiſt.; & quem ſucceſſorem excepit, S. Anſelmus lib. 3. epiſt. 45.

epist. 45. haud alteram ab hac animo imbi itam habebant opinionem. S. Bernardus in epist. 13. ad Honorium II; lib. de præcept., & dispens. cap. 4; ac lib. 3. de consid. ad Eugenium III. cap. 4: *Non sum tam rudis*, inquit, *ut ignorem positos Vos dispensatores &c.* V. Petrus Cluniacensis lib. 1. epist. 28; Goffridus Vindocinensis opusc. 5; Johannes Sarisberiensis epist. 191, 223, & 230. Romano proculdubio Pontifici, quæ ad Ecclesiasticam potestatem attingunt, prorsus licere affirmant: *Jura nova condere, & vetera abrogare*. Arnulphus Lexoviensis epist. 42; Stephanus Tornacensis epist. 99. ad Lucium III. Pontificem M. potestate dispensandi summa præditum ajunt, adeoque ut Ecclesiasticis legibus superior omnino sit, ac potis *vel eis derogare in partem, vel eas penitus abrogare*. Potho Prumiensis lib. 3. de statu domus Dei quanto inferiorum Episcoporum jura intra orbitam cohibet, tanto Pontificis amplius protendit, omniaque extra potestatis Ecclesiasticæ confinia effert: *Præsumptuosum est*, inquiens, *quibuslibet Prælatis veterum statuta immutare, nova statuere: quum solum id Apostolicæ Sedis dispensationi concessum sit, ut pro temporis necessitate, vel pro utilitate Ecclesiæ aliquid de institutis Patrum commutare possit .... Hanc ergo dispensationem, qua ... facultas temperandorum, sive mutandorum Canonum conceditur, Romano Pontifici potissimum adjacere non dubitamus; ut SS. Patres docuerunt. Nec mireris, si Romani Pontifices hanc semper peculiariter habuerint potestatem, ut Canones pro tempore dispensarent; ipsi enim sunt auctores Canonum, & illa Sedes semper hoc habuit privilegium, ut ligatum, vel solutum sit, quidquid ipsa ligaverit, vel solverit: unde juxta attestationem SS. Patrum omnibus Ecclesiis præeminet, & de omnibus judicare potest*. Ita rite ex potiori, quem Pontifex, occupat in Ecclesia loco, quemadmodum supra Ecclesiam, sic supra Canones Ecclesiasticos potestate stare ipsum inferebat. Atque ita quoque argumentando tradebat S. Thomas quodl. 4. q. 8. art. 3. *Non est dubitandum, quod Papa habeat plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita ut quæcumque instituta sunt per Ecclesiam, vel Ecclesiæ Prælatos sint dispensabilia ab ipso*. Qua pares in persuasione universim stant ceteri de schola Theologi, rerumque Ecclesiasti-

carum

carum Tractatores. Videsis Cl. Thomassinum vet., & novæ discipl. par. 2. lib. 3. cap. 24, & seqq.; Barbosam Juris Eccles. univ. lib. 1. cap. 2. n. 95, & seqq.; Sfondratum Regal. Sacerd. lib. 4. §. 1, & lib. 6. §. 1; Turrecrematam in C. *Sicut sancti* dist. 15; Fagnanum in C. *Significasti* de elect.; Braschium de Beneficiis tom. 4. cap. 12. n. 7, & seqq., & Canonistas in C. *Proposuit* 4. de Concess. Præbend., juncta Glossa V. *Concilium* in Cap. *Ubi periculum* de elect. in 6.

Accedit ratio quam valida, tam manifesta: siquidem; ut mox inquiebat Potho Prumiensis, Romano Pontifici quæcumque ligandi, aut solvendi plenissimam a Christo D. in S. Petro facultatem factam quis ambigat? Quis perinde facultatis hujusmodi particulam fore Canones, aut dispensandi, aut dissolvendi, ibit inficias? Si quis tamen suspensus hæreat adhuc animo, patiatur se nunc dimitti, præter alios, quos loco suo in aciem instruximus, ad S. Leonem M. serm. 3. de sua assumpt., epist. 84. ad Anastasium Thessal., & 89. ad Episcopos Provin. Vienn.; S. Nicolaum I. epist. 8. ad Michaelem Imp.; 32. ad Episcopos Synodi Silvanectensis, & epist. ad Hincmarum Remen. præfixa Synodo Suessionensi III. edit. Harduini tom. 5. pag. 601; Johannem VIII. epist. 93. ad Basilium, Constantin., & Alexandrum Imperat.; Innocentium III. in Concilio Later. IV. can. 5; & epist. ad Leonem Armeniæ Regem; ad Vulcanum Regem Dalmatiæ, & Diocliæ; ad Thomam Maurocenum; ad Episcopos Galliar.; ad Archiep. Compostellanum; ad Episcopum Tripolitanum &c. Clementem VI. epist. ad Eduardum III. Angliæ Regem apud Raynaldum ad annum 1344. n. 58; Eugenium IV. in Concilio Florent. sess. 25. in decreto union.; Leonem X. in Later. V. sess. 11; Julium III. in Const. *Cum ad tollenda* Concilii Trident. sess. 11; & Pium IV. in Const. *Benedictus Deus* ad Concilii Trident. calcem; S. Johannem Chrysostomum hom. 55. in Matth.; S. Hieronymum adv. Lucifer.; Ennodium Ticinen. in apolog.; V. Bedam serm. in festo SS. Apostol. Petri, & Pauli; S. Bernardum de consid. lib. 3. capp. 4, & 7; Stephanum Tornacen. epist. 22. ad Alexandrum III; S. Thomam 2. 2. q. 88. art. 12. ad 3; q. 89. art. 9. ad 3., p. 3. q. 72. art. 11. ad 1; supplem.

q. 71.

q. 71. art. 6; in 4. dist. 7. q. 3. art. 1; dist. 25. q. 1. art. 3; & opusc. 1. capp. 64, & seqq.; S. Bonaventuram in opusc. *Quare FF. Minores prædicent* pag. 403; Albertum M. in cap. 16. Matth.; S. Antoninum in summa tit. 23. cap. 3. §. 3; S. Johannem a Capistrano de Pap., & Concil. auctor. par. 3. pag. 93, & seq.; Petrum Alliacensem de Eccles. auctor. par. 3. cap. 1; Petrum Meldensem apud Raynaldum ad annum 1441. n. 10; Cajetanum tom. 1. tract. 3. cap. 14; Titelmannum in Cantic. 7; Bellarminum de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 9.; Gonzalezium in Regul. 8. Cancell. §. 1. proœm.; Sfondratum Regal. Sacerd. lib. 2. §. 16; Thomassinum vet., & nov. discipl. lib. 1. cap. 6; atque apud ipsos alios innumeros. Consule & Cap. *Decreto* 2. q. 6. ex Gregorio IV; Cap. *Qui se scit* 2. q. 7. ex S. Julio I, & Glossam ibid.; Cap. *Multum* 3. q. 6; Cap. *Licet* 2. de Præbend. in 6. ex Clemente IV; Cap. *Ut lite* ex Clemente V. Clem. 1; Cap. *Proposuit* de concess. Præbend.; Cap. *Ad honorem* de auct., & usu Pallii, & ibidem Interpretes. Confert huc, confirmatque hæc praxis 325. annorum, quot videlicet ad usque Nicænæ Synodi epocham interciderunt, tota quippe ista intercapedine potestatis a Christo D. collatæ Pontifices varium fecerunt usum, faciendique utique frequens occasio obtigit, mox in Episcopos officio impares animadvertendo; mox hæreticos, schismaticosque rem Christianam susque deque pervertentes, perturbantesque compescendo; mox Christifideles a morum regulis decidentes ad frugem restaurando; Ecclesiisque cunctis prospiciendo, ac jus dicundo nunc circa fidem, nunc circa legem, nunc circa disciplinam. Quid igitur in hac tanta agendarum rerum diversitate? Quibus id totum regulis agebant? Particularia equidem Concilia frequens habita fuerant, quorum tamen Canonibus obstrictos fuisse Pontifices si quis diceret, næ ille vehementer erratum abiret. Quid ergo fieri demum potuit, ac debuit, ut Conciliorum decretis Pontifices MM. obligarentur? Postremo si adversarii, contra quos pugnam instituimus, quum subjacere sacris Canonibus summos Pontifices dicunt, id ita dictum accipi velint, quod Pontificibus stare pro ratione voluntatem nullo pati modo volunt, sed potius Canonibus, tanquam optimis rerum agenda-

rum regulis ſtandum illis jubeant, jam plane nulla amplius, aut parva admodum lis illos inter, & nos intercedit, neque id inficias iverimus, ſiquidem non ii ſimus, qui agendi per fas, nefaſque Pontificibus, (quibus vel id vituperationem in maximam vergeret), facultatem pleniſſimam faciamus: quinimo certos illam lege naturali, ac divina coarctatam intra limites, quos tranſgredi illis haud liceat, dicimus libenter, & damus: quibuſnam autem, in reſponſione ad oppoſitiones ſuperiori §. jam, puto, factum eſt planum.

Ex jure appellandi ad Pontificem.

ARTICULUS V.

De obedientia decretis Pontificiis debita: ac liceat an ne aliquando a legibus Pontificiis refugere, & ad laicas Poteſtates confugere.

PROLEGOMENON.

DIfficultatis, aleæque plena admodum eſt diſputatio iſta; (quemadmodum ea omnis eſt, quæ intra Sacerdotii, & Imperii confinia ingrediatur, juribuſque utrinque ſe ingerat,) in qua viros vel ex Theologis orthodoxis doctos in diverſas, & adverſas trahi, ac diſtrahi partes video, adeo ut cui præ altera ſit adhærendum, hæreas identidem anceps, neque facile fiat, ſi æqui, bonique dicere, facereque velis, ut mediam velut tutiorem inſiſtas, quin in hanc potius, quam illam inflectaris. Quod autem pejus eſt, quæſtionem implexam, arduamque implicant magis, magiſque pro intemperantis perverſitate ingenii qua Proteſtantes, qua pſeudo-Politici intento nervo in id incumbentes, ut Pontificias leges aut penitus convellant, aut Principalibus obnoxias faciant. Atque quidem Proteſtantes imprimis in id conſpirantes, ut Pontificium jus e chriſtiana penitus Republica profligent, principii loco hoc ſtatuunt: Poteſtatem Eccleſiaſticam ſub Civili degere, atque a Civili conſtanti in ſervitute eſſe tenendam. Ad Principalem

lem attinere perinde auctoritatem leges præscribere, quibus Religio publice colatur, ac sub Reipublicæ regimine contineatur. Ita Triglandus lib. de Civili, & Eccles. potest. pag. 317; Thomassius, & Velthusius tom. 1. oper. pag. 368. Quamquam, ut hujus genus hominibus non insolens est, postmodum secummet pugnat Velthusius propugnans contra Magistratus præceptum licere a publica Ecclesia recedere subdito, cui erroris suspecta eadem evaserit. Ad hæc obligationem omnem nonnisi ex pactis proficisci; neque nisi ex conventione libera Ecclesiasticas leges esse sancitas: has locum habere penes populum, nequaquam vero Principis potestatem afficere, quin ipsi fas sit Ecclesiasticas leges etiam conventionales abrogare. Ita Hobbesius, ac Puffendorfius in libello *de Religione ad jus naturæ exigenda*; quibus pejora profundit in commentatione super Bullam Clementis IX, quæ hominem prodant Religionis quidem christianæ infensissimum hostem, parum autem sibi in perversa opinione cohærentem, dum præf. libello Principibus ipsis facultatem adimit lites Religionis contra conventionalem hanc libertatem dirimendi. Henricus, & Samuel Coccejus, Pater scilicet, ac Filius, quorum plane uter sit pejor, nescias probe, in commentario, & addition. ad Grotii lib. 1. de jure B., & P. cap. 3. §. 5, & 6. potestati Civili Pontificiam subjugant nedum, subjugatamque in Conciliis Turonensi anno 813; Toletano cap. 25. dist. 63; ac Pisano ideo a Maximiliano I. Imper., & Ludovico XII. Galliarum Rege adversus Julium II. indicto obganniunt, sed rejectam imo, devotamque publico decreto in Germania anno 1338; in Gallia sub Philippo IV; in Hispania sub Carolo V, & in Anglia sub Henrico VIII. quam impie, tam impudenter affirmant, confirmantque plurimis ex impotentis odii æstu in Pontificiam potestatem effusis conviciis. Postremo, quod ad impietatis, ac impudentiæ cumulum facit, & confert potissimum ad ingenium, quo Pontificiam rem profligatam omnino vellent, Puffendorfius, & Heineccius ea ratione Ecclesiasticis legibus obsistere Principes gestiunt, quod illis Civilem obrui statum, subruique publicas res non tam comminiscuntur, quam calumniantur. Commentis hisce, calumniisque, quas propulsarunt jampridem Schuvartius, Desinghius, aliique viri do-

ctissimi, iterum profligandis operam impendere, potius esset perdere, eoque potissimum, quod suis in locis id operæ abunde, opinor, præstitum abs me sit: unde id unum heic satius habebo observasse tum Occidentis Imperium ad summum gloriæ assurgere fastigium cepisse, quum primum Imperatores christiani Pontificum obedientiæ devovere se se, & obstringere religioni, officioque duxerunt: tum e contra Orientale Imperium defecisse demum, quum a Pontificis obedientia fœde se divulsit, ejusque auctoritatem despicatui habere occepit. Facit huc apprime, quod ab ipso Leibnitio in præfat. Codic. Jur. Gent. diplom. testimonium extorsit veritas vel ab invito. *Fatendum est*, inquit ibidem, *profuisse interdum* (dic vero, sodes, quando nocuit, aut nequaquam profuit ?) *Pontificum Romanorum curam pro Canonibus, & Christiana disciplina, dum illi apud Reges opportune, importune instantes, sive auctoritate muneris, sive metu censurarum Ecclesiasticarum, multis malis obicem ponebant. Et nihil fuit frequentius, quam ut se Reges in fœderibus censuræ, & correctioni Papæ submitterent.*

Non hæc itaque, quæ ab hujus genus profligatis hominibus e Protestantium grege ab omni procul veri specie profunduntur, mihi moras injiciunt; (quæ alioqui pseudo-Politicis hodie facta partim communia paullo infra ad omnem prorsus amovendum offensionis lapidem pro virili portione convellam,) bene vero, quæ a nostræ communionis nonnullis hominibus, iisdemque doctissimis excogitata sunt media, ac remedia, ubi Pontificem M. (quod absque difficultate maxima præsumere nefas est) potestate sua abuti contingat. Quo in casu tres potissimum in opiniones Theologos illustres, absque invidia alioqui de Pontificis auctoritate summa optime meritos, distractos intelligo. Fas esse a Pontifice ad Concilium provocare, non quidem tanquam ad Judicem supra Papam, sed ut ad consiliarium ipsius Papæ, idest a Pontifice haud bene informato, veluti inquiunt, ad Pontificem melius a Patribus Concilii informandum, inter alios opinantur Gonzalezius in 2. Decret. tit. 27. cap. 7. de appellat.; P. Viva ad proposit. 29. ab Alexandro VIII. proscriptam; atque Emin. Scriptor sub Eugenii Lombardi nomine delitescens lib. 2. Reg. Sacerd. §. 7. Verum huic

huic opinioni id valde obest, quod appellatio hujusmodi vel fieret ob caussam fidei, morum, aut facti cum dogmate, sive jure connexi: quo in casu plane judicium Pontificis ex Cathedra loquentis irreformabile esse hactenus disputata demonstrant; & irreformabile ipsimet docent: ac propterea Concilium eo in casu nec Judicis, nec Consiliarii imo personam adversus Pontificem induere potest: vel fieret ob factum mere privatum, singulare, ac personale, puta ob provisionem, collationem, absolutionem &c.: quo pariter in casu, ut Pontificis judicium reformetur, non opus est Concilio; sed potius apud Pontificem ipsum interponendæ preces, ut caussa ad incudem revocetur, examineque novo experiatur: cæteroquin enim ad Concilium appellando, non tam Consiliarii officium adhiberi, quam Judicis auctoritatem advocari tam facile præsumitur, quam fit: quod fieri adeo grande piaculum est, ut ne fiat, procul abesse periculum omne potius oporteat, ac præsumptionem. *Quoniam*, inquiebat apposite Ivo Carnot. in epist. 159, *judicia Romanæ Ecclesiæ a nemine foris retractari posse, eadem Romana Ecclesia docente, didicimus, si qui aliquando se prægravatos ipsius Ecclesiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus ... ut ab ipsa ad ipsam confugiant; & inde expectent levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen*. Consilium quam optimum, tam expeditum, siquidem, uti fide sua jubebat S. Bernardus in epist. 108, *Apostolica Sedes hoc solet habere præcipuum, ut non pigeat revocare, quod a se forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum*.

Altero in casu non privato quidem, sed publico, quo nempe contingeret (ne contingat autem unquam credere juvat) Pontificem moribus deformatum potestate sua abuti in grave scandalum Christifidelium; dilapidatorem esse bonorum Ecclesiæ, beneficia Ecclesiastica nonnisi venu sacrilego conferre &c., fas esse tum contra Pontificem ita Ecclesiam dire, publiceque dilaniantem congregari Concilium iis malis, incommodisque occurrendi caussa, non inficiantur Johannes a Turrecremata in summa de Eccles. lib. 11. cap. 106; Silvester Prieras in summa V. *Papa*; Franciscus Victoria relect. 4. de potest. Papæ, & Concil., aliique. At opinioni huic id quoque officit quam maxime, tum quod altera op-

ra opportunior, quin hæc invidiæ plena ineatur, accommodatiorque suppetat via, puta admonitionum faciendarum a Principibus præsertim, precum effundendarum apud Deum ab Ecclesia &c.; tum quod eo in casu Concilium vel ageret ut admonitor; quæ agendi ratio pariter aut ab Episcopis privatim, aut a sæculi Principibus adhiberi peræque poterit, quin opus Concilio sit: vel ageret ut Judex auctoritate, ac jure; qua plane agendi ratione uti nec debet absque ejusdem Pontificis assensu, ad quem pertinet Concilium indicere, eique præsidere; quinimo nec ullo modo potest, siquidem Pontifex se Concilio subjugari, ac tum maxime cui in invidia esset, nulla ratione pateretur. Quid autem si animo ita obfirmari Pontificem obtingeret, ut ab injusta decedere sententia nullo vellet modo? Quid tum, si nec altera se tuendi adpareret via, puta rogando, puta recurrendo &c.? Fas fore tum tandem, quum si qui a Pontifice indebite gravarentur, injuriisque graviter appeterentur, ex nullitatis capite excipere, non obedire, imo obsistere docent Dominicus Cardin. Jacobatius lib. 8. de Concil. art. 3. Baldum in Cap. *Olim de Rescriptis* allegans; Cajetanus in tract. 1. de auctorit. Papæ, & Concilii cap. 27; Silvester Prieras loco indic.; Franciscus Victoria paullo superius laudatus; & Andreas Duvalius in tract. de supr. Pontif. potest. Nunquam tamen licere appellatione ad Concilium appellere, sed potius illatam injuriam patienter tollerare oportere: siquidem nunquam liceat ad se tuendum medium assumere, ex quo majora, & innumera in Ecclesia suborirentur incommoda, atque longa, lataque aperiretur, sterneretúrque via schismatibus, rebellionibus, hæresibus. *Dices*, inquit Duvalius, *Principes, & Respublicas graviter nonnunquam conqueri se à Pontificibus graves injurias pati, nullumque ad has depellendas efficacius remedium esse, præter provocationem ad Concilium generale. Respondeo non licere propterea ad Concilium provocare, quum Principes sibi, suisque rebus possint alia via consulere, scilicet non obediendo mandatis Pontificis, imo, si aliter non possunt sibi succurrere, strenue, prudenterque resistendo, & cum ea moderatione, quam superiori quæstione, ubi de iniquis, & Ecclesiæ perniciosis dispensationibus, assignavimus.*

Po-

Postremæ huicce opinioni finitimam movent, ac promovent quæstionem Politici quamplures, quibus præluserunt Richerius, Petrus de Marca, Baluzius, Puteanus, Gerbasius, Rossellus, Carolus Fevretus, aliique potestatis laicæ amplificandis finibus plus æquo intenti, quæ sane quæstio ad eam delabitur demum, quæ in Galliis recepta (non tamen ante annum 1533, sicut ex Auctore tract. de jurisd. Eccles. inter acta Cleri Gallic. tom. 1. tit. 2. cap. 19. ostendit Charlasius in tract. de libert. Eccl. Gallic. lib. 6. cap. 1.) deinque frequentata est, praxis appellationes tanquam ab abusu interponendi, loco appellationum ad Concilium, ut quæ quia nimia laborant invidia, apud Catholicos jam desueverunt, tantumque ut usu Jansenistis venirent, dimissæ sunt, adhibitas, & suffectas. Ea ergo Jurisperitorum quamplurium, ac Theologorum Parisiensium hodie facta propria opinio est, jampridem in Gallia praxi ipsa firmata, quod si Summus Pontifex sacris Canonibus, disciplinæ, libertatibus, moribus, juribus, ac institutis Ecclesiæ Gallicanæ, aut Regni Francorum vulnus aliquod inferat, tum Regis, (sive Curiæ supremæ Regis vices gerentis,) qui Canonum, ac morum custos, & executor est, innocentiæ etiam, ac justitiæ tutor, & vindex, opem implorari per appellationem, tanquam ab abusu, qui propriæ auctoritatis a Pontifice fieret, fas sit, a quo proinde Pontificii rescripti executio impediatur. Qua agendi ratione, inquiunt, Pontificis summa potestas nec in dubium adducitur, nec eidem irrogatur injuria, sed persuasum imo habetur hoc in casu Pontificem nec invite, nec irrationabiliter pati, ut mandata sua effectu suo frustrentur. Extra Galliam vero, etsi non eadem praxis, pervasit tamen eadem persuasio laicæ potestati licere ejus genus Ecclesiasticis negotiis se ingerere, quæ affinitatem quamdam cum civilibus habeant, aut ad civilem gubernationem conferant: licere ideo leges Pontificias, ubi e re publica est, temperare, aut tollere, potestatem imo ipsam, unde derivant, intra æqui, justique limites cohibere: ita sexcenta horum similia turbare, miscereque solent hujus genus homines quam in Pontificiis coarctandis parci, tam in amplificandis Principalibus juribus profusi.

Age modo argumenta diligentia, qua potuerunt, majori conqui-

quisita, & congesta ad hanc suam opinionem adjuvandam, ac pro viribus promovendam, quæ potissima videri possunt, (nam persequi omnia quam pudet, tam piget) in aciem producantur. Principio semet Pontificum in interpretes erigentes, Pontifices, inquiunt, passim dictis, factisque declararunt ad Principales etiam partes pertinere, tum ne quandoque Pontificia mandata executioni demandentur intercedere, tum quando id bonum Ecclesiarum exigat, se negotiis Ecclesiasticis immiscere. Ita S.Leonem IV, qui Ludovici II. Imperatoris judicio se submisit ita: *Ut si quid a se incompetenter actum esset, suo, Missorumque suorum judicio emendaret*. Refertur ab Ivone par. 5. cap. 22, & a Gratiano 2. q. 7. Cap. *Nos si incompetenter*. Alexandrum III, qui Cap. *Cum teneamur de Præben.* parum, aut nihil invitus perfert rescriptum suum effectu frustrari, potiusquam cum sacris pugnet Canonibus: *Si mandatum nostrum*, inquiens, *pro alicujus provisione receperis, qui aliud beneficium habeat, de quo valeat commode sustentari (nisi forte in litteris ipsis de hoc mentio habeatur, aut si non potest ei sine scandalo provideri) æquanimiter sustinemus, si pro eo mandatum nostrum non duxeris exequendum*. Innocentium III, qui in epist. ad Faventinum Episcopum pari erga Canones reverentia affectus, *Quæ*, ait, *in derogationem sanctorum Canonum attentantur, tanto potius infringi volumus, & carere robore firmitatis, quanto auctoritas universalis Ecclesiæ, cui præsidemus, ad id Nos provocat*. Quibus accedit praxis Romanæ Curiæ, qua irrita, & inania habentur rescripta quæcumque per obreptionem, vel subreptionem impetrata: obrepi autem, aut subrepi Romano Pontifici tum semper reputandum affirmant, quum ab eo quidpiam Canonibus, moribus, juribus &c. Gallicanæ Ecclesiæ, aut Regno incommodum, vel adversum profertur. Quid ad hæc autem, quod Nicolaus II, velut auctor est in vita S. Eduardi Ælredus Abbas Rievellensis, nihil veritus aut sui juris quidpiam imminui, aut injuriæ quidquam inuri, S. Eduardo Regi Angliæ illud amplissimum, insigneque privilegium impertitus est, quo ipsum, successoresque Apostolicæ Sedis Vicarios in Anglia constituit? Cui haud absimile plane Martinus V. contulit Uladislao Poloniæ Regi ob sacra bella adversus Barbaros præclare gesta; ob egregiam pro

Græ-

Græcis ad unitatem Ecclesiæ revocandis exantlatam operam; obque ingentes pro Sangiacis populis ad Christianam fidem traducendis labores impigre impensos. Quo demum quam maxime digni pariter erant, privilegio huic haud impari ab eodem Pontifice exornati, adauctique fuere Galliarum Reges diplomate, quod incipit *Apostolicæ Sedis*, dato anno 1431, ut Canonum videlicet tutores, custodes, ac defensores essent, istoque etiam jure circa possessiones beneficiorum potirentur.

Probant deinde opinionem hanc suam ex placitis, decretisque Conciliorum, a quibus in Ecclesiasticæ jurisdictionis, curæque partem accersiti Principes non uno in loco leguntur. In Concilio Agathensi anno 506. can. 35. statutum habetur, ut Episcopi Metropolitano ad ordinationem, aut ad Synodum invitanti obtemperent, excepta gravi infirmitate corporis, aut *præceptione regia*. A Concilio Francofordiensi anno 794. can. 6. decretum fuit, quod si partes post judicium Metropolitani rebus judicatis non adquiescerent, caussæ negotium ad Principem deferre possent, adjectis Metropolitani relatione,& sententia. A Cabilonensi II. anno 814. can. 45, & 50. Imperatoris sententiæ emendandi subjiciuntur abusus, qui Romanis peregrinationibus interveniebant passim; restituendaque diei Dominicæ observatio, quæ tum vergere in deterius, ac desuetudinem videbatur. Parisiense VI. anno 829. sub Ludovico, & Lothario lib. 2. cap. 2. Regem primo, ac potissimum eam in rem curam impendere debere, ut Ecclesiam, Ecclesiasticasque personas defendat pro virili portione, hisce verbis admonebat: *Rex primo defensor esse debet Ecclesiæ, Servorumque Dei*: paullo infra ex S.Isidori sententia subjungens: *Principes sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant*. A qua quidem admonitione,& doctrina ne latum unguem deflectentes iidem Ludovicus, & Lotharius in epist. ad Eugenium II. P. M. apud Baronium ad annum 825. n. 47. scribebant: *Veraciter nos debitores cognoscimus, ut his, quibus regimen Ecclesiarum,& Ovium Dominicarum cura commissa est, in omnibus caussis ad Divinum cultum pertinentibus operam,& auxilium, pro qualitate virium nostrarum, & intellectus nostri capacitate, feramus*.

Congerunt ad hæc autem confirmanda SS. Patrum, Ecclesiarumque Præsulum dicta, & gesta. Atque quidem de Principum auctoritate circa res Ecclesiasticas agens, ac differens S. Leo M. in epist. 49., alias 32. ad Pulcheriam Augustam: *Quoniam*, ajebat, *res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendat auctoritas*: & in epist. 75, nunc 125. ad Leonem Imperat. *Debes*, inquiebat, *incunctanter advertere Regiam potestatem tibi non solum ad Mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta, defendas, & veram pacem iis, quæ sunt turbata, restituas*; *depellendo scilicet pervasores juris alieni, & antiquæ fidei sedem Alexandrinæ Ecclesiæ reformando*. S. Gregorius M. quoque lib. 2. epist. 61. hisce Mauritium Imperat. alloquebatur: *Ad hoc potestas pietati Imperatorum data est, ut qui bona appetunt, adjuventur, & terrestre Regnum Cælesti Regno famuletur*. Inhæserat hæc eadem de Principali in rebus ad Religionem attinentibus potestate sententia Patribus aliis. S. Augustino, qui lib. 3. contra Crescon. cap. 51: *In hoc*, scribebat, *Reges, sicuti eis divinitus præcipitur, Deo serviunt, in quantum Reges sunt, si in Regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum quæ pertinent ad divinam Religionem*. S. Fulgentio relato in Concilio Aquisgranensi anno 836. cap. 3, qui de officio Regis erga Ecclesiam, loquens, *Præ omnibus*, ajebat, *ita se Sanctæ Matris Ecclesiæ meminerit filium, ut ejus paci, & tranquillitati ... suum prodesse faciat Principatum*. S. Gregorio Turonensi, qui lib. 5. hist. Francor. cap. 19. his Chilpericum Regem alloquebatur: *Si quis de nobis, ò Rex, justitiæ tramitem transcendere voluerit, a te corrigi potest: si vero tu excesseris, quis te corriget?* Quibus, ut probe vides, Principum correptioni personas Ecclesiasticas vir Sanctus submittebat. S. Isidoro Hispal. lib. 3. sentent., sive de summo bono cap. 53. relato a Synodis Aquisgranensi I, & Parisiensi VI; nec non a Gratiano Cap. *Principes* 23. q. 5; ubi *Cognoscant Principes*, hos ita admonebat, *sæculi Deo debere se reddere rationem propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax, & disciplina Ecclesiæ per fide-*

fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit. Mitto pleraque multa, quæ ex SS. Gregorio Nazianzeno, Johanne Chrysostomo, Isidoro Pelusiote, Synesio, Hincmaro, aliisque opportune, importune hanc in rem conglomerant Petrus de Marca, Rossellus, Feuretus, aliique earumdem partium patroni, quibus conficere hoc confidunt Principibus fas esse rebus Ecclesiasticis se implicare, ideoque ad Principes ipsos contra leges ab Ecclesia latas, si injustæ sint, tanquam ab abusu provocare.

Quod si Patrum dicta factis compensentur, hanc perinde comprobari quam maxime persuasionem suam præfidenter jactant. Atque quidem primum hic locum facere non dedignantur Donatistis, quos a S. Melchiadis judicio ad Constantinum Imperatorem appellasse mentiuntur, a quo alterum ipsis concessum fuerit judicium. Nec secundum Nestorio denegant, quem a sententia Synodi sive Romanæ sub S. Cælestino, sive Alexandrinæ sub S. Cyrillo ad Theodosium Imperat. provocasse autumat Petrus de Marca lib. 4. Concord. cap. 4. ibidem subnectens impetrasse imo ab Imperatore, ut sententia illa suspensa maneret, donec a Concilio generali propediem celebrando dirimeretur. Excurrendo subinde ad exempla, in quibus minus subsit invidiæ, a S. Athanasio exordiuntur, quem dicunt legitime a sententia pseudo-Synodi Tyriæ provocasse ad Constantini M. tribunal. S. Cyrillum Alexand., & Memnonem Ephesinum subtexunt, qui conquesti in libello oblato Synodo Ephesinæ, insertoque par. 2. act. 4. leguntur se a Johanne Antiocheno loco dejectos, licet ille *nec per leges Ecclesiasticas, nec per Imperiale decretum potestatem haberet.* Igitur subinferunt decreto Imperiali posse Judices Episcoporum constitui. Quid autem quod S. Leo M. Theodosii Imp. operam imploravit ad acta pseudo-Synodi Ephesinæ abroganda; ejusdem quoque Legati in Synodo Chalcedonensi a gravi expostulatione adversus Canonem 28. coram Judicibus Laicis a Marciano Imp. ad Synodum delegatis exponenda non abhorruere? Posthæc apud eumdem Imperatorem de injuriis sibi a Dioscoro illatis expostulasse Eusebium Dorylæum: per injuriam se loco dimotum exposuisse Bassianum Ephesinum, & Sabinianum Perrhensem;

ejusdemque opem adversus Anastasium Nicænum efflagitasse Eunomium Nicomediensem adparet ex Concilii Chalced. act. 1, 11, 12, & 14: quorum exemplis insistentes Timotheus Alexandrinus Episcopus Zenonem Imperatorem obnixe est obtestatus, ut Petrum Moggum suæ invasorem Sedis depelleret, sibique a Basilisco Tyranno vim passo eamdem restitueret: & Hadrianus Thebanus Antistes a Larissæo Metropolita gradu deturbatus ad Mauritium Imperatorem confugit, a quo ad caussæ revisionem tum Johannes primæ Justinianæ Præsul, tum Honoratus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & Apocrisarius, tum Sebastianus e Magistratibus Imperii unus delecti sunt, & delegati, ac judicium sua auctoritate redditum est, quod refert, nec reprobat, idque imo haud sibi ingratum accidisse indicat S. Gregorius M. lib. 2. epist. 46, sive 7. indict. 11. ad Johannem Larissæum Metropolitam.

Perspectum autem, persuasumque ipsis Principibus istiusmodi particulam juris sibi incumbere liquido, ac luculenter patere subjungunt ex ipsorum Principum legibus, & factis: quippe qui obsecrantibus vel ipsis Summis Pontificibus, vel Synodorum Patribus, vel Ecclesiarum Præsulibus rebus se intermiscere sacris non destiterunt. Atque quidem nonnisi istiusmodi juris intuitu sacris olim variis nominibus insigniti sunt, ac denominati, sicuti Constantinus M. *Episcopus extra Ecclesiam*; *& communis Episcopus* apud Eusebium de ejusdem vita lib. 1. cap. 37, & lib. 4. cap. 24: Marcianus Augustus *Sacerdos Imperator* a Concilio Chalcedonensi: Clodovæus Regum Francorum primus a S. Remigio *Regionum Præsul*: & Carolus M. in Capitulari Aquisgranensi *Devotus Dei Ecclesiæ defensor, humilisque adjutor*. Defensionis, & Patrocinii igitur titulo, ac jure, quo potiuntur Principes, Christianorum omnium primus Constantinus M. Cæciliano, & Donatistis Judices dedit Maternum Agrippinensem, Rheticium Augustodunensem, & Marinum Arelatensem, qui cum S. Melchiade P. M. illorum caussam in Concilio Romano collatis votis discuterent, ac dirimerent. Donatistis ad suum dein tribunal a judicio Melchiadis appellantibus judicium alterum dedit, scilicet Concilium Arelatense concessit. Felicis Aptungitani caussam Æmiliani Proconsulis examini, ac judicio commisit; inque Donati-

natiſtas ab Arelatenſi Synodo iterum ad ſe appellantes peremptoriam tulit ipſe ſententiam, capitis ſcilicet damnando, niſi adquieſcerent. Ad hæc S. Athanaſio a ſententia pſeudo-Synodi Tyriæ ad ſe provocanti jus dixit, uti patet ex reſcripto, quod S. Athanaſius refert in apolog. 2, & Socrates lib. 1. cap. 34. Eoſdem adverſus Donatiſtas varia edicta dederunt Imperatores deinde alii. Conſtans illos animo in ſchiſmate obfirmatos exilio damnavit teſte S. Optato lib. 2. Valentinianus, quominus baptiſmum reiterarent, ſevera lege prohibuit anno 373, quæ extat in Codice Theodoſ. L. 1. *Ne ſanctum Baptiſma iteretur*, ideo illos gradibus Eccleſiaſticis detrudi imperans. Eoſdem lege lata anno 377, quæ refertur eodem Cod. Theodoſ. L. 2, compeſcuit Gratianus: quave Theodoſius gravi pecuniaria pœna mulctarat, eadem pariter, graviorique affecit Honorius, obſecrantibus Legatis Concilii Carthaginenſis, ſicuti refert S. Auguſtinus in epiſt. 50, nunc 185. ad Bonifacium; 88, olim 68. ad Januarium, & lib. 3. contra Creſcon. capp. 43, & 44; ac habetur L. 39. Codice eodem *de Hæreticis*. Rogantibus iterum Patribus Concilii Carthaginenſis Honorius edictum reſcidit, quo ad tempus, Attali nempe tyrannide durante, & Africæ incumbentis, Religionis libertatem indulſerat; novaſque pœnas in illos indixit lata lege, quæ eſt in Cod. Theodoſ. 43, & 44. *de Hæreticis*, memoraturque a S. Auguſtino in epiſt. 14. ad Macedonium; 127. ad Donatum Africæ Proconſulem; 158, & 159. ad Marcellinum: & 160. ad Apringium Judicem. Legenda etiam in Codice eodem Theodoſ. L. 62. *de Hæreticis* a Theodoſio, & Valentiniano anno 425. evulgata. Præterea ad preces Synodi Romanæ anno 378. edicto dato ad Aquilinum Urbis Vicarium juſſerunt Gratianus, & Valentianus, ut Urſicini ſchiſma cohiberet, eumque una cum ſectatoribus Eccleſiæ judicio ſtare compelleret; cujus quidem judicii formam ea in Conſtitutione præſcribit. Similes leges in cauſſis Eccleſiaſticis mixtis legere paſſim eſt in Codice cum Theodoſiano, tum Juſtinianæo tit. *de Epiſcopis, Clericis, & Monachis*; nec non in Capitularibus Regum Francorum frequentiſſime; poſtremos inter quos S. Ludovicus poſtulantibus Regni Præſulibus contra graviſſimos, qui tum in collationibus Beneficiorum irrepſerant, abu-

abusus, edicto lato anno 1268. imposterum collationes, provisiones, & dispositiones omnes beneficiorum in Gallia juxta ordinationem juris communis, sacrosque Conciliorum Canones, atque SS. Patrum institutiones fieri præcepit.

Præterea ad has comprobandas leges plurimam opinantur conferre operam facta ipsa Principum, quibus quid circa Ecclesiasticas sive personas, sive res possent, sibique fas foret, planissimum nullo non tempore fecerunt. In his ipsorum utique sententia proprii juris limites prætergressi non sunt Theodosius Junior, quum sive edicto lato Episcopos omnes aut cum Johanne Antiocheno consortio sacrorum conjungi, aut ab Ecclesiis expelli jussit; inter quos Alexandrum Euphratesiæ, Helladium primæ Ciliciæ, Maximinum Ciliciæ secundæ Metropolitas, ac Theodoretum Cyrensem, Meletium Mopsvestenum, aliosque 13. apud Irenæum cap. 190. Synodici exilii pœna affecit; sive Irenæum Tyrium Episcopum gradu deturbavit; atque Ibæ Edesseni, Danielis, & Johannis Episcoporum Provinciæ Osrhoenæ, qui hæresis suspicione haud leviter laborabant, a Domno Antiocheno revocatam caussam remisit ad Photium Tyri, Eustathium Berythi, & Uranium Himeritam Episcopos. Nec Justinianus, quum sive edictum contra tria Capitula emisit; sive Novella 11. ad Catellianum primæ Justinianæ, sive Acridæ Antistitem directa decrevit, ut imposterum primæ Justinianæ Præfectus Archiepiscopi dignitate, jureque in sex Metropoles a Thessalonicensi Metropolita abstractas potiretur: parumque abest, quin ab his assentatoribus nec potestatis suæ extra orbitam excurrisse Justinianus asseratur, quum Pontificis M. electionem confirmandi jus sibi arrogavit; non secus atque Justinus, quum caussis matrimoniorum se immiscuit; erraverit turpiter etiamsi, quum lege lata apud Pithæum, & Baronium decrevit communi conjugum consensu dissolvi legem conjugii. Ejusmodi exemplis inquiunt Principalis juris dicti, & exerti circa Ecclesiasticas sive personas, sive caussas historiam sacram, profanamque refertissimam esse, quam quæ in suspicionem vocari, aut perstringi sermone possint omnia. Quod autem ad Galliarum attinet Reges, inter alia illustre suppeditari a S. Gregorio Turonensi lib. 4. hist. Francor. cap. 26, ubi auctor est

est unius Clotarii jussu Emerium Santonensem Episcopum, absque Leontii Burdigalensis Metropolitæ conscientia, ordinatum. Clotario fatis functo, a Leontio in Synodo Provinciali Santonensi Emerium gradu fuisse dejectum: qui paullo post attamen a Chariberto Clotarii filio in proprii, ac paterni juris, ac jussionis vindictam loco suo est restitutus; Synodi acta rescissa; Heraclius Emerio suffectus in exilium expulsus; Leontio pecuniaria ingens pœna inflicta, aliisque Synodi Episcopis minus gravis pro minori culpæ gravitate.

Verumtamen hæc, & alia hujus genus plurima, quæ passim absque delectu ab adversariis congeruntur, si ad æqui, justique terminos reducantur, inferent equidem laicos Principes Ecclesiæ Defensores, ac Protectores esse, agereque debere, non ita tamen ut eis liceat Ecclesiasticis juribus ultro se se immiscere: defensionis item, ac protectionis titulo, ac jure pro innocentibus injuriam passis apud Pontificem sequestres accedere, suffragari, intercedere posse, non etiam semet erigere in Judices Ecclesiasticos, multoque minus in Pontificem M. exerere potestatem. Juxta duos hosce modos licet ad laicos Principes confugere vel Ecclesiæ adversus legum Ecclesiasticarum contemptores, vel ab Ecclesia adversus Ecclesiæ ipsius sententias injustas, videlicet ut quod ab Ecclesia per jus obtineri, vel Ecclesia ipsa obtinere per vim non potest, a Principibus ratione defensionis innocentiæ, aut protectionis jurium Ecclesiasticorum obtineri demum quoquo modo possit. Quoad primum itaque caput, protectionem scilicet, ac defensionem, quam Ecclesiæ Principes impertiri tam possunt, quam debent, si casu eveniret, sicuti non semel evenisse constat, Ecclesiam id obtinere nequire, ut latis ab se legibus, aut ex æquo dicto juri, aut justæ inflictæ pœnæ, velut in hæreticos, schismaticos, ac sceleslos, obtemperetur, tum christianorum Principum officio, religionique tandem cedet Ecclesiæ in auxilium accurrere, refractarios ad morem gerendum compellere, Ecclesiasticarumque sententiarum, & legum executionem pro viribus, quibus pollent, majoribus procurare, ac promovere. Atque ita quidem, ut observavit Fleurius disc. 7. in hist. Eccles., Aurelianus ipse Imperator, etsi Ethnicus, ad orthodoxorum

Præ-

Præsulum preces Paulum Samosatenum ab Antiochena Sede dejecit. Constantinus Arium a Patribus Nicænis condemnatum in exilium amandavit, ejusque scripta igni devoveri jussit, capitis pœna decreta in eos, qui clam illa retineret. Ecclesias Constantinopoli ab Arianis per 40. annos occupatas Catholicis restituit Theodosius M. Theodosius Junior, quæ adversus Arium Constantinus sanciverat, adversus Nestorium ipse instauravit, horumque simillima in Montanistas decrevit L. 57. Codic. Theodos. *de Hæreticis*. Ut Episcopi Romano Pontifici obedire detrectantes Romam proficisci compellerentur ad judicium Pontificis subeundum lege lata, quæ refertur in append. Cod. Theod. tit. 24, sancivit Valentinianus: & Justinianus, ut habet Novella 123. cap. 11, sacra jussione summopere cautum voluit, ne Episcopus a Synodo exauctoratus locum retinere auderet, sed in Monasterium detruderetur. Harum similium legum differtissimi sunt Codices Theodosianus, & Justinianæus, quas persequi omnes non præstat. Itaque huc faciunt, quæ superius ex SS. Leone, Gregorio M., Augustino, Fulgentio, Isidoro recitata sunt. *Hoc Principum*, inquit Fleurius loc. indic., *patrocinium Christianis Imperatoribus frequens fuit, vi contumaces ad obediendum sacris Canonibus compellendo.*

Quo in loco, quum dicitur ad officium Principis spectare Ecclesiæ suppetias ferre ad ejusdem legum observantiam, cavendum quam maxime est, ne ita id intelligatur, quasi Principis, non autem Ecclesiæ sit Ecclesiasticarum legum executionem imperare, Ecclesiaque potestate etiam coactiva careat, qua ad legum suarum observantiam compellat, inque contemptores pœnas infligat: nam non ita est sane. Ecclesia etenim, ut fatetur, ac profitetur eodem loci ipsemet Fleurius, laica potestate pro exercitio suæ jurisdictionis non indiget; quumque Ecclesiæ potestas insit condendi leges, eidem quoque concessum est id exequi, quod lege sanciverit, inque transgressores legum animadvertere. Quæ enim, amabo, esset potestas illa rogandi leges, non etiam legum observantiam urgendi? Quare jure optimo dicitur jurisdictionem sine coercitione nullam esse in jure Civili L. ult. ff. *De Officio Judicis*; & in jure Canonico Cap. *Pastoralis de Officio Judi-*

Judicis delegati, ubi Innocentius III. *Jurisdictio*, inquit, *illa nullius videtur momenti, si coercitionem aliquam non haberet*. Unde Ecclesiam ab omni ævo leges condentem varias in transgressores pœnas decrevisse legenti Ecclesiasticam historiam passim, facileque patebit: in his signatim Fori sacri pœnas fuisse mulctas pecuniarias, proscriptiones bonorum, servitutes, fustigationes, exilia, carceres, horumque simillimas pœnas, ut vetustiora praetermittam nunc monumenta, adparet ex S. Gregorio M. relato Cap. 1. Extra *de Calumnia*; Lucio II. in epist. 8. ad Viseliacensem Abb.; Innocentio III. Extra Cap. 35. *de Sententia excomm.*; & *de Verborum significat.* Cap. 27.; Honorio III. Cap. *Dilectus de Officio Ordinarii*; B. Gregorio X, & Clemente V, apud Raynaldum ad annos 1273. n. 42, & 43; ac 1311. n. 53; Bonifacio VIII. in *6*. Cap. 3. *de Pœnis*; aliisque alibi: ex Conciliis, de quibus copiose suo, opportuniorique loco; ex Jvone Carnotensi in epist. 186. ad Episcopum Aurelianensem; S. Anselmo Cantuariensi lib. 3. epist. 109. ad Angliæ Regem; & Petro Bertrando Augustodunensi in disput. adversus Petrum de Cuneriis: de quibus demum pœnis vide Concilium Trid. sess. 23. cap. 1, & sess. 25. capp. 3, & 14. Quoad vetustiora autem monumenta attinet, confer S. Augustinum in epist. 159; Synodum V. sub S. Symmacho idipsum juris SS. Patribus dudum in more positum adfirmantem 3. q. 5. C. *Accusatoribus*; Photium Cod. 11. referentem a Demetrio Alexandrino Synodali decreto in Origenem exilii pœna fuisse animadversum; & Palladium in dialogo narrantem pariter a Theophilo in Synodo ad Quercum adversus S. Chrysostomum exilii pœnam fuisse decretam, rogatumque Imperatorem, ut eamdem executioni demandaret. Quum igitur impar Ecclesia est, ob refractariorum resistentiam, suis in tuto ponendis legibus, aut exequendis pœnis in transgressores, tum optime juri suo prospiciendum hac ratione ducit, videlicet brachium demum, velut inquiunt, sæculare viribus potius in sui opem implorando. Confer Cap. *Siquis 9.* distinct., C. *Nos*; C. *Bene 96.* dist., C. *Petimus 19*; C. *Maximianus* 11. q. 1; C. *Ab Imperatoribus* 23. q. 3.; C. *Perniciosa*; C. *Quoniam de Officio Jud. Ord.*; C. *Postulasti* 21. *de Homicid.*; C. *Vero de Maled.*; C. *Ut officium*; & C. *Dilecto in 6. de Sent.*

de Sent. excomm.; junctis Glossis ibidem, & Interpretibus. Quin imo vice reddita idem beneficium, ad laicas nempe leges loco statuendas suo, Principibus frequens ab Ecclesia fuisse impensum, utque impenderetur personis ipsismet, ab Imperatoribus, ac Regibus sæpissime obsecratam, & obtestatam Ecclesiam, innumeris exemplis ostendit Vir. Clariss. Thomassinus adeundus, si aveas, vet., & novæ discipl. par. 2. lib. 3. cap. 87., & seqq.

Quibus ita conclusis, ac definitis, jam probe, facileque percipi dabitur, quo sensu demum fas sit ad laicas potestates confugere; quove perinde sit nefas, in caussis scilicet Ecclesiasticis, sive ab Ecclesiasticis Judicibus ad Principes, tanquam ad Judices, qui caussam, sententiamque discutiant, dicant, ac dirimant: nefas id, inquam, ingens esse, quandoquidem ad Principale jus haud pertinere aut Ecclesiæ leges conscribere, aut de Ecclesiasticis caussis cognoscere, universalis, unanimisque sententia est, in quam ultro citroque conspirant Pontifices, Patres, ac Principes. Pontifices quidem, ex quibus S. Felix III. in epist. 3. ad Zenonem Imper., quæ ipsius essent partes erga personas Ecclesiasticas, exponens: *Certum est*, scribit, *hoc rebus vestris esse salutare, ut quum in caussis Dei agitur, juxta ipsius constitutum Regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre; & sacrosancta per eorum Præsules discere potius, quam docere: Ecclesiæ formam sequi, non huic humanitus sequenda jura præfigere; neque ejus sanctionibus velle dominari; cui Deus voluit Clementiam tuam piæ devotionis colla submittere.* S. Gelasius in epist. 4. ad Anastasium Imper., relatus distinct. 96, Civilem inter, & Ecclesiasticam potestatem discrimen hoc perspicuum statuens, *Duo sunt*, inquit, *Imperator Auguste, quibus principaliter Mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus Domino in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus divinarum devotus colla submittis... Nosti ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Quæ quum ita se habeant, quanto magis Pontifici M. Sacerdotiis cunctis præfecto obtemperare oporteat

teat deducit. Refertur lib. 5. Capitul. cap. 167, & ab Hincmaro opusc.9. cap.39. Quo pariter sensu S.Anastasius II. homonymum Imper. admonuit de obedientia religiose sibi, riteque impertdenda. S. Symmachus in apolog. ad eumdem longum, latumque, quod Imperialem inter, ac Pontificiam intercedebat dignitatem, discrimen distinguens, *Conferamus*, ait, *honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum*. Præoccupata deinde objectione, qua pseudo-Politicorum hodie nihil in ore frequentius, pergit: *Fortasse dicturus es scriptum esse omni potestati Nos subditos esse debere. Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas non erigunt voluntates. Caterum si omnis potestas a Deo est, magis ergo, quæ rebus est præstituta divinis*. Quorum simillima habent S. Agapetus I. in epist. ad Justinianum; S. Gregorius II. in epist. 1. ad Leonem Isaur.; S. Nicolaus I. in epist. ad Michaelem, & Ludovicum Imper.; Stephanus VI. in epist. ad Basilium Imp., ac referuntur a Gratiano par. 1. distinct. 96. Præstat & adire Alexandrum II. in epist. ad Belam Hungariæ Regem apud Ughellum tom. 2. in append. ad Episcopos Narnien.; & S. Gregorium VII. lib. 2. epist. 75. ad Suenonem Daniæ Regem, qua Romano Pontifici insitum jus perhibet corripiendi, quum oporteret, Reges, ac Principes, disciplinæque leges iisdem præscribendi.

Vetusta erat hæc eadem de potestate Ecclesiastica persuasio, intimeque insita SS. Patribus, Scriptoribusque Ecclesiasticis: e quibus Osius Cordubensis Antistes in adhortatione ad Constantium Imper. apud S. Athanasium in epist. ad solitar. *Tibi Deus*, inquiebat, *Imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Sicut ergo, qui Imperium tuum malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, divinam indignationem incurras*. Nec huic absimili sive libertate loquuti, sive officio defuncti eumdem apud Imperatorem leguntur cum Lucifer Calarit. lib. 1. advers. Constant., tum S.Hilarius Pictav. in lib. adversus Imperat. eumdem, admonens, & adhortans, ut ab Ecclesiæ negotiis abstineret ipse nedum, sed ab eorumdem cognitione Judices lai-

cos omnino arceret. S. Athanasius pseudo-Synodum Tyriam ea quoque ratione in apolog. 2. potissimum est insectatus, quod ei implicuisset se se Imperator: *Si istud judicium*, inquiens, *Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator?* Confer etiam Synodicam Concilii Alexandrini anno 339. ad omnes Ecclesiæ Catholicæ Episcopos de pseudo-Synodi Tyriæ proscriptione. S. Ambrosius Valentiniano Augusto Patris exemplo proposito, ut ab Ecclesiastica libertate lædenda abstineret, his admonebat epist. 32. *Augustæ memoriæ Pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit: in caussa fidei, aut Ecclesiastici alicujus ordinis eum debere judicare, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis, hoc est Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare... Certe si vel scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat in caussa fidei Episcopos solere de Imperatoribus christianis, non Imperatores de Episcopis judicare?* & in epist. 33. vet. edit. ad Marcellinam objectioni, qua allegabatur Imperatori licere omnia, his offendit: *Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere.... Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ*. Quam ob rem idem S. Doctor in Concilio Aquilejensi ea præterea ratione damnatum fuisse Palladium dixit, quod Episcopus quum esset, provocare ad laicam potestatem non fuisset veritus: *Quoniam in hoc ipso damnandus est, qui laicorum expectat sententiam, quum magis de laicis Sacerdotes debeant judicare*. Juxta istam in Ecclesia retentam jugiter traditionem a S. Martino Turonensi obsecratus est Maximus Tyrannus, ne Priscilliano a Synodi Burdigalensis sententia ad se provocanti jus redderet, sed imo Synodi judicio stare juberet, uti testis est Severus Sulpitius lib. 2. Inerat intime sententia eadem S. Isidoro Pelusiotæ lib. 3. epist. 249; Cassiodoro lib. 11. epist. 2. ad Johannem P. M.; Liberato in Brev. cap. 22; & Facundo Hermian., qui lib. 12. cap. 3. Justiniani Imperat. ausum nefarium, quo plusquam ipsi fas afforet, Ecclesiasticis negotiis se ingerere exambiebat, ac nominatim difficillimæ trium Capitulorum caussæ, ut retunderet, Marciani piissimi Imperatoris produxit exemplum

plum ab ejusmodi rebus sacris religiose abstinentis, hisce verbis: *Sciens ille modestissimus Princeps Oziæ Regi non impune cessisse, quia sacrificare præsumpsit, ... multo magis sibi impune cedere non posse cognovit, vel quæ jam de fide christiana rite fuerant constituta, discutere; quod nullatenus licet: vel novos constituere Canones, quod non nisi multis, & in unum congregatis primi ordinis Sacerdotibus licet. Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus officio, Ecclesiasticorum Canonum executor esse voluit, non conditor, non exactor.*

Defuerint etsi nunquam, qui in jura Ecclesiastica irrumpere tentarent, nec defuere tamen unquam, qui eadem in libertatem asserere viriliter adlaborarent. *Ex quo Christiani esse ceperunt Imperatores*, inquit Socrates in proæm. lib. 5, *Ecclesiæ negotia ex illis pendere cœperunt*. Antehac attamen integram jugiter penes Ecclesiæ Præsules sacrarum rerum summam stetisse, eisque *Præfuisse Antistites, absque ullo consultu mundanæ potestatis, a temporibus Apostolorum, ac postea per annos fere quadringentos* scribit Florus Magister in opuscul., quod extat post opera Agobardi. Inter alios autem, qui jurium sacrorum invasoribus obnixius se objecerunt, illustriores habentur Leo Bituricensis Episcopus in epist. anno 484. exarata, quæ ab Hincmaro in epist. ad Hadrianum II. P. M., Caroli Calvi nomine conscripta, S. Leoni M. fuerat attributa, homonymo vero huic restituit Sirmondus, excommunicatos denuntians Clericos, qui Ecclesiastico judicio prætermisso, sæcularem adirent potestatem, appellationeque pulsarent. S. Maximus Abbas, & Martyr, qui Constantinopoli Senatu illo coram, quæ prius affirmasset, confirmare non extimuit: nempe *definire de dogmatibus, & quærere Sacerdotum magis esse, quam Regum*, sicuti scribit in ejus actis Auctor, qui ab iis, qui ejusdem inhæserant lateri, acceperat, apud Baronium ad annum 650. S. Johannes Damascenus, qui orat 1. de SS. Imaginibus Imperatores Iconoclastas, qui adversus illas impia ferre edicta fuerant ausi, insectatus: *His de rebus*, inquit, *statuere, atque decernere, non ad Reges pertinet, sed ad Concilia*. Magis autem explicuit se se ejusdem zelus in orat. 2. in hæc verba: *Regum partes non sunt, ut Ecclesiæ leges præscribant. Considera*

ſidera enim, quid dicat Apoſtolus: Quoſdam quidem in Eccleſia poſuit &c. *Ad Eccleſiæ conſtitutionem non adhibuit Reges*; *&* *rurſum*: Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis loquuti ſunt verbum Dei. *Verbum non loquuti ſunt nobis Reges, ſed Apoſtoli &c. Regum eſt civilis adminiſtratio, Eccleſiaſtica vero conſtitutio Paſtorum, atque Doctorum*. S. Theodorus Studites, qui apud Surium die 3. Aprilis in vita S. Nicetæ ita Leonem Armenum legitur alloquutus: *Nec tentes nunc, ò Imperator, Eccleſiaſticum ſtatum diſſolvere*; *ait enim Apoſtolus*: Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia &c. *Non dixit Reges. Tibi quidem, ò Imperator, civilis ſtatus, & exercitus commiſſus eſt*: *hæc igitur cura*: *Eccleſiam autem Paſtoribus, & Doctoribus derelinque*. Confer, qui Eccleſiaſticæ juriſdictionis pariter acerrimos vindices, & aſſertores ſe præſtiterunt, Hincmarum, de quo adeundus Natalis Alexander hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. IX, & X. diſſert. 8; Ivonem Carnotenſem, ex quo Cap. *Quum ad verbum* diſt. *96*; Gloſſam ibidem; Lupum Ferrarien. in epiſt. 81. ad Amulum Lugdun.; Arnulpum Lexovienſem in epiſt. 54. ad Alexandrum III; S. Thomam Cantuar. lib. 1. epiſt. *65*. ad Henricum Angliæ Regem; Bertrandum Auguſtod. in opuſc. de orig., & uſu juriſdict.; & Nicolaum Lyranum in Deuter. cap. 7: nam ſingillatim recenſere omnes nec vacat, nec intereſt.

Non omittendum tamen, quin obiter ſaltem adnotetur nihil antiquius Conciliis accidiſſe, quam a cauſſis Eccleſiaſticis laicos abſterrere, ac Clericos a laicorum curiis abſtrahere. Ita namque Antiochenum Can. 11, & 12. Clericis ſub depoſitionis pœna interdixit, ne querelas ad Imperatorem deferrent. Carthaginenſe III. Can. *9*. Clericos, qui ad laicos Judices confugerent, cauſſa tota excidere, quin etiam gradu voluit. Sardicenſe in Synodica ad Eccleſiam Alexand., & habetur Cap. *Placuit* 11. q. 1., teſtatur abſe preces apud Imperatores interpoſitas, ut laicos Judices ab Eccleſiaſticis cauſſis prorſus abſtinere juberet. Milevitanum II. cap. 19. ſancivit: *Ut quicumque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur*. In Codice Canon. Eccleſiæ Afric. eſt 104. Chalcedonenſe Canon. *9*. Clericos prohibuit, ne Epiſcopi proprii tribunali derelicto, ad lai-

laicum appellerent. Quam quidem legem Clericis pariter sanciverunt Andegavense I. Can. 1; Agathense Can. 8; Aurelianense IV. Can. 20; & Matisconense I. Can. 8, Clerico, qui secus faceret, caussamque suam ad laicos deferre præsumeret, inflicta pœna vel 39. verberum, vel carceris 30. dierum. Ut autem verbo complectar, confer quoad Clericorum caussas civiles, quæ Laicorum cognitioni easdem subtrahunt, Concilia Arelatense II. Can. 31; Veneticum Can. 9; Toletanum II. Can. 3; Aurelianense III. Can. 32; Aurelianense V. Can. 17; Antisiodorense Can. 35, & 43; Toletanum III. Can. 13; Remense I. Can. 6, & 18; Cabilonense anno 650. Can. 11; Romanum I. sub S. Zacharia P. M. Can. 12; Avenionense anno 1326. cap. 9; & Vaurense anno 1368. cap. 36. Quoad caussas vero criminales Clericorum, videsis Concilia Epaonense Can. 11; Matisconense II. Can. 9, & & 10; Parisiense anno 615. Can. 4; Berghamstedense Can. 1, & 22; Avenionense, & Vaurense locis mox indicatis. Conferre item juvat Cap. *de Presbyteris* 28. distinct., C. *Satis* distinct. 97; C. *Nulla* 6; C. *Relatum* 14; C. *Clericus* 48. 12. q. 1; Cap. *Clerici*, & Cap. *Quum non ab homine de Judiciis*.

Ecclesiam proprio potiri foro, exemptamque a profano prorsus, quid quod ultro citroque fassi, ac professi sunt Imperatores ipsi? Constantinum M. Cæciliani caussam a Donatistis ad se delatam ad Episcopos dirimendam dimisisse: ab Episcoporum sententia eosdem ad suum appellentes tribunal non absque indignatione repulisse auctor est liquidus, locuplesque S. Augustinus in epist. 43, 45, 69, 93, & 95. *Meum judicium*, ita loquentem, ac indignantem S. Augustinus in epist. 43. inducit, *expostulant, qui ipse judicium Dei expecto... Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet... O rabida furoris audacia! Sicut in caussis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt... renuentes cæleste judicium, meum putaverunt postulandum*. Qui si demum hominum improbitate fatigatus judicium suum protulit, id egit, ut furendi perversis illis finem imponeret, non quod id sibi fas esse putaret, atque ita quidem huicce se caussæ implicaret, ut veniam postea ab Episcopis petiturus esset, sicuti S. Augustinus in epist. 45. loquitur: *Eis cessit, ut de illa*

illa caussa post Episcopos judicaret, a sacris Antistitibus postea veniam petiturus. Religionis istius, qua ab Ecclesiasticis caussis abstinebat, egregium specimen etiam exhibuit cum in Edicto ad Ablavium Prætorio Præfectum L. 1. *de Episcopali judicio* Codic. Theodos., quo Episcopis caussas Ecclesiasticas integras detulit, eorumque judicia honore haberi summo, ut decebat, jussit: tum in Concilio Nicæno, in quo ingentem sibi oblatam libellorum copiam, quibus multiplici infamiæ nota Episcopi quamplures aspergebantur, igni devovendo dixisse *Mihi non est fas, quum homo sim, ejusmodi caussarum cognitionem arrogare, præsertim quum & qui accusant, & qui accusantur Sacerdotes sint. Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque judicandi; & ideo nos a vobis recte judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari* refertur a Socrate lib. 1. cap. 8; a Sozomeno lib. 1. cap. 17; a S. Optato lib. 1, & S. Augustino epist. *166*. Non moror autem Dupinum differt. ult. aliorsum id accipientem, idest a Constantino accusationum libellos igni comburendos ideo traditos, ut contentionis inter Episcopos occasionem omnem amputaret, facto tamen ipso palam fecisse, quid sibi juris in ejusmodi caussis tuto liceret: nam factum approbe explicant apertissima Imperatoris dicta, atque nonnisi per vim, & injuriam adhibitam a Dupino interpretationem demonstrant.

Constantini igitur vestigiis insistens Valentinianus I. Hypatio Heracleensi Antistiti obsecranti, ut ad Concilium convenire Episcopis per ipsum fas afforet, quam rite, tam religiose respondit: sibi, qui unus e laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere, sicuti narrat Sozomenus lib. *6*. cap. 7. Quemdam itaque Episcopum Chronopium nomine in Synodo condemnatum ad sæculare tribunal appellantem indigne ferens, ideo pro ingenti facinore pœna pecuniaria pauperibus eroganda punivit L. 20. *Quorum appellationes* Cod. Theod. Nec prope, nec procul ab iisdem vestigiis aberrasse sive Gratianum, sive Theodosium I. liquet inter alias cum ex L. 23. *de Episcopis, & Clericis*; tum ex L. 3. *de Episcopali judicio* Cod. Theodos. Gothofredus equidem, aliique post ipsum e Protestantium grege, quibus accessit Petrus Jannonus, posteriorem hanc legem, aliasque sub titulo

tulo præmemorato *de Episcopali judicio* pseudo-epigraphis adjudicant. Verumtamen tanquam genuinas dubio omni procul defendunt Cujacius paratit. in lib. 1. Cod. Justin. tit. 4. *de Episcop. audient.*, Morinus de Magnitud. Eccles. par. 2. cap. 26; Sirmondus in append. Cod. Theod.; & Johannes le Gendre in orat. habita anno 1690, ac Clero Gallic. dicata: atque utique velut germanæ extant in Breviario Codicis Theodos. anno 506. auctoritate Gajoaris sub Alarico Quæstorem, & Cancellarium agentis, operaque Aniani sub eodem Rege delatoris officio defungentis adornato. Quod autem nominatim attinet ad Constitutionem Constantini M. ad Ablavium, quam potiori conatu impetunt Protestantes, præterquam quod eadem inserta legitur præl. in Breviario Codicis Theodos.; & in Capitularibus Caroli M. lib. 6. capit. 281, ejusdemque mentio occurrit in Concilio Valentino III. anno 885. habito capp. 35, 36, & 37; Caus. 11. q. 1; & Cap. *Novit* 13. *de Judiciis*; meminereque Eusebius lib. 4. vitæ Const. cap. 27; Sozomenus lib. 1. hist. Eccles. cap. 9; acriter defendunt, ac vindicant Baronius ad annum 314. n. 37, & seq., Valesius in Notis ad lib. 4. cap. 27. Eusebii; Sirmondus in append. cit.; Cujacius ad L. 14. *de Dot. Prælat.*; Johannes le Gendre præcit. orat.; atque ex Protestantibus Seldenus in *Uxore hæbrea* lib. 3, cap. 28; *de Synedriis* lib. 1. cap. 10, & in dissert. ad Fletam cap. 5. §. 6. Quo de argumento copiosius alibi erit agendum.

His ipsis hærebat exemplis Honorius, nihilque habens antiquius, quam officii sui erga Ecclesiam perfecte omnes explere partes, Ecclesiæ jurisdictionem, libertatem, indemnitatem repetitis Legibus 21. *de Extraord., & sord. muneribus*; 30, 31, 34, & 40. *de Episcopis* Cod. Theodos. loco stabilire suo curavit. Certior etiam factus rerum, quæ Constantinopoli per summum nefas adversus S. Chrysostomum fuerant patratæ, Arcadium per epistolam admonere non prætermisit, ne hisce negotiis, quæ e re sua non erant, ullo se immisceret modo, sed magis incidere, quod facile evenire posset, in Dei offensam pertimesceret: *Quum siquid*, inquiens, *de caussa Religionis inter Antistites ageretur, Episcopale oportuerit esse judicium: ad illos enim divinarum rerum in-*

terpretatio, ad nos Religionis spectat obsequium. Quæ egregia utique sententia utinam animo infixa Valentiniano III. hæsisset! Abstinuisset etenim, ut par erat, ab iniqua lege, Christiano Principe indigna, promulganda, quæ legenda prostat tit. 12. *de Episcopali judicio*, qua videlicet ab Ecclesia judiciale forum, sive tribunal abstulit. Neque propterea supremi Numinis in se provocasset indignationem, quemadmodum observavit Emin. Baronius ad annum 452. pag. 177. edit. Rom. anni 1607. Quamquam hac agendi ratione secummet pugnavit, qui paullo ante L.47. Cod. Theodos. *de Episcopis, Ecclesiis, & Clericis* grande reputaverat nefas Dei Ministros Potestatum temporalium arbitrio subjacere: hanc autem legem Ecclesiæ adeo incommodam a Majoriano deinde abrogatam testatur Anianus in scholiis ad prælaudatam L. 12. *de Episcop. judicio*. Rectius ad veritatem, ac religionem incessit Marcianus Augustus, qui in Concilio Chalcedonensi percupiens pleraque decerni de obsequio Monachorum erga Episcopos; de Monasteriis, nisi adnuente Episcopo, non ædificandis; de Clericis a sæcularibus negotiis arcendis; ac de residentia Episcoporum in Ecclesiis, hæc omnia sua nequaquam auctoritate, sed Synodi decernenda agnovit, rogavitque verbis illis act. 6. relatis: *Quædam Capitula sunt, quæ ad honorem vestræ Reverentiæ servavimus, decorum esse judicantes a vobis hæc canonice potius firmari per Synodum, quam nostra lege sanciri*. Quam ob religionem laudibus exornatus est a Facundo Hermian. lib. 12. cap. 3: *Cognovit ille*, inquiente, *quibus in caussis uteretur Principis potestate; & in quibus exhiberet obedientiam Christiani. Ideo enim non solum a fidei definitionibus abstinuit, sed etiam noluit novos constituere Canones; quod nonnisi multis, & in unum congregatis Sacerdotibus licet*. Quæ hancce in rem probe conferre possunt, loca quamplura ex Imperatoribus qua Orientis, qua Occidentis producta recolito, si non piget, par.1. art.9. §.1, quæ retexere non præstat: quibus adhuc unam adnectam quam claram, tam præclaram Basilii Imperatoris sententiam, qui in Synodo VIII. act.10. ita Patres alloquutus legitur subscripturus Photii damnationi, ac S. Ignatii in sedem suam restitutioni. *Datum non est laicis secundum Canonem jus dicendi quidquam de Ecclesiasticis caussis: opus*

enim

enim hoc Pontificum, & Sacerdotum est: quia etsi laicus omni pietatis, & sapientiæ laude præstet, tamen laicus est, & Ovis, non Pastor.

Referendo nunc sermonem ad Francorum Imperatores, & Reges, atque, quæ hacce in re de potestate Civili, & Ecclesiastica persuasio intima ipsis hæserit, perscrutando, & inquirendo, e vestigio perspicitur insignis, qua a pseudo-Politicis afficiuntur toties calumnia, quoties tanquam jurium Ecclesiasticorum pervasores inique traducuntur. Deterrimæ certe calumniæ inustam notam non uno in loco amolitur Carolus M.: nam Capitular. lib. 1. capit. 38. ad unum Episcopum attingere de Clericorum caussis dignoscere, & dijudicare, ideo quod sæculari potestate præstet, superiorque sit, fatetur, & profitetur. Capit. 179. Clericos, & Monachos a tribunali suo prorsus arcet, proculque amovet, ideo quod ea agendi ratio sibi visa fuerit sacris Canonibus vim inferre; Ecclesiæ vigorem infringere; statumque Ecclesiasticum, ac religiosum viliorem efficere. Capit. 225, & 227. coram Episcopo caussas Ecclesiasticas ad unam omnes, sive Civiles, sive Canonicas sisti, agitarique sancit. Lib. 5. capit. 403. Laicos omnes potestate omnino exutos de facultatibus Ecclesiasticis disponendi aliquid declarat. Lib. 6. capit. 107. Laicis omnibus facultatem adimit Clericos deferendi ad sæculare tribunal, cujus rei hanc reddit rationem, quia nimirum Apostolus Christianorum caussas ad Ecclesiasticos Judices deportari, ibidemque determinari præceperit: & capit. 210. Constantini M. in Concilio Nicæno, ac Valentiniani sacrata verba paullo superius laudata propria faciens, Episcopos excellentis dignitatis ratione habita a suo exemptos omnino esse tribunali ultro citroque affirmat, confirmatque. Caroli M. autem vestigiis religiose inhæsisse deinceps Francorum Reges persuasum facile ei erit, cui eorumdem erga Ecclesiam, ac Romanam quam maxime, religio perspecta sit; fietque probe perspicuum recolenti, quæ par. 1. art. x. §. 11. tradita sunt, quin eadem nunc retexantur. Ex quibus illud adeo illustre profert de S. Ludovico in ipsius vita Guillelmus de Nagiaco, quem nempe refert gravissima epistola conquestum apud Fridericum Imperat., propterea quod Gallicanos Antistites

ad Pontificem accedentes: *Cui tam ex fide, quam ex obedientia tenebantur, nec ejus poterant recusare mandata*; captos detineret in custodia.

Verbo id unum subjungere juvat modo, & interest Capitularia equidem a Francorum Regibus frequentissime adornata plurimum circa res Ecclesiasticas obversari, deque Ecclesiasticis rebus, ac Ministris pleraque decernere: at vero eadem Capitularia Ecclesiæ auctoritate potissimum edita, ac confirmata fuisse, quamvis inficias eat Baluzius in præfat. ad eadem Capitula §. 10, quinimo gravem conflaverit Gretzero invidiam, tanquam qui insignem, atrocemque injuriam Principum dignitati, ac potestati intulerit, propterea quod dixit Capitularia ista nonnisi ex Episcoporum, Conciliorum, ac Pontificum auctoritate prodiisse, plurimis tamen probant Baronius ad annum 819; Gretzerus ipse, Pagius ad annum 909. n. 1, & Charlasius de libert. Eccles. Gallic. lib. 5. cap. 10, adeo ut nec id negare, ac in dubitationem adducere sit ausus David Blondellus e Calvinistarum secta homo. Confirmant hoc autem Concilii Troslejani anno 909. celebrati Antistites, a quibus cap. 3. *Canonum pedisequa* Capitularia appellantur; & Hincmarus in formul. promot. Episcop. tit. 18. cap. 6. affirmans Capitularia Ecclesiæ accepta evasisse. Eam ob caussam Capitula cum Herardi Turonensis, tum Isaaci Lingoniensis, quæ alioquin accepta liquent ex libris Capitularium, ex SS. Canonibus excerpta dicuntur: atque pleraque a Gratiano passim in collectionem suam Canonum sunt derivata. Propius vero patet ex Capitulari Childeberti anno 554. apud Baluzium, & Labbeum tom. 6: de Capitul. Clotarii II. ex Concilio Parisiensi V. anno 615: de Capitul. Carolomanni ex Concilio Liptinensi anno 743. juxta Pagium, aut 744. juxta Cointium, apud S. Bonifacium Mogunt. in epist. ad S. Zachariam P. M.; & Benedictum Levitam in præfat. ad tres posteriores libros Capitul.: de Capitul. Pippini ex epist. 7. S. Zachariæ; atque in Synodo Suessionensi anno 744. habita, quam quidem veluti commentiam, non secus ac Germanicam, & Liptinensem, rejecit Papebrochius in Propylæo antiq. par. 1, tanquam germanas attamen probant Baluzius in notis ad lib. Capitul. pag. 1200; Mabillonius de re diplom. lib. 2. cap. 25;

cap. 25; & Pagius ad cit. annum n. 9: de Capitul. Caroli M. ex lib. 6. cap. 96; & Concilio Francofordiensi cap. 55: de Capitul. Ludovici Pii ex Capitul. Ingilenheimensi, & Wormatiensi apud Hincmarum in lib. de divort. Lotharii, & Theutbergæ; ac Benedictum Levitam lib. 6. capit. 267: de Capitul. Caroli Calvi ex Lupo Ferrar. in epist. 81. ad Amulum Lugdun. Confer & lib. 7. capp. 91, 104, 187, 205, & 267: nec non addit. 4. lib. 7. cap. 12. Quocirca Innocentius III. Cap. *Ecclesia de Constit.* de legibus loquens a laicis latis, rite dixit: *A quibus, siquid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiasticorum etiam respiciat commodum, & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.* Videlicet laicas leges, etiamsi videantur utiles, in rebus Ecclesiasticis solius Ecclesiæ voluntate, & sententia valere.

Quæ quum ita a primo ad postremum se habeant, patet profecto appellationem, tanquam ab abusu, ad laicam potestatem interponere, tanquam ad Judicem, rem esse proculdubio illicitam, atque inhonestam, quæ nullo queat tenere modo. Quandoquidem autem ita appellare ab abusu, quin Judicis persona appelletur, & qui appellatur, Judicis personam non induat, ardua res est, ac difficillima, proinde appellationem hujusmodi ab abusu rem esse periculi, aleæque plenam fatentur ex Jurisperitis ipsis Gallis quamplures: Faber in Codic. lib. 7. 28. deff. 3. appellationes hasce nuncupans *Speciem omnium odiosissimam*: Rebuffus in proæmio Concord. V. *Summas* Judicis laici appellationes hujus genus admittendi licentiam justi, æquique intra limites hosce cohibens: *Quatenus a jure conceditur, vel ex privilegio, non alias, ut est Textus in* Cap. Si quis a proprio; & Cap. Si quis Episcopus 21. q. 5; *Alioquin*, subjungens, *& is abusus multos deducet ad Inferos*: Guymerius in præfat. ad Pragmat. Sanct. §. *Cum itaque* ab appellationibus hujusmodi *Ecclesiasticam libertatem, ac jurisdictionem turbari, & lacerari* non absque dolore affirmans: Masuerius tit. de appellat. §. 22; & Johannes Gallus in quæst. 161. *a Judice Ecclesiastico non esse appellandum ad Judicem sæcularem* de jure testantes, ac de facto inusitatam fuisse in Galliis hanc consuetudinem asserentes; quam pariter jampridem nunquam admis-
sam

ſam faſſus eſt Petrus ipſe de Cuneriis artic. 14. apud Petrum de Marca lib. 4. cap. 19: Jacobus Duhamel in opuſc. ſub hac epigraphe: *Politia Regis in perſonas, ac res Eccleſiaſticas* appellationem quaſi ab abuſu *eſſe viam ad tribuendam Curiis* (laicis) *rerum ſpiritualium cognitionem, quæ alias non pertinet ad ipſas*: Burdinus demum Procurator in Senatu Pariſienſi apud Fevretum lib. 1. de abuſu cap. 1. appellationes hujuſmodi ideo dixit inductas nedum, ne Judices Eccleſiaſtici ſæculari juriſdictioni ſe ingererent; ſed imo ne ſæculares Eccleſiaſticam invaderent, ad ſuumque traherent tribunal.

Graviores in querelas de appellationibus ab abuſu, deque abuſu laicæ poteſtatis harum prætextu, effuderunt paſſim ſe ſe Eccleſiarum Præſules. Petrus Bertrandus contra Petrum de Cuneriis de intollerando appellationum iſtiuſmodi abuſu non multo ante inducto decertavit. Epiſcopus Ambianenſis in orat. ad Regem Gallicani Cleri nomine habita anno 1666. tom. 5. actor. ejuſdem Cleri inſerta exinde rerum humanarum, divinarumque perturbationem, confuſionem, ac perverſionem in Eccleſiam Gallicanam exundaſſe acerbe doluit. Auctor tract. de juriſd. Eccleſ. tom. 1. eorumdem actor. relatus *Omnium malorum, ac vulnerum Eccleſiaſticæ juriſdictioni, ac diſciplinæ illatorum maximum* in appellationes ejuſmodi ab abuſu refudit. Has aboleri omnino, aut modum ſaltem illis adhiberi juſtum Clerus Gallicanus in Comitiis anno 1635. Pariſiis celebratis deſideravit, obnixeque eſt deprecatus: cujuſmodi vota ſæpius inſtauraſſe habetur tom. 5. actor. Quibus vero acerbis querelis apud Lafitæum lib. 5. hiſt. Conſtit. *Unigenitus* pag. 234. Clemens XI. Pontifex M. dolorem ſuum non prodidit, quum accepit ſub appellationis tanquam ab abuſu obtentu Conſtitutionem ſuam *Paſtoralis officii* a Curiis nonnullis; non abſque temeritatis inſigni nota, ne prodiret in vulgus, prohibitam, ex adverſo vero appellationes ab eadem Conſtitutione a refractariis quam impudenter, tam impune interponi, & admitti! Atque ita plane quidem ex impetu, quem impuniſſime facere in Juriſdictionem Eccleſiaſticam Judicibus laicis pronum eſt, atque ex multiplici, qui in hiſce appellationibus ab abuſu, permiſceri abuſum, ut ita loquar, facile obtingit, quis probe non per-

perſpiciat, poteſtatem Eccleſiaſticam in declivi ita poni, ut tandem peſſum abituram præſagire recte poſſit?

Enim vero quum Judex laicus, ad quem a Judice Eccleſiaſtico interponitur appellatio, veluti ab abuſu, Judicem Eccleſiaſticum ſuo revera abuſum poteſtate, ſive poteſtatis ſuæ limites prætergreſſum fuiſſe pronunciat, id eodem recidit, ac ſi pronunciet a Judice Eccleſiaſtico ſententiam fuiſſe prolatam contra Canones, privilegia, aut receptas conſuetudines: ita autem pronunciare quid, amabo, eſt aliud, quam pronunciare ſententiam contra Judicem Eccleſiaſticum, eique exprobrare, quod in Canones, privilegia, & conſuetudines peccarit? Id autem iterum ut Judici laico rite pronunciare liceat, de ipſa lite inveſtigare, deque inſtrumentis litis inquirere oportet: at ita agere, quid eſt aliud, rogo, quam Judicem agere, inque re Eccleſiaſtica in Eccleſiaſticum Judicem Judicis perſonam induere, ac jus dicere? Rurſus vero rite ne ſemper Judex laicus pronunciabit Judicem Eccleſiaſticum poteſtate abuſum fuiſſe ſua, aut juſtos prætergreſſum fines? Quid ſi affirmet ille, iſte autem neget? Quis itaque non videat hacce via aut litibus finem nunquam fore imponendum; aut futurum facile, ut Eccleſiæ leges impune eludantur, aut earum impediatur executio? Præterea juſtus, qui poteſtati Eccleſiaſticæ imponi deſideratur tantopere modus, profecto laicæ itidem debet imponi: juxta hunc itaque Judex laicus hacce pronunciandi facultate non potietur in quibuſcumque cauſſis, ſed in quibuſdam dumtaxat, id eſt non in mere Eccleſiaſticis, ſed in mixtis tantum: at quinam erunt, & quotæ, obſecro, caſus iſti, & cauſſæ, in quibus Judici laico id liceat? Quum proclive ſit cuilibet a Judice Eccleſiaſtico jus paſſo conqueri de injuria ſibi inuſta, de violato Canone, de poſthabito privilegio, de labefactata conſuetudine, ita uno gradu fiet, ut appellatio tanquam ab abuſu interponatur, atque perinde laicus Judex in quamlibet cauſſam Eccleſiaſticam immigret. Petrus de Marca equidem caſus ejuſmodi deſignare enixus eſt, qui locum appellationi velut ab abuſu præbeant, ſi agatur ſcilicet de uſu receptis Canonibus, aut conſuetudinibus: ſi de privilegiis, indultiſque probatis: ſi de publica offenſione, ac ſcandalo removendis: ſi de oppreſſo vi Epiſcopo, aut Clerico: ſi

de

de laica ipsa jurisdictione deminuta &c. Verum præterquam quod Jurisperiti alii circa ejusmodi casus non conveniunt, nec ipsi consentiunt, ut propterea Guymerio in proæm. ad Pragm., & Clero Gallicano frequens in votis fuerit, etsi frustra, ut definirentur demum species, & caussæ, in quas caderet hæc abusus appellatio, quis non perspiciat Judici laico in proclivi futurum, quoties contra Judicem Ecclesiasticum pronunciare in desiderio habeat, casum tum ejus generis evenisse, in quo potest, affirmare, aut voto fingere? Postremo, quum hæc omnia, quæ hisce in casibus a laico Judice præstantur, præstari æque ab Ecclesiastico possint, non ne satius, æquitati consentanius, jurique accomodatius, ut ab Ecclesiastico ad Ecclesiasticum pro revisione caussæ, aut pro rescissione sententiæ recurratur? Porro laicum Judicem Ecclesiæ jura invadentem cohiberi ab aliis Judicibus laicis volunt Petrus de Marca lib. 4. cap. 20, & D. Fleurius Instit. Canon. par. 3. cap. 24. Eccur ergo Judicem Ecclesiasticum in laica jura immigrantem, compescere, intraque orbitam proprii juris coarctare ad alios Judices Ecclesiasticos pariter non pertinebit? Præterea si Ecclesiastica potestas de Judicis sæcularis in caussis sæcularibus sententia cognoscere nullo permittitur modo; congruentius profecto, æquiusque est, ut sæcularis potestas ab Ecclesiasticis caussis abstineat se se, nec eas audeat ad tribunal suum trahere. Confer Cl. Thomassinum vet., & novæ discipl. par. 2. lib. 3. cap. 105, & seq., & Charlasium lib. 6. de libert. Eccl. Gallic., ubi horum similium habent cumulatissima, quæ summis, velut ajunt, digitis attigisse satis nobis est, ac super.

Atque hæc quidem, utcumque se habeant, quantum pertinet ad defensionem, & protectionem, quam Ecclesiæ impendere Principes tam debent, quam possunt, ex hactenus disputatis, ut dicam verbo, ita accipi debere demum adparet, ut Principalis potestas ad Ecclesiasticæ jurisdictionis subsidium concurrat, non ad subversionem conspiret. Quoad alterum vero caput attingit, protectionem, & defensionem, quam ad redimendas injurias ab Ecclesiasticis personis inflictas, privatis conferre ad se confugientibus Principis officio perinde cedit, ita quoque intelligatur, ut dum ad alterius injurias ulciscendas accurrit, ad alienum jus violan-

landum, aut invadendum non transcurrat; sed ita æqui, justique intra terminos se temperet, ne quantum præsidii afflictis privatorum rebus affert, præjudicii tantundem publicæ, superiorique potestati inferat. Ego quidem inficias non eo, neque abs veritate prope, sive procul abhorrere dubito eorum doctrinam, qui imo ex naturali jure descendere propriæ innocentiæ, privatique etiam juris defensionem, tuitionemque propugnant; adeo ut, si quando a Summo Pontifice (quod admodum difficile tamen futurum reputari debet) sententia manifeste injusta prodiret, modeste, ut par est, non obtemperare fas foret, Principalis quin etiam potestatis, ut intercedat, & interpellet, opem, operamque implorare, & interponere, dummodo tamen sequentes incidant conditiones, ad quas intendi diligenter in antecessum doctores jubent: videlicet si sententia manifestissime sit injusta; de injustitia vero sententiæ Pontifex admonitus, rogatusque, ut rescindat, nolit a sententia recedere: sicque ex refugio ad Principem, repulsaque Pontificis Ecclesiæ pax non sit perturbanda, nec in Ecclesia scandalum ingens suboriturum, nec Ecclesiasticæ jurisdictioni grave incommodum immineat, aut invidia gravis incumbat: siquidem bono publico tum cedere privatum bonum oporteat. Quemadmodum enim, qui injuriam patitur, se defendere, quo licet, modo potest, ita si non possit, alterum in sui defensionem accersere, qui defendens defendendi juri subnixus id præstare totum poterit, quod illi si posset, per semet præstare fas foret: quare quum alterum non suppetet redimendi se remedium, tum defensionis hunc modum potestati laicæ præstare licebit. Quo loci ea lex quoque religiose servanda est, quod sicuti singularis persona ab alio quopiam vim passa, alterius adversus illum vim adhibere nequit, neque imo, si res posita in extremo non est, propriam extemplo exerere, sed superiorem adire Judicem debet: quippe si cuique in facultate positum esset sibi jus dicere, ac injurias ulcisci, aut ad dicendum jus, ulciscendasque injurias alterum in adjutorium advocare, quies publica susquedeque perverteretur: unde legibus id optime cautum, prospectumque est L. *Non est singulis* 176. ff. *de Regulis juris*; L. *Nullus* 14. Cod. *de Judiciis*; ac pluribus docet Puffendorfius

de jure N., & G. lib. 5. cap. 5. §§. 16, & 17: multo minus adversus Ecclesiæ Tribunalia, minimeque adversus supremum Pontificis, sæculares vires adsciscere licet, sed superior Ecclesiæ Judex est adeundus, ut aut inferioris redintegret judicium; aut ipsemet rogandus, ut suum recognoscat, rescindatque, ut habetur capp. 7, 16, & 55. *de Appellationibus* in 6; docentque Ivo Carnotensis in epist. 159, & S. Bernardus in epist. 108; neque inficias it ipsemet Petrus de Marca lib. 4. cap. 20.

Jam vero a generalibus hisce gradum faciendo ad particularia, quid (ut cogitatione ita fingatur, quod factu difficillimum est) si inferioris judicis sententiam injustam confirmet Pontifex, aut ipsemet in sententia injusta ab se prolata obfirmetur? Quid tum poterit, quove poterit modo laica Potestas? Numne, nullo altero modo obtinente, mentem, manumque scuto, teloque animare, armareque, ac veluti vocant, vim vi repellere, ac repercutere? Eo nunc excepto casu, in quo de re mere civili, ac temporali, Principem ipsum inter, qua publicam gerit personam, atque Pontificem, qua temporali pariter gaudet Principatu, lis intercederet, in reliquis pro responsione Hugonis Grotii, ejusdemque Commentatorum Gronovii, ac utriusque Cocceji, fateor, præ aliis tanquam probabilior adhibenda mihi, amplectendaque videtur doctrina; quam tamen quoadusque amplecter, paucis expedio. Docet videlicet lib. 1. de Jure B., & P. cap. 4. §. 2., & seqq. bello Superiores appetere illicitum omnino esse, ac vetitum legibus naturali, ac divina, sive Mosaica, sive Evangelica, uti probat, comprobatque veterum Christianorum exemplis, & claris Patrum testimoniis. Opinionem proinde Hottomanni; Petri Martyris in Judic. 3; Paræi in 13. ad Roman.; Junii Bruti, & Danæi lib. 6. Politic., aliorumque erroris putidi arguit, propulsat, atque profligat, qui jus obsistendi Principi injusta jubenti privatis quidem adimunt, Magistratibus tamen publicis attribuunt. Quamquam & ipse postea §. 7. exceptionem hanc apponit, quod tum demum liceat subdito in Principem insurgere, quum vitæ discrimen incumbit. Gronovius ex hac exceptione a Grotio adhibita alteram quoque deduxit in notis ad hunc locum, videlicet ob Religionis, quam Princeps subvertere adniteretur, defensionem subditis fas

esse

esse in Superiores arma capessere. Coccejus uterque Henricus, & Samuel, Pater, & filius in Comment., & addit. ad hunc locum Grotii principium hoc statuunt, quod quidquid ad Ευδημόνιαν attinet, sive ad Reipublicæ regimen, comprehenditur sub Imperii potestate, ex quo inferunt, nequidem jure defensionis necessariæ subditis bellum in Superiores licere: atque quidem expresse Coccejus filius in addit. ad §. 7. Grotii exceptionem explodit. Casu tamen, quo Magistratus manifeste boni publici limites perrumperet, atque ad Reipublicæ subversionem conspiraret, (quo in casu velut privatum haberi, non ut publicum Superiorem volunt,) tum demum Magistratum potestate excidere, ac proinde fas esse adversus eumdem eniti Coccejus uterque concedunt. Porro casus hosce sive a Grotio, sive a Coccejo, sive a Gronovio excogitatos, exceptosque ex parte Romani Pontificis locum habituros nunquam certum, ac constantissimum mihi est, esseque orthodoxis omnibus oportet. Igitur juxta principia optimo loco ab his Protestantibus stabilita (qui tamen si de Civili dumtaxat accipi ab se dicta velint, non etiam de Ecclesiastica potestate, tum demum pugnare secumnet andabatarum more apertissime revincuntur) Christiano homini, quam in Pontificem insurgere, potestatisque laicæ vires invocare, potius injuriam pati, patienterque inlatam perferre, officio, religionique cedit; nefasque perinde ei erit, (prout idem Grotius lib. 2. cap. 4. §. 13. habet, provocandi nempe facultatem ad summum Imperium, aut partem ejusdem pertinere,) a Pontificis sententia appellationem ad potestatis laicæ, ac Principalis etiam tribunal interponere: quatenus a superiori interponeretur semper ad inferiorem: quod neque valet, neque unquam licet.

Resolvenda nunc remanent, ac paucioribus, quoad ejus fieri poterit, quæ ad tuendum Principale jus circa Ecclesiasticas caussas, ullo absque delectu objecta ab Adversariis excepimus. Atque ad 1. quidem hoc habeant responsum. Principio quod ex Jvone, & Gratiano referunt de S. Leone IV. Ludovici II. Imp. judicio submittente sese, ex proculdubio pseudo-epigraphis productum argumentum probant, faciuntque planum temporis, ac personarum circumstantiæ: quodque circa Leonem III. contigit,

 rei

rei gestæ turbata serie, Leoni IV. turpi errore tributum est. Ex iis autem, quæ in caussa S. Leonis III. acta in Concilio Romano sunt Carolo M. coram; ex iis quoque, quæ in causa Anastasii Presbyteri a S. Leone IV. Romæ in Synodo altera statuta sunt, liquido adparet, quam abs vero immaniter aberrent, qui Pontificis auctoritatem, aut sententiam Principis, aut Synodi judicio subjugare non verentur. Confer horum Conciliorum acta apud Harduinum tom. 4. pag. 935; & tom. 5. pag. 75; nec non Anastasium Bibl. in vita S.Leonis III; & Annalistam Bertinianum tom. 3. hist. Francor. ad annum 868. de S. Leone IV. Præterea S. Leonis III. cum Romanis res erat non de caussa Ecclesiastica, sed de jure civili, quod a Pontifice violatum conquesti apud Imperatorem sunt, quodque perinde sibi non redditum ulturi Pontificem inhumaniter habuerunt. Quum igitur tum temporis Romanæ Urbis Patriciatum gererent Francorum Reges, cujus insignum a S.Gregorio III. mos occeperat ad ipsos mittendi Claves Confessionis S. Petri, Urbisque Vexillum, quæ reipsa ad Carolum Martellum ipse miserat, ac postea ad Carolum M. S.Leo III, uti plurimis ostendunt viri doctis. Pagius Junior in SS. Gregorio, & Leone; ac Gentilius de Patr iciis lib.3. capp. 1, & 2; Patriciatui autem hujusmodi ex parte,(nam potior apud Pontificem erat, non etiam apud Romanos, ut adversus Goldastum, Du-Cangium, aliosque demonstrat laudatus Gentilius cap. 5.) conjuncta quum esset potestas de Romanorum rebus civilibus dignoscendi, & dijudicandi, proinde adversus Pontificem apud Carolum M. Romanos Cives expostulasse pronum est, ab eoque missos fuisse quosdam, a quibus una cum Pontifice jus diceretur, sive jus dictum jam a Ponfice aut confirmaretur, aut si opus afforet, redintegraretur.

Alexandrum III, & Innocentium III, quod attinet, ac quotquot, verbo, Pontifices MM., qui sacrorum Canonum se vindices, & custodes quam vere dixerunt, tam religiose exhibuerunt, id eo sensu dumtaxat significatum accipi debet, quod absque necessitate, aut utilitate relaxare Canones religio eisdem esset; non quod deesset relaxandi facultas: quas juxta regulas praxis laude omni digna Romanæ Curiæ jampridem obtinet dispensationes

nes non elargiendi, nisi sub ea lege, ut justa necessitas, aut utilitas interveniat. Cæterum enim alterutra ex duabus his conditionibus, *necessitate* videlicet, aut *utilitate* intercedente, de rigore canonum remittendi Pontificibus summis in more positum fuisse plurimis superius probatum est, comprobatque vel Ecclesiæ Gallicanæ usus, cui nihil quo antiquius, eo acceptius, quam passim, pro hujus genus impetrandis indulgentiis, ad Pontificem appellere, accidere potest. Morabor haud multo heic minus a Nicolao II, Martino V, aliisque Pontificibus horum simillima indulta privilegia: quæ etenim Regibus ex privilegio a Pontificibus elargita leguntur, quis prudens, probusque inter juris proprii Regum, ac Principalis particulas transcribat? Quamquam hujusmodi privilegiis nec unquam Principibus facta facultas est judicandi de rebus Ecclesiasticis, sed curandi dumtaxat Ecclesiasticas res, ideft ne Ecclesiasticis sive rebus, sive personis, sive locis injuria a quopiam irrogaretur. Quid imo id quoque prospectum, expresseque cautum voluere Pontifices, ne propterea ex hujusmodi privilegiorum benignitate, indulgentiaque quidquam Sedis Apostolicæ dignitati obveniret detrimenti, aut juribus summis jacturæ, ipsiusque auctoritas minores intra, angustioresque terminos arctaretur, sicuti explicatissime in Concordatis sive Germanicis, sive Bononiensibus cautum legitur a Martino V, & Leone X.

Neque vero nos urgent ullo modo ex Conciliis objecta in contrarium momenta: non ex Agathensi, nam eo loci jussionem Regiam ideo inter caussas recensuit, ob quas Synodo abesse tum demum Episcopo liceret, quod is a Rege jussus grave alteri negotio incumberet. Quorsum enim alioqui Can. 8. adeo districte a laico tribunali Clericos absterruisset, & Can. 9. devote adeo SS. Innocentii, ac Siricii decretales observari demandasset? Neque ex Francofordiensi, a quo etiamsi daremus hanc potestatis Regi factam particulam, ut de caussis Ecclesiasticis ultimo cognosceret, non exinde exurgeret jure proprio ad Principes pertinere in Ecclesiasticis caussis judicium ferre; sed id proferre dumtaxat jure privilegii ab Ecclesia concessi. Verumtamen ego quidem, aut fallor, in eam propensius opinionem feror, quod hacce

in re,

in re, non secus atque in aliis, Synodus ista extremum in errorem prolapsa, aut proprium jus turpiter non tam prodegerit, quam prodiderit, aut potestatis suæ terminos sit temere prætergressa, cujusmodi proinde Canoni Pontifices auctoritatem suam denegaverint nedum, sed omnem imo detraxerint. Ex eo vero conjecturam facio, quod, ut alio in loco ex Cl. Lupo adnotavi, tum temporis Galliarum Antistites magna ex parte ignobiles, ignarique, quam maxima juris Ecclesiastici ignorantia laborabant, eoque magis, quod Principum gratia detinerentur, ideoque fierent ad assentandum proclives, illorumque placitis, voluntatique facile devincirentur; ut nihil mirum sit propterea, si hanc juris particulam ultro citroque ad laicum forum detulerint, inferrique a laicis injuriam non ægre admodum, inviteque ferrent. Quamquam res Ecclesiasticæ sub ea ætate in Gallia turbatæ summopere excusatione dignos non nihil efficiunt, nec levi ab invidia liberant Patres Concilii Francofordiensis, si tantisper ad rationem temporis se conformaverint, quo abusus inoleverat, nec quo aboleretur, dum advenerat, ut Palatii Archicapellano Ecclesiasticæ caussæ dirimendæ delegarentur.

Generatim illud observare diligenter juvat, & interest, quod si quando in Synodis Principum desiderata præsentia est, aut etiam deposcitum placitum, id totum eo dumtaxat accipi debere sensu, quod siquidem res civiles etiam exagitare Synodis solemne esset, de Sacris vero statuta a Synodis refractarii nihilominus haberent, utroque ex hoc capite expedire videbatur, ut Synodis aut adessent, aut sensu adhærerent Principes, ut caussis civilibus quidem intenderent, Ecclesiasticarum vero executioni incumberent. Patet hoc tum ex præceptione Guntramni Regis post Synodum Matisconensem II. anno 585. habitam apud Harduinum tom. 3. pag. 467. ubi habet: *Convenit, ut justitiæ, & æquitatis in omnibus vigore servato, distringat legalis ultio Judicum, quos non corrigit canonica prædicatio Sacerdotum*: tum ex Ludovici Pii epistola præfixa Capitulari 3. Aquisgranensi apud Harduinum tom. 4. pag. 1280, qua Populo caussam exponens, cur ad placitum, sive ad Conventum Ecclesiarum Antistites accersiverit, nempe ut *Ibi*, inquit, *tam de sua, quam de omnium nostrum*

nostrum correctione & emendatione, secundum divinam auctoritatem, quærendo invenirent, & nobis, atque fidelibus nostris, secundum ministerium sibi commissum, annuntiarent. Quorum simillima habet cap. 1, quod est de Episcoporum conventu. Juxta hæc igitur Concilium Cabilonense abusus, quibus eradicandis par non erat potestas Ecclesiastica, ad Principalem emendandos potestatem detulit, comprimique vel laicis legibus desideravit. Parisiense similiter, postquam laicis Principibus Ecclesiæ curam enixe commendasset, quo tandem modo vota hæc sua accipienda essent, eodem loci dilucide ex S. Isidoro explicat subjungens: *Cæterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem.* Quæ quidem eodem recidunt, quo profecta sunt ea, quibus Ludovicus, & Lotharius Imperatores apud Eugenium II. officii sui partes sunt prosequuti.

Expeditis his, & explicitis difficultatis parum, aut nihil se offert, officitque, quominus attingatur intima, quæ Pontificibus, ac Patribus infixa animo erat persuasio, quantum ex ipsorum verbis conjectura augurari fas est. Eò enim SS. Leonis, Gregorii, Augustini, Fulgentii, Isidori &c. dicta collineant, ut suadeant, & persuadeant ad christianorum Regum officium pertinere potissimum curare pro viribus, studere pro ingenio, conari pro facultate, ut quibus studiis, curis, & conatibus quam magis possunt, ab Ecclesia traditas tam credendas regulas, quam adimplendas leges, integre, religiose, inviolate tum servent ipsi, tum, ut serventur ab inferioribus, satagant; non autem ut in cudendis eisdem regulis, ac eisdem edendis legibus immiscendi se se, inque Ecclesiastica jura immigrandi christianis Regibus amplissimam facerent facultatem. Ita enim suum liquido, aliorumque sensum explicuit S. Leo in epist. 54. ad Marcianum Imperat. *Alia*, inquiens, *ratio est rerum sæcularium, alia Divinarum: nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit.* Quamquam nec istud prætereundum, quod Patres, e quibus profecto S. Gregorius Turonensis, aliquando loquuti de facto sunt, non de jure, videlicet de potestate, ac licentia, quam

Prin-

Principes per fas, nefasque in quascumque res, ac personas sibi arrogarent, & a quacumque lege, ac tribunali semet eximerent. Cæterum enim de jure loquens Theodosius Junior in epist. ad Synodum Ephesinam ad partes Imperatoris haud istud pertinere fassus est, & professus: *Nullo quidem modo*, inquiens, *commune quidquam habere oportet* (laicum Principem). *Quum non liceat, ut qui relatus in Episcoporum catalogum non est, implicet se negotiis Ecclesiasticis*.

Ad exemplorum modo examen descendendo, eadem minus, quam pseudo-Politicis his videri potuerunt, ad rem conferre præsto, facileque facio planissimum. Donatistas a S. Melchiadis judicio ad Constantini Imper. tribunal appellasse verisimilius negant Valesius de schism. Donat. cap. 7, & Sirmondus in notis ad Rescript. Constantini ad Episcopos Concilii Arelat. in calce tom. 1. Concil. edit. Labbei, haud inficiantes equidem a Donatistis Judicum paucitatem fuisse accusatam, actisque Synodi, tanquam clandestino peractis, adquiescere propterea noluisse; siquidem id liquido adparet tum ex litteris Constantini ad Chrestum Episcop. Syracusanum apud Eusebium lib. 10. hist. Eccles. cap. 5; tum ex S. Augustini testimonio multis in locis Donatistarum apud Imperatorem effusas querelas referentis; neque imo negantes ad Constantinum a Concilio Arelatensi postea eosdem appellasse, contendentes attamen a S. Melchiadis sententia ad Imperatorem minime ausos interponere appellationem, idque constare dilucide tum ex præcit. epistola Constantini; tum ex S. Augustino pluribus in locis, veluti de unitate Eccl. cap. 18; enarrat. 2. in Psal. 36; lib. contra Crescon. cap. 7; lib. 2. contra litt. Petil. cap. 92; & epist. 53, 76, 88, 89, 92, &c.; tum ex eo quam maxime, quod Rheticius Augustodunensis, Maternus Agrippinensis, & Marinus Arelatensis, qui Donatistas in Synodo Romana damnaverant, iidem in Synodo Arelatensi Judices adversus Donatistas iterum interfuerint: quandoquidem Judicem eum, a quo provocatur, iterum esse, & assidere non posse nemo ignorat. Unde singulari gratia affecti sunt sive a S. Julio Eusebiani, sive a S. Leone M. Hilarius Arelat., dum inter Judices consedere permissi sunt in Synodis, sive Sardicensi, ubi S. Athanasii caussa

caussa sive in Romana, ubi caussa Chelidonii ad incudem revocabatur. Detur attamen, uti Pagio, Natali, aliisque placuit, qui opinionem hanc suam ex S. Optato lib. 1. adv. Parmen., & S. Augustino epist. 43. conficere se autumant, detur, inquam, Donatistas a Pontifice ad Imperatorem provocasse, quid ex hujusce furfuris hominum, refractariorum, hæreticorumque facinore in medium producitur ad jus probandum exemplum, & factum? Quis enim, quæso, æqui justique æstimator ex his, quæ fiant per nefas, ad faciendum per fas argumentando probe gradum inferat, & procedat? Id unum interest videre interea, num appellationes a Donatistis ad se delatas, tanquam legitime, riteque factas agnoverit Imperator, an non. Quamquam etsi agnovisset, tum id errori illi tribuendum e vestigio reponerem. At minime agnovit, sed maxime exhorruit, ut liquet ex præm. litteris ad Chrestum, exhorruitque adeo, atque est execratus, ut ad hanc illorum appellationem respondisse Imperatorem referat S. Optatus loco cit. in hæc verba: *O' rabida furoris audacia! Sicut in caussis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt &c.* Quo plane loci hæc præclare adnotavit Albaspinæus not. 84. *Hoc responsum est notatu dignum, quo Imperator voluit ostendere Episcoporum controversias ab ipsis potius, quod Christi vicem gerant, dijudicandas esse, quam a laicis.* Quorum similia observata ibidem sunt vel a Casaubono, & Dupinio. Constantinus certe in epist. ad Chrestum Donatistarum caussam post Synodi Romanæ sententiam haberi finitam debuisse affirmavit: *Nonnulli*, de Donatistis inquiens, *propriæ salutis, & venerationis, quæ sanctissimæ fidei debetur, obliti privatas adhuc simultates prorogare non cessant, prolatæ jam sententiæ acquiescere nolentes &c.* & paullo post adhuc expressius: *Hæc post depromptum judicium volontaria assensione jam finita ese debuerant.* Ad quæ verba Petrus de Marca lib. 4. concord. cap. 18. §. 2, *Quia*, adjungit, *alienum putabat Constantinus a disciplina res ab Episcopo Romano judicatas refricare.* Qui proinde Imperator si nihilosecius novum judicium tum post Romanum Arelate, tum post Arelatense Mediolani Donatistis indulsit, id egit sedandarum gratia turbarum: quamvis imprudens hacce indul-

gentia majorum turbarum, quæ diu Africam infestarunt, caussa fuit. Sed de his jam nimis; de quibus legendi Schelestratius Antiq. illust. par. 2. dissert. 1. cap. 7. art. 3; Norisius hist. Donatist. par. 1. capp. 7, & 11; Tillemontius tom. 6. monum. hist. Eccles. art. 25; Valesius opusc. de schism. Donatist. capp. 7, & 8; Sirmondus in notis ad rescript. Constant.; Pagius ad annum 313. n. 8, & seqq; & Lupus de Roman. appellat. dissert. 1. cap. 19: ex Protestantibus vero, si licet, Thomas Ittigius in hist. Donatist., & Hermannus Witsius hist. Donat. cap. 11., dicta hactenus multis, disertisque confirmantes.

Aptandum prolato absque delectu ex appellatione Nestorii exemplo a Petro de Marca idem prope responsum. Nempe nauci, floccique facienda fore, quæ ab hæreticis hominibus præter jus, fasque fiunt: pessimi autem genus argumenti esse, quod ad confirmandum jus ex factis hujusmodi ullo absque discrimine exculpitur. Nisi quod tam perperam, quam præfidenter (qui plane agendi modus, argumentandique pejor est) id obtrudit Petrus de Marca, ut perinde falso subinferret aliquando sacris Principum jussionibus Synodorum etiam sententias mansisse suspensas. Neutiquam enim vero a Nestorio ad Imperatorem appellationem interpositam ea ratione, quam tamen ceu minus veram rejecimus, affirmat Garnerius part. 2. Common., quod a Theodosio Ephesina Synodus indicta fuerit, antequam Nestorio sive S. Cœlestini, sive S. Cyrilli sententia in se jaculata innotuisset: recte vero probat Pagius ad annum 431. n. 2, & seqq: (Garnerio alioquin assentitus, quod non nisi post indictam Synodum Ephesinam denuntiata fuerit Nestorio sententia in eumdem a Synodis Romana, & Alexandrina intorta,) ea ratione, quod Ephesini Patres religioni maxime duxerint Pontificis sententiam, nullo præhabito examine, elapso, quod ad resipiscendum præstitutum fuerat a Pontifice, temporis spatio, executioni demandare, uti liquido constat ex commonitorio Legatis a S. Cœlestino tradito; ex S. Cœlestini epistola ad Synodum Ephesinam; ex epist. Synodi Romanæ anno 431. habitæ ad Episcopos Synodi Ephesinæ; ex protestatione Legatorum, ac confessione Episcoporum in eadem Synodo Ephesina. Sed & secummet pugnat

gnat Petrus de Marca, ut pote qui lib. 2. capp. 4, & 7. ultrocitroque fatetur, (eccur vero non fateretur, nisi, insigni juris inversione, divinis humana, & laica sacris anteferre vellet,) Religionis negotia unius Ecclesiæ finiri judicio; inque iis nullas esse, incumbereque Principi partes. Christianus Lupus de Appellat. cap. 19. in ea opinione versatus est, quod Nestorius a S. Cœlestini sententia ad Synodum Ephesinam, perperam quidem, reapse tamen provocaverit; ab hac vero postea ad Johannis Antiocheni præsentiam: ab Imperatore postulans, ac impetrans Synodi utriusque suspendi interea sententiam. Conjicit id verò ex S.Cœlestini epist.ad Clerum, & popul. Constantinop. post Synodum Ephesinam exarata, ubi Pontifex de Nestorio ait: *Campum ad certamen exposcit, Sacerdotale postulat, cui non erat adfuturus, examen... Quis petitorem Synodi crederet Synodo abfuturum?* Viri tamen doctissimi venia hæc S.Cœlestini verba non ad alteram Synodum, quam appellaverit Nestorius, sunt trahenda, sed de Synodo Ephesina quam commode possunt, tam obvie dicta accipi debent. Post sententiam vero ab se latam Pontifex Synodum Ephesinam indulsit equidem sub ea tamen lege, ut sententiam ab se prolatam examini supponere caveret, sed magis stata die executioni demandaret. Nec imo Nestorius a Theodosio Synodum cogi postulavit ex præscripto juris, quasi ab Imperatore exerceri judicium vellet, sed privatis dumtaxat precibus, ut revisionis gratiam impetraret. Multo id minus juris ad se trahere exambivit Theodosius, qui etsi fraude deceptus nonnihil in Synodum deliquit, Synodo tamen Nestorii caussam integram deferre, sententiamque a Pontifice latam, executionique a Synodo demandatam, & ipse exequi officii loco deputavit.

De appellatione ad Constantini Imperat. tribunal S. Athanasio nefarie afficta, commodiori in loco, ac copiose agam paullo post; ideoque non est, cur heic bono abutar otio. Quod ad libellum Synodo Ephesinæ oblato a S.Cyrillo, & Memnone adversus Johannem Antiochenum attinet, eo loci, videlicet illis verbis *nec per imperiale decretum*, alludere dumtaxat volebant ad morem tum inolitum, ac tolleratum, quo Imperatores ad indictionem, & celebrationem Synodorum concurrebant; ideoque

ut Johanni omnem excusationis speciem omnino eriperent. Cæteroquin enim de ejusmodi attentatis a Johanne ferre judicium tum in solius Synodi positum esse potestate fatentur, & profitentur S. Cyrillus, & Memnon eodem in libello subjungentes: *Etiamsi illi esset potestas judicium exercendi, tamen Canones Ecclesiasticos sequi debuerat*. Nullaque ratione habita, aut intermixta mentione Imperialis sanctionis paullo post pergunt. *Quia ergo indignum est Ecclesiasticas leges ita proteri .... non potuimus pietati vestrae* (Synodi Patres alloquebantur) *libellos hos non offerre obtestantes, ut ipsum Johannem, ejusque in excitanda hac tragædia socios accersat, quo in sanctam hanc Synodum venientes, temeritatis suæ rationem reddant*: tum ad se pertinere Synodi Patres affirmant, & confirmant, ac præ aliis verbis quidem apertissimis Acacius Melitenus, & Juvenalis Hierosolymitanus act. 4, atque Synodi deinde universi Patres actione eadem, & sequenti ejaculata in Johannem sententia, nec non in epistola Synodica ad Theodosium Imper., atque ad S. Cœlestinum P.M.

S. Leonis M., ejusque Legatorum; non secus atque Eusebii Dorylæi, Bassiani Ephesini, Sabiniani Perrhensis, Eunomii Nicomediensis, Timothei Alexandrini &c. exempla id unum suadent, sicuti jam superius est observatum, ad Pontificum, ac Præsulum preces pleraque præter jus proprium, ac fas præstitisse Principes, ea nempe ratione, quod vim passi a refractariis viribus ipsimet impares essent ad vim propulsandam, aut fræna injicienda refractariis iisdem, a quibus optime ab se latis legibus impune vim inferri ægre admodum ferebant, ut proinde Principum vires in opem advocare compellerentur, operamque adhibere ad horum profligatorum hominum infringendam audaciam. Quibus profecto exemplis abuti ad exculpendum laicæ potestatis jus cognoscendi de Ecclesiasticis caussis, nihil est aliud, nisi susque deque perturbare omnia, & pervertere: quo parimodo Ecclesiastici juris particulam esse propriam laicorum negotiis se ingerere liceret inferre: quod non concedent attamen, neque ut concedant, urgeo, facioque vim. Quandoquidem ad Principum laicorum obnixas preces Ecclesiastica potestas suppetias frequentissime tulisse passim legitur, cujus rei multa profert exempla

Petrus

Petrus ipse de Marca lib. 4. Concord. cap. 12. §. 4, ubi inter alia sic habet: *Exempla petere liceret e Synodo apud Lauriacum habita anno 843. relata in Synodo Meldensi, & apud Ivonem, quæ eos, qui contra Regiam dignitatem aliquid machinantur, vel potestati Regiæ per summam contumaciam non obtemperant, anathemate plectendos decernit. Synodus Suessionensis anno 866. rogat Nicolaum I, ut Salomonem Brittaniæ Ducem moneat, quo Domino suo Carolo regium obsequium præstet, annuosque census persolvat.* Alioquin gladio Apostolatus vestri percellendum debito cognoscat libramine. *Ludovicus Ultramarinus Rex Francorum ab Hugone Comite vexatus subsidium postulat a Synodo Ingelenheimensi, ubi aderat Legatus Romani Pontificis, & Otho Imperator.* Hæc ille: quibus pleraque alia attexit Doctiss. Thomassinus vet., & novæ discipl. par. 2. lib. 3. cap. 93, atque in his Canonem 1. Concilii Turonensis III. ann. 813, quo Carolo M. jurata fides, obedientiaque servari omnino jubetur: Can. 12. Concilii Aquisgranensis II. anno 836, quo diro anathemate obstringuntur, quotquot obligatam Ludovico Pio fidem non observassent: Canonem 8. Concilii Tullensis anno 859, quo Britanniæ Armoricæ Episcopi officii admonentur revocandi Salomonem Ducem ad Caroli Calvi obsequium. Ad hæc Hadrianum II. anno 868. epist. 2, 15, & 16. Ludovicum Germaniæ Regem ab invadendis ditionibus Ludovici II. Imperatoris Apostolici gladii intentatis minis absterruisse. Johannem VIII. Germaniæ Præsules adhortatum, ut Germaniæ Regem ab usurpando Caroli Calvi Regno deterrerent. Hanc ob rem ut securius sub Apostolicæ Sedis tuitione exigerent, dum in tristia incidissent tempora, Ludovicus Balbus Ludovicum, & Carolomannum filios Johannis VIII. protectioni commisit: Fulco Remensis Carolum Simplicem Formosi Papæ defensioni adversus Odonis Parisiensis Comitis usurpationes commendavit, teste Flodoardo hist. Remensis lib. 4. capp. 3, & 21; qui in chron. ad annum 942. pariter refert a Stephano VIII. precibus Ludovici IV. Regis inflexo, Legato misso, Hugonem Herebertum, aliosque Francorum Proceres ad Regis obsequium fuisse reductos. Quibus pleraque quidem alia adjungere adhuc præsto esset, ac præsertim desumpta

ex

ex patrocinio, ac defensione frequentissime Regibus suis impensa ab Hispaniarum Episcopis, nisi pretii dispendium supervacaneum esset plurima in apertissimam rem conglomerare, meque aliò properare temporis angustia non compelleret.

Recipiendo me nunc attamen in ordinem, ac revolvendo ad exempla, quæ modo memorabam, tantum abest certe, ut Marcianus Imperator trium illorum Præsulum Eusebii, Bassiani, & Eunomii libellos inspicere, inque caussas inquirere voluerit, ut potius ad Concilium Chalcedonense integras dirimendas dimiserit, in quo proinde discussæ leguntur, & diremptæ, Eusebii quidem act. 1, Bassiani act. 11, & 12, Eunomii act. 13, & Sabiniani act. 14. Neque vero Præsules illi supplicarunt Imperatori pro Judice, sed pro intercessore solummodo, uti ex eorumdem libellis liquet. Hadriani Thebarum Episcopi exemplum quod attingit, rite quidem egisse pronuncio Mauritium Imperat., dum Episcopi criminibus impetiti caussam Metropolitæ suo, qualis erat Thebani Larissæus, dirimendam dimisit, qui perinde id judicii jure proprio, non jure a Principe demandato peregit, estque perfunctus. Perperam vero, præterque fas egisse, quum pariter delegavit alienum, qualis erat primæ Justinianæ Præsul: quod factum per fraudem affirmavit S. Gregorius M.; factumque per nefas improbavit, atque suprema potestate sua usus utriusque Præsulis sententiam, haud obstante Principis sive delatione, sive delegatione, irritam dixit, inque Judicem utrumque severum jus distrinxit: *Nescio*, inquiens lib. 2. epist. 7, *quibus machinationibus alia rursus est Principalis jussio elicita, ut de cunctis ante factis capitulis Johannes primæ Justinianæ Episcopus requirens subtiliter judicaret*. Jam vero ex facto, cui Pontifex tam nomine Magnus, quam re optimus detraxit, probus nemo jus faciendi recte inferre poterit.

Juvat tamen nonnihil magis immorari in ejusmodi S. Gregorio M. non infrequentibus egregiæ fortitudinis exemplis in defendendis, vindicandisque Ecclesiasticis juribus, quæ invadere passim Mauritius Imperator non verebatur. Maximum Salonitanum Antistitem simoniæ, ac vitæ incontinentiæ notatum, ordinatumque non expectato Apostolicæ Sedis assensu Romam ad caus-

caussam dicendam evocaverat: at Pontificis jussioni Imperator intercedens tum Maximi caussam in Provincia discuti, ac definiri, tum ei ordinationis invasæ crimen remitti voluit. Invasionis crimen relaxavit quidem haud difficulter Pontifex, de incontinentiæ tamen, ac simoniæ, objectorumque aliorum criminum notis reddere illum rationem jussit. Quam vero, putas, rationem ipse Principalis intercessionis habuit? Lib. 4. epist. 34. apud Constantinam Augustam vehementer doluit, & conquestus est caussis Episcoporum implicari Imperatorem, eorumdemque in se recipere patrocinium: haud offecturum hoc tamen, quominus officio defuturus sit proprio, atque ab exercenda severa in refractarium Præsulem districtione abstenturus: *Et si Episcoporum*, scribens, *caussæ mihi commissorum apud piissimos Dominos aliorum patrociniis disponuntur*, *infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed ut Episcopi mei me despiciant*, *& contra me refugium ad sæculares Judices habeant*, *... peccatis meis deputo. Hoc tamen breviter suggero, quia aliquantulum expecto*, *& si ad me diu venire distulerit* (Maximus), *in eo exercere districtionem canonicam nullo modo cessabo*. Nec minori constantia Imperatori intercedenti, ne ob inanem *Universalis* titulum, a quo abstinere Johannes Constantinopolitanus nolebat, sacræ communionis vinculum abrumperet, obstitit, Sabinianum Apocrisarium suum admonens epist. 39, ut nullius aut gratiæ studens, aut offensam veritus *Quidquid agendum est cum summa auctoritate agat*. Non est opus, ut pleraque alia persequar ad faciendum planissimum, quod quam proprii juris tenax, ac retinens S. Gregorius fuit, tam in tuto ponendo ab injuriis, quas infligi a Potestatibus laicis contingeret, uti constantissimum hominem decebat, se parem gessit, ac pervasoribus invicto semper pectore offendit. Eo vel maxime, quod satis memini in hac parte 2. Art.I. §.II. præclara multa attigisse, ex quibus res ista, agendique ratio, quam utique S. Gregorius M. ubique sibimet constans tenuit semper, ac retinuit, confici, ac validissime confirmari potest.

Præsentis operæ pretium nunc est, orationisque deposcit ordo, ut quam efficaciter, tam breviter iis, quæ ex Principum legi-

legibus, ac gestis exaggerari solent, offendam. Atque hæc quidem, mea sententia, levis adeo momenti sunt, quam ut occurrere foret opus; nisi quod nihilosecius, ut nihil despexisse, ac neglexisse videar, & iis sic facio satis. Quare principio, quod ad sacra nomina pertinet, quibus insigniti viri Principes feruntur, ajo Constantinum M. ea ratione se *Episcopum extra Ecclesiam, aut communem Episcopum* inscripsisse, uti Petro ipsi de Marca lib. 2. Concord. cap. 10 satis apta visa interpretatio est, quod quemadmodum Episcopi erat eorum curam sollicitam gerere, qui in Ecclesia sunt, ita Gentilium, qui essent extra Ecclesiam, saluti probe consultum ab se, prospectumque fuisse, sacrificiis idololatricis interdictis, Dominici diei cultu & illis indicto, hisque similibus edictis, veluti ne Ethnici simulacra erigerent; ne arcanis sacris intenderent; ne Ariolos, Vates, Aruspicesque consulerent; neve gladiatoriis ludis se exercerent, aliisque hujus genus, de quibus Eusebius lib. 4. cap. 25; Codex Theodos. L. 1. *de Paganis*; L. 2. *de Maleficis, & Mathematicis*; L. 5. *de Episcopis, Ecclesiis, & Clericis*; L. 1. *de Gladiatoriis*; & Gothofredus in Comment. ad has Leges, atque in epist. ad Rivetum de interdicta Christianorum cum Gentilibus communione, ubi præland. Legem 5. *de Episcopis &c.* aut S. Silvestri, aut Osii, aut utriusque suggestioni si quis acceptam referat, haud invitus repugnat. Ea autem de re Marcianus Augustus *Sacerdos* a Synodo Chalcedonensi nedum, sed etiam a S. Leone M. in epist. 57. nuncupatus est, quod rebus ad Dei O.M. cultum spectantibus maximopere studeret; non ita quod Sacerdotum rebus implicaret se se. Clodovæus autem *Præsulis* nomine a S. Remigio illustratus ideo fuit, quod idipsum denotari vellet eo nomine, quod *Princeps*, aut Principum omnium *Primus* fuisset, qui sacro fuerit lavacro imbutus; aut ceteris omnibus in Dei cultu præiret exemplo. Jure denique optimo Carolus M. *Ecclesiæ Defensor, & Adjutor* denominatus est, istoque titulo inscribi delectabatur, ut cui nihil optatius in votis obtingeret, quam Christianam rem curare diligenter, ac procurare: quod ad Christiani Principis non modicam partem attinere paulio superius in confesso positum est.

Sub

Sub defensionis, patrocinii, & adjutorii obtentu tantum autem abest, ut pii, ac religiosi Principes in Ecclesiasticam jurisdictionem non tam irrepere, quam irrumpere tentaverint, ut nonnisi jurisdictioni Ecclesiasticæ in tuto collocandæ adjutorio, patrocinio, ac defensione non defuisse existimandi sint. Ecclesiam siquidem sæpius in tristia incidisse tempora, in quibus nulla legum suarum haberetur ratio, explorata res est: ubi igitur viribus imparem se videret schismaticis, hæreticis, ac exlegibus cohibendis, legumque suarum observantiæ urgendæ, confugium ad Principes arripere succurrebat, a quibus edictis, armisque id impetraret, quod præceptis, canonicisque pœnis impetrare nequibat: qua in re quid, rogo, Ecclesiæ juribus obtingebat infausti, infestique? quid imo iisdem tutandis non obveniebat, utilis, & commodi? Neque enim, aut ego fallor, si quis alteri manus adjutrices præbeat, in alterius jus propterea irruisse; passusque injuriam is, cujus ponitur in tuto jus, putandus est. Nefas igitur est reputare vitio ambitiosæ invasionis, & usurpatione Ecclesiasticæ jurisdictionis factum a Constantino, Constante, Valentiniano, Gratiano, Theodosio, Honorio, Arcadio, Justiniano &c., ut tot legibus ab se latis Paganos, Schismaticos, Hæreticos, ac refractarios a noxa Ecclesiæ inferenda absterrerent, aut ad Ecclesiæ obedientiam deferendam adigerent. S. Ludovico Francorum Regi quammaxima, insigni non absque temeritatis nota, irrogatur injuria, dum invasi Ecclesiastici juris traducitur ex eo, quod edicto lato abusus sustulit, qui in Beneficiorum collationibus interveniebant: siquidem legem hanc suam non nisi ad obnixas Episcoporum preces tulerit, religioseque ad sacras in Ecclesia regulas prorsus exegerit. Qui alioqui, siquis alter, nihil habebat antiquius, quam officio omni obsequii, obedientiæque Ecclesiam prosequi, tantumque abhorrebat, ut potestati Ecclesiasticæ quidpiam molestiæ, incommodique afferret.

Quamquam, (quod reliquum superest resolvendum,) præfracte inficias non ibo nec defuisse aliquando, quibus præpostera agendi ratio arrideret, partemque rerum Ecclesiasticarum ad se retrahere arrogarent. Ex his in hanc incidisse labem, ac ex in-

honesto, illiberalique illicio in Ecclesiasticum immigrandi omnes extra status juris sui limites non semel immaniter excurrisse sive Theodosium Juniorem, dum Episcoporum judiciis semet immiscuit, aut immisceri eisdem voluit illos, quorum non intererat: sive Justinianum, dum ex quadam levitate animi dicam ne, an ambitionis libidine, negotiis Ecclesiasticis ingerere se se quam frequens, tam imprudens gestivit: sive Clotarium, & Charibertum, dum ex privata gratia, aut vindicta, præter fas, ac jus aut beneficiis afficere, quos non oportebat, aut affligere pœnis, quos non erat par, haud abstinuerunt. Ex his tamen inique factis jus velle extundere ita faciendi, quid est aliud, quam pessime argumentando flagitii perpetrandi cujusque genus copiam facere, auctoritatemque ex factis, exemplisque adsciscere? Certe non ad Theodosium, sed ad Synodum spectasse eas Episcoporum caussas, quibus ille se ingesserat, & quidem Irenæi affirmavit Theodoretus in epist. 110. ad Domnum Antioch.; Ibæ vero, Danieli, & Johanni, postquam Antiocheni Patriarchæ subiissent sententiam, experiundi in judicio apud Synodum tam Orientalem, quam Occidentalem locum unum adhuc fuisse residuum, eorummet accusatores Samuel, Cyrus, Eulogius &c. in libello ad Photium, Eustathium, & Uranium act. 10. Concilii Chalced. lecto confessi sunt: qua actione pariter graviter conquestus legitur Domnus Antiochenus de suo jure læso, illataque sibi injuria, ideo quod a suo ad tribunal aliud Clerici illi accusatores appulissent. Quod autem ad Alexandrum, Helladium, Maximinum, Theodoretum, Meletium &c. attingit, Ecclesiastici juris non tam violator, quam vindex Theodosius est reputandus: hominibus enim in proposito obfirmatis non accedendi ad pacis conditiones Cyrillum inter, & Johannem magno Ecclesiæ bono sancitas in ordinem redigendis, ad obedientiam Patriarchæ suo reddendam compellendis, atque a schismate ad concordiam, sacrorumque consortium revocandis, quid, amabo, reliquum erat, nisi quod, potissimum intercedentibus precibus Johannis Antiocheni, auctoritate Imperator accurreret sua, faceretque apposite, quod faciendum S. Augustinus dudum cum Donatistis desideraverat in epistola *93*, olim 48. ad Vincentium,

tium, videlicet ut homines in pertinacia obdormiscentes Imperialium legum impendentium fragore excuterentur, ac *tanquam de somno lethargico*, veluti loquitur, *emergerent*, & *in salutem unitatis evigilarent*. Confer virum doctiss. Christanum Lupum in Scholiis, & Notis ad epistolas Cassinenses cap. 85, & seqq.

De Justiniano dictum jam alibi abunde: eumdem nempe ea de re summam induisse sollicitudinem, tum ut magis quam propria, auctoritate Pontificis sive Agapeti, sive Vigilii obtineret cum institutio primæ Justinianæ, tum edictum adversus tria Capitula, in quibus passus aliquando Pontifices adversos, potius, quam vi, precibus oppugnandos sibi proposuit. Adeo vero abs æquo, justoque aberrarunt immaniter qua Justinus, qua Justinianus, ille de Matrimonii legibus decernendo, iste ad Pontificis electionem adrependo, ut de re perverse facta persuaderi multis probus quisque profecto non indigeat. Quod autem postremo, illustrique loco Clotarii, & Chariberti factum haberi pseudo-Politici vellent, per me licet, habeant ipsi, pessimo namque ego cum Baronio collocare non ambigo. Ecquis autem ambigat, qui pacatum animum, atque a præjudicata omni opinione abstractum intendat ad Parisiensem Synodum III. anno 557. habitam, in qua Can. 8. districtissime prohibitum est, ne pro adipiscendis primis in Ecclesia honoribus quispiam Reges adiret, horumque potentia ad Episcopatum sibi aditum patefaceret, cui per electionem, legesque Ecclesiasticas non pateret? Qui intendat ad Parisiensem IV. anno 573, a qua Synodica ad Sigibertum Regem exarata rogatus obnixe Rex est, & admonitus, ut a defensione suscipienda Promoti e Dunensi pseudo-Episcopatu detrusi religiose, ut decebat, sibi abstinendum esse dignosceret? Quibus si jungantur, quos paullo superius indicavimus, Conciliorum Canones Judices laicos a caussis Ecclesiasticis omnino arcentes, non dubium est, quin sint deputanda juri quidem, quæ fuerant a Synodo Santonensi decreta, injuriæ vero, quæ contra Synodum fuerunt a Chariberto attentata. Post quæ omni ex parte sic conclusa, & sic definita ad Principalis potestatis partes vel primas pertinere de rebus ad Religionem respicientibus dignoscere, & dijudicare quis credat?

 Cre-

Credat, per me licet, Judæus Appella, credat Achatolicus Halophanta, non ego, non Orthodoxus.

Ex jure Appellandi a Conciliis etiam Generalibus ad Romanum Pontificem.

§. I.

NEminem novi, qui ratione uteretur, tametsi ad veritatem rationis usum non exigeret, quem perversa, ac præpostera incesserit cogitatio præcipuam hanc, individuamque ex Pontificio Primatu particulam præcidendi, qua cuique jus, ac fas præfertur a Synodi cujuslibet sententia provocandi ad Pontificis Romani tribunal, tanquam illud, quod Synodum quantamcumque suprapositum sit, nisi qui prava insaniret cupidine Primatum ipsum penitus excindendi. Quod profecto argumento haud levi esse potest jus, & fas istud ad Pontificem appellandi deripi nemini posse, quin Pontifex eopse Primatus sui dignitate, ac re defraudetur: parum sibi æquales stare proinde, magisque andabatarum more digladiari secummet, qui sera hac ætate loco illum quidem abigere nolunt, adnexam tamen appendicem hanc non extiment abrogare. Eusebiani omnium primi, ut sciam, indigne ferentes præjudicatam in Synodo Tyria caussam Episcoporum plurium ex Ægypto, Cœlesyria, Phœnicia, Arabia, Palæstina, & Thracia, quos inter eminebant S. Athanasius, Paulus Constatinopolitanus, Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazensis, & Lucius Adrianopolitanus, sub appellationis ad ipsum interpositæ obtentu, Romam ad suum tribunal a S. Julio retrahi, sequemet apud se ad experiundum judicio evocari, eo refugii dolosi, ac desperati se receperunt, ut Pontificis Romani Primatum appeterent, factoque impetu a summo ad imum subruerent: obtendentes Synodo cuique inconcussam stare auctoritatem; ac contumeliose agi cum ea, dum novo ejus sententia examini subjicitur: ne in infinitum negotia eant, in Synodicis tandem judiciis sistendum esse, sacro in Ecclesia Canone, (cujus nomine designatum Canonem 12. Concilii Antiocheni dedita ope-

opera procusum quidam volunt, alterum vero nescio quem ex Antiocheno tamen 4, nec non illo 12. conflatum alii augurantur,) summopere cautum esse: in caussis Novatiani, Pauli Samosateni, ac Sabellii nec Orientales in Occidentalium, nec Occidentales in Orientalium judicium irruisse, sed utrinque prolatæ sententiæ, religiose, ut par erat, stetisse: parem, quod rei summa est, quinimo eumdem prorsus esse Episcoporum honorem, & gradum; nec horum dignitatem ex Civitatum magnitudine esse metiendam.

Quam gravi errore Eusebiani detinerentur, quove dementiæ summæ, sive impudentiæ devenissent, plurimis ut ego persequar, non opus est, quum id ad cumulum usque præstitum a S. Julio, perfectumque fuerit, de quo paullo post; sed magis obiter observabo Eusebianos nec bona fide egisse, nec firmum quidpiam habuisse, quod ad fucum saltem faciendum obtenderent, & obtruderent. Nec enim Pontifici Romam advocanti præfracta, adversaque fronte offenderunt, sed magis quominus obedirent, idque capesserent itineris, sibi neque præfiniti temporis angustia, neque rerum Orientalium statu, hoc est Persarum bello præpiditis, permitti prætexuerunt. Quinimo, velut auctor est S. Athanasius in Apolog. 2, ipsimet litteris ad S. Julium inscriptis *Rogaverunt, ut Synodus cogeretur, & ipse, si vellet, Judex foret*. Sozomeno quoque lib. 3. cap. 7, si ei fides est adhibenda, quare vero adhibenda non sit, ego quidem non video, referente *Eusebius scripsit ad Julium, ut ipse Judex esset eorum, quæ contra Athanasium decreta sunt Tyri*. Ut vero de objecto Canone Antiocheno nihil modo dicam, eam, quam in caussis Novatiani, Pauli Samosateni, ac Sabellii agendi rationem tenuere qua Orientales, qua Occidentales, frustra obtendebant Eusebiani, ut quod ab una Synodo fuisset statutum semel, ab altera deinceps minime discutiendum fore insinuarent. Novatianum enim damnatum a Synodo Romana, ejusdem Synodi decreto Episcopis omnibus etiam Orientalibus denuntiatum, indeque ab Ecclesia alienum ubique habitum scripsit S. Cyprianus in epist. 1. ad S. Stephanum non modo, sed in suam retulit historiam lib. 6. cap.

cap. 43. ipsemet Eusebius. Neque verum est, quod subtexebant de sententia Antiochenæ Synodi adversus Paulum Samosatenum nullo præhabitó examine ultrocitroque ubique admissa: quippe, uti litterarum monumentis prodidit idem Eusebius lib.7. hist. Eccles. cap. 30, Paulus quamvis a Synodo loco detrusus, quum Episcopio decedere nollet, ideoque interpellatus Aurelianus Imperator ei domum tradi demum imperasset, cui ab Italiæ Episcopis, ac nominatim a Romano Præsule fuisset adjudicata, Patres Antiocheni Synodica exarata ad S. Dionysium P.M. hæresis nomine Paulum deferre, commonefacereque de Domno in Pauli locum suffecto officio, religionique duxerunt. Quì autem fieri quivisset, ut Pontifex M. Pauli vacantem locum Domno attribueret, hujusque electioni velut legitimæ adnueret, nisi prius Synodi de Paulo sententiam ad examinis incudem revocasset, recognitamque suo roborasset calculo? Neque magis veritati consentaneum est, quod Eusebiani de Sabellii caussa subjungebant: nam referente eodemmet Eusebio lib.7. cap. *6.* Sabellii hæresim Ptolemaidæ enatam,& a Pentapolitanis ad se delatam,ab se vero deferri ad Pontificium tribunal scripserat S. Dionysius Alexandrinus ad S.Sixtum II.P.M. Ex quo conficitur potiusquam Romani Pontificis de Sabellio sententia Orientalium consensu confirmata fuerit; Orientalium sententiam in hæreticum hominem latam a Romano Pontifice fuisse confirmandam.

Eumdem in errorem ab Eusebianis turpiter tractus Constantius Imperator, quem animo imbiberat, efferre deinde, nec absque furore effundere destitit in dialogo cum Liberio habito exprobrans, quod Julium imitatus, præconceptam immensæ potestatis, inanem revera tamen, imaginem animo gereret, indeque factus audacior nulla ratione habita latæ in Athanasium Synodicæ sententiæ in partes ejusdem prosilire integrum sibi faceret, & impune. *Tanta ne*, inquiebat ingenti non absque indignatione Imperator, *tanta ne Orbis terræ pars in te*, *Liberi*, *residet*, *ut tu solus homini impio subsidio venire .... audeas? Res*, *de quibus constituta est formula*, *infringi nequeunt*: *siquidem plurium Episcoporum rata debet esse sententia*. Verum quod vitio deputabat Imperator, id religionis, officii, jurisque lo-

co

co habebat Liberius, videlicet S. Julii vestigiis insistere, innocentique S. Athanasio, cujus cum summo jure suo conjunctam non ignorabat caussam, suo non deesse subsidio. Quod quominus præstaret, nihil officere, esseque impedimento posse affirmabat: quandoquidem tanta præditus esset potestate, ut quæcumquæ præter eam facta fuissent, infecta potius æstimari fas sit, quam infringi sit opus: *Neque enim*, inquiens, *a Nobis condemnari potest vir, quem non judicavimus*: ita nempe respiciens ad ea, quæ S. Julius in epist. 1. ad Eusebianos rescripserat verbis illis: *An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum Nobis scribatur, & hinc quod justum est, decernatur?* Quibus indicabat præter fas, jusque fieri, quæ fierent Pontificis Romani absque conscientia, & consensu. Præterea se eo loco in Ecclesia positum Liberius adjungebat, quo in errorem decidere nequiret, solus vero delapsos omnes relevare, & ad veritatem redintegrare valeret: *Etiamsi solus*, ajens, *sim, fidei caussa non idcirco minuitur*. Quam periocham in epist. perinde ad eumdem Imperat. fusius persequitur, atque expressius exponit. Confer & Osium Cordubensem, per quem, quominus teterrimum hunc errorem a Constantii animo ejiceret, evelleret, eradicaret, sane non stetit.

Desciverunt deinde in errorem eumdem Orientales quamplurimi, qui in partes Acacii furore quodam transversos pertrahi magis, quam favore pelliceri se ultro permiserant. S. Felici III. P. M., ad quem plurimo nomine, ac pessimo delatus fuerat a Johanne Talaja denominato Præsule Alexandrino, a quove Romam ad dicendam caussam fuerat evocatus, rationemque redditurus eorum, quæ Johannes eidem objiceret, obedire Acacius detrectaverat, ideoque damnatus justas inobedientiæ Pontifici dederat pœnas. Damnationem attamen, & inobedientiam Acacii obducere hac excusatione studuerunt ejusdem sectatores, obtrudentes, quod Acacium in Synodo Orientali damnari oportuisset, non autem a Pontifice Romano solo per semet, aut in Synodo Provinciali sua. Ita nempe sublestissimæ fidei homines, compositique ad omnem fallendi artem veluti per cuniculos Primatum ipsum Pontificis impetendum, & oppugnandum esse

esse præsumebant; neque revera altera suppetebat ratio, quam prætenderent, cur damnati hominis officio, & humanitati nollent deesse. Hallucinationes hasce tamen, quas detegit, & refert, pariter refellit, & dispungit S. Gelasius in epist.7, & 9. ad Episcopos Dardaniæ præter alia, quæ ad Primatum Romani Pontificis confirmandum apprime conferunt, pleraque exempla proferens eorum, qui sola, summaque Pontificis auctoritate gradibus aut dejecti sunt, inter quos Petrus Moggus, Timotheus Ælurus, Petrus Antiochenus, Paulus, Johannes &c., quibus deinde addere succurrit Anthimum ab Agapeto, Theodorum Cæsareensem a Vigilio deturbatos &c.; aut dejecti a Synodis, dignitatibus redintegrati fuerunt suis; quales SS. Athanasius, Chrysostomus, Flavianus &c. Quod argumenti genus egregie perinde sunt prosequuti, luceque plurima asperserunt S. Bonifacius I. in epist. pariter ad Episcopos Dardaniæ; & S. Nicolaus I. in epist. ad Gallicanos Antistites in eumdem paullisper errorem inflexos postea.

Quos quidem Pontifices si quis præpostere suspicetur amplificandæ plus æquo auctoritati propriæ studuisse, auscultare tum demum ne detrectet, qui nec leviter hujusmodi suspicione laborant, Mariano, aliisque multis Archimandritis, & Monachis in libello oblato tum Justiniano Imp., ac Synodi Constantinopolitanæ sub Menna act. 1. inserto adversus Anthimum, Severum, Petrum, Zoaram, & Acephalos una voce conclamantibus, ut *Canonicum judicium a Romano Pontifice* (S. Agapeto) *in ipsum Anthimum, & in prædictos Hæreticos ... exsequi; & Ecclesiam Dei, ac totum Mundum liberare a peste Anthimi, & prædictorum Hæreticorum* nec renueret, nec remoraretur: tum in altero Synodi Patribus exhibito, lectoque act. 5. in eadem vota erumpentibus: *Ut sequentes sententiam Sancti, & Apostolici viri Archiepiscopi antiquæ Romæ ... Anathemati & vos subjiciatis ... prædictos Severum, & Petrum, & istorum sequaces, & quæ sua sunt, sapientes, & maxime Zoaram, qui per omnia abdicatus fuit ab Apostolica Sede &c.* Quo pacto igitur Synodus Pontificis sententiam post latam sequi, & exequi tenebatur, ita si proferre Synodus ipsa sententiam præoccupasset, quæ a recto,

recto, justoque deflecteret, tum demum hanc infringere Pontifici tam fas, quam officium fuisset. Inficias hoc quidem iverant Dioscori partiarii, quos proprio ille errore pariter infecerat, potiori nempe præ Synodo potestate Romanum Pontificem nequaquam pollere ogganientes, ac privato in loco propterea manere debere, in quem a Synodo fuerant detrusi, Flavianum, Eusebium, & Theodoretum, contendentes: quod frustra tamen eis cessit, cui etenim illos S. Leo redintegravit, eodem honoris gradu ulla absque cunctatione Synodus Chalcedonensis recepit, & habuit. Quin etiam abjectis demum cum errore Acacianis Dorotheus Thessalon. non modo, postquam de obedientia cum Pontifice diu, multumque decertasset, sed Episcopi veteris Epiri, sed Ecclesia Constantinopolitana sub Justino, sed Orientalis Ecclesiæ ingenti numero Antistites, qua litteris, qua legationibus S. Hormisdæ P. M. obedientia se obstringentes, eo illum in Ecclesia loco collocatum suspexerunt, reverenterque susceperunt, cui vel Synodos ipsas sisti in judicium, si opus sit, oporteat; nec cuiquam ab ejus judicio reflectere vel latum ungnem liceat.

Decepit, in æqualemque dejecit errorem Africanos plerosque Antistites præjudicata de tribus famosis Capitulis opinio, qui Reparato Carthaginensi duce in horum Capitulorum defensionem armati eo progredi temeritatis nec extimuerunt, ut Vigilium Papam trium Capitulorum damnatorem damnarent, teste Victore Tunonensi in Chron. eodem & ipso errore asperso. Sed Episcopatibus exuti, inque exilium ejecti, tam pertinaciæ sævæ, diræque, quam horrendi, nefandique flagitii pœnas dignas, justasque dederunt. In caussa Apiarii jampridem studio pertinaci vincendi abrepti in eumdem deflexisse errorem pariter Africani Episcopi visi sunt aliquando: sed hac de re paullo post. Ex ea tamen agendi ratione, quam in hac caussa tenuerant illi, ansam non dubitarunt arripere perinde Photii partiarii, ac præsertim potissimas agitans partes Zacharias Chalcedonensis Præsul in Synodo VIII. act. 6. obtrudendi, plurimoque conferto paradigmate obtendendi Pontificis Romani Canonem Principem esse, neque Synodi contra sententiam fas illi fore quidpiam

agere, aut aggredi. Sed Metrophani Smyrnensi Metropolitæ quam proclive fuit eodem loci Photianis os obstruere, tam officio cessit Africanos ab impacta nota abstergere. Africanis Episcopis afflare eumdem errorem nihilo secius Græcorum impudentiores illos non depuduit, qui Photiano schismate instaurato, errorem de Pontificis Romani auctoritate in ceteris Patriarchis æquali refingere pariter non destiterunt, uti Theodorus Balsamon in comment. ad Can.31. Codic. Eccles. Afric.; uti Zonaras in Comment. ad Canon. Sardicens.; uti Marcus Ephesinus in disput.habita cum Johanne de Montenigro in Concilio Florent.; uti Meletius Alexandrinus, laudibus celebratus a Calvinistis, & Lutheranis, Georgio Dousa,& Henrico Hilario, in epistola ad Ruthenos: ad quos accessere deinde Calvinus,& M.Antonius de Dominis. Hæresim hancce toties fixam, atque refixam tundendi, atque retundendi pretio nunc parco, siquidem absoluti pensi loco haberi possint momenta nec pauca numero, nec pondere levia, quæ par. 1. ex proposito ex Græcorum Sapientioribus qua Patribus, qua Scriptoribus in medium produxi.

Distiterint etsi hoc ab errore quam maxime, qua ex parte in Pontifice parilis, ac in Patriarchis aliis potestatis gradus statuitur, haud declinabant tamen, ex qua Romano Pontifici refingendi a Synodis procusas sententias facultas adimitur, aut minores inter angustias, quam par sit, arctatur, plerique Galliarum Episcopi, tum qui sub Ludovico Pio eo summæ processerunt audaciæ, ut Gregorio IV. P. M. excommunicationis minas intentare non extimuerint *præsumptione audaciæ*, uti loquitur Astronomus in vita Ludovici Pii; quamve Gregorius ipse denominat *præsumptionem nunquam adhuc ab initio Ecclesiæ factam*: tum qui ob caussam Rothadi Hincmaro Remensi duce, ac calamum commodante,assumpto etiam Caroli Calvi augusto nomine, cujus obtentu bacchari liberius liceret, Hadriano II, & Johanni VIII,quæ olim S.Julio ab Eusebianis, & S.Gelasio ab Acacianis objecta fuerant, obtrudere non erubuerunt. Quamquam dissimulare nec æquum est, eosdem postea, veritatis lumine tum in nubilo positæ affulgente, a præconcepto errore decessisse; uti fusius dicam paullo infra: ut mirari valde subeat propterea, quid

quid caufsæ demum contigerit, cur illorum defpecto exemplo, quinimo in exemplum illis deductis, aditum hunc appellandi a Synodis ad Apoftolicam Sedem aut intercludere omnino, aut difficilem admodum facere adnixi fuerint Anonymus Gallus auctor tract. de libert. Eccleſ. adverfus Paulum V. quam præfidenter affirmans, tam perperam in Africa pridem appellationes non apparuiffe, primumque Zofimum ad fe traxiffe; Petrus de Marca lib.7.Concord.; Stephanus Baluzius in præfat. ad Gratiani opus; Johannes Gerbafius in tract. de major. Epifcop. cauf.; Dupinius de antiq. Ecclef. difcipl. differt. 1; Jacobus Boileau de antiq., & major. cauf. Epifcop.; Pafchafius Quefnellus in differt. apolog. pro S. Hilario Arelat. cap. 14, aliifque in difsert., aliique pari æftu ingenii exagitati profcindendi egregiam iftam, nec exiguam Pontificii juris particulam, injuftam, repulfamque toties querelam refingentes ad ravim ufque, quod infigni abfque injuria a Synodi Provincialis fententiis ad Pontificem appellere per appellationem nemo poffit: Afris, Gallis, Hifpanis religionem hanc jugiter inhæfiffe, ut in Synodicis requiefcerent omnino judiciis, quin ultra referre fe fe fuccurreret unquam. Quam interea tum abs veritate immaniter, tum interfemet aberrarint ii, hinc probe capis, multoque magis ex his, quæ fequuntur e veftigio.

Brevi hac præmiffa, veluti rectus dicendi poftulabat ordo, errorum notatione, pro re nata, ut ad eorumdem refutationem gradum referam modo præftat, ad præjactæ veritatis probationem exporrigam me, atque ad potiora argumenta protendam, quibus præcipua ifthæc Pontificii juris portio in tuto ponatur. Atque quidem, ut ab ea epocha capiam exordium, ex qua manifeftiffimus evadat Petri de Marca error, quo lib. 7. Concord. cap. 3, & feqq. præfidenter affirmare non dubitavit appellationum ufum ante Concilii Trullani ætatem in Ecclefia Orientali minime viguifse; nec minus in Occidentali ante fæculum VIII. obtinuifse, ad quæ ufque tempora appellatio ad Romanum Pontificem fuerit omnino prohibita; utque incipiam a Pontificibus ipfis, in quibus fubfit minus fufpicionis ex amore propriæ amplificandæ plus jufto poteftatis, legitimofque Synodorum limi-

tes supergrediendi, istiusmodi particulam juris affectasse, S. Melchiades Cæciliani caussam ad se delatam a Donatistis suo nomine, & jure summo discussit, ac diremit: unde apposite S. Augustinus in epist. 162. *Ipsius*, inquit, *B. Melchiadis est prolata sententia*; quam æque proferre licuisset, si per appellationem fuisset devoluta; atque perinde ex S. Optato recte Petrus ipse de Marca lib. 4. cap. 3. *Sententia*, ait, *sub Melchiadis nomine* (non etiam Synodi) *concepta est apud Optatum*. *Adeo antiqua est ista forma Synodalium sententiarum*. Quare opportunum hinc nactus est locum exagitandi auctorem Anonymum tractat. de libert. Eccles. cap. 1. ista turbantem, nec a Melchiade, nisi ex Imperatoris delegatione, Cæciliani caussam dijudicatam obtrudentem Clariss. Lupus de Africanis appellat. capp. 19, & 20, apertissimo præsertim S. Augustini testimonio suffultus in præcit. epist. 162. Africanis Episcopis appellandi ad Sedem Apostolicam fas fuisse affirmantis. S. Julius, sicuti superius jam innui, ab Eusebianis objecta depectens in id potissimum sibi incumbendum duxit, pretiumque operæ conferendum, ut turpem errorem profligaret exinde profectum, quod Pontifici in honore, ac potestate Episcopos ceteros exæquare non vererentur, ut progredientes ulterius Pontifici deinde Episcoporum judicia infringendi potestatem adimerent.

Canonem 6. Constantinopolitani I. Concilii rejectum ab Ecclesia Romana ea ratione, quod Episcoporum caussas in prima instantia, velut loquuntur, ad Provinciæ Synodum deduci injunxerit, non autem ad Primatem, aut Patriarcham, aut Papam; a Synodo vero diremptas ad Principem quidem deferri adhuc permiserit, non etiam ad Synodum generalem, aut ad Apostolicam Sedem, auctores, ac testes quam idonei, tam illustres accedunt SS. Leo I. in epist. 53. ad Marcianum August.; Gregorius M. lib. 6. in epist. 31. ad Eulogium Alexand., & Nicolaus I. in epist. 8. ad Michaelem Imperat. Videlicet, ut ego video, aberrabat immaniter Canon ille a regulis, quas in Romana Synodo S. Damasus sanciverat, quarumve specimen exhibet epistola Synodica ad Gratianum, & Valentinianum Imperatores, qua obsecrat, ut Romam accersitus a Pontifice,

tifice, aut ad Romanum Pontificem appellans quicumque, *Romam necessario, vel ad eos, quos Romanus Episcopus Judices dederit, contendere sine dilatione jubeatur*. Ex quibus exurgit quam sollicitum se dederit S. Damasus de hac juris particula in tuto ponenda, tum ea maxime tempestate, qua Schismaticorum factio ex insana concepta invidia, facto impetu ad eamdem de medio tollendam consurgebat, & conspirabat. Pertinent huc pariter epistolæ Synodi Aqilejensis, & Episcoporum Italiæ ad Imperatores; de quibus tamen paullo post. Episcoporum, & Clericorum equidem caussas in prima instantia pertinere ad Metropolitam, & Episcopum inficias non eo: sub ea tamen contendo clausula, quam S. Innocentius I. dilucide expressit in epist. ad Victricium Rotomag. *Sine præjudicio Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus caussis* (tum appellationis, tum relationis, tum præventionis intelligo ego, nisi mea me fallit intelligentia) *reverentia debet custodiri*. Sed hanc non tam in me cadere intelligentiam, qua S. Innocentio I. jampridem insedisse liquet ex epistola 17. edit. Cout. ad Macedoniæ Episcopos, ubi quum dicit: *Adverti Sedi Apostolicæ, ad quam relatio missa quasi ad Caput Ecclesiarum currebat, aliquam fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur*: nihil denotat aliud, quam in Apostolica Sede supremum Ecclesiæ tribunal erectum, toto orbi conspicuum, & patens; huc in judicium graviores caussas aut gradibus deferri, aut sisti per saltum: hinc prolatas sententias subsistere adeo inconcussas, ut nefas sit vel reficiendas referre ad Synodos, tamquam quæ de integritate laborent, certo siquidem sit certius, veluti subjungebat S. Zosimus in epist. 10. ad Aurelium Carthag., neminem *de sua posse retractare sententia*.

De cujus rei veritate dubitare nemo certe animum induet, qui sibi apponere, prout gratia quidem postulat, grave non habeat, loca, e quibus veritatem hanc educere in apertissimam lucem mox adgredior. Ordine suo heic se offert S. Cælestinus in epist. ad Clerum Constantinopolit., quem Nestorius varie, direque affligebat, adeo ut per appellationem ad Pontificem appellere e re adhuc media duxerit, nulla suppetente altera.

Is

Is igitur Apostolicæ Sedis vocata auctoritate irritas dixit sententias omnes a Nestorio ejaculatas in Episcopos, & Clericos, quos integros, & requietos in gradu, & communione permanere subjunxit. Vide, ut eos restitutendos ad Synodum Ephesinam non remittat, sed persemet restituat: audi, ut eidem Nestorius nec verbo reclamare, ne dicam facto reluctari, sit ausus; sed obmutescere, si non obtemperare, satius sit arbitratus. Loco succrescat nunc S. Leo M., qui de hoc appellationum jure sibimet approbe conscius, potius quam ad præsentia tum se dirigeret, quasi futura præsagiens, ut hujus juris sui proprii Galliarum Præsules certiores faceret, & persuasos, ita ut nullus imposterum sinistræ locus suspicioni superesset, in epist. 89. ad Episcopos Provinciæ Vienn. hæc ita conclusit, ac definivit. *Nobiscum itaque Fraternitas vestra recognoscat Apostolicam Sedem pro sui* (Primatus) *reverentia a vestræ etiam Provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus* (quarum unum, vel alterum specimen mox subtexere contentus ero) *esse consultam*, (cum quibus affinitatem maximam appellationes habere paullo post dicam,) *& per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem caussarum, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia*. Quæ quidem explicita adeo, & expedita sunt, ut nullo illustrari glossemate indigeant.

Post hæc tamen quis non miretur hominum præsidentiam, qui præfracta adhuc fronte præclarissimam hanc veritatem elevare, quantum fieri possit, adhuc pergunt, Maimburgum dico, Quesnellumque, qui cum Petro de Marca, ac Stephano Baluzio affirmare non dubitant ante S. Leonis tempora nullam unquam appellationem e Gallicanis Provinciis ad Romani Pontificis tribunal fuisse delatam ab ipsis fidei iucunabulis, usque ad Hilarii Arelatensis tempora, quando nimirum celebris illa SS. Leonem inter, & Hilarium controversia exarsit de Chelidonia a S. Hilario gradu dejecto, & a S. Leone restituto, inque ipsius gratiam admisso, de qua infra? Parum adhuc hoc habuit Quesnellus, nisi eo demum deveniret temeritatis summæ, ac nefariæ cum M. Antonio de Dominis christianæ Reipublicæ subversore, cumque post natos homines profligatissimo homine

Johan-

Johanne hæresiarcha Calvino, ut ad eludendum præmemoratum, clarum, & præclarum ex S. Leone productum locum effutiret, ac effingeret laborare heic fidem S. Leonis pro se, & caussa sua scribentis: quamvis alio in loco nimiæ, opinor, impudentiæ suæ pudore suffusus, aut pertæsus atrocitatem sententiæ illinere, & delinire visus est, obtendens vel S. Leonem a Chelidonio fuisse deceptum, vel aliter, quam revera se haberent, gestarum rerum in Gallia S. Leoni cognitionem ingestam aliam. Sed hæc Quesnelli periodus tantæ imaginem temeritatis præsefert, tantamque probos non jam dicam, sed apud quotquot, qui pudorem omnem penitus non abjecissent, conflavit invidiam, ut adversum se vel ipsum Maimburgum hist. Pontif. S.Leon. lib. 5, quamvis Romanorum Pontificum hostem infensissimum, excitaverit, & ad suscipiendas S. Leonis partes sua pro virili portione compulerit. Sed contra Sychophantas istos facit præterea S. Gelasius, qui in eamdem S.Leonis sicuti sententiam, sic sollicitudinem ingressus Acacianorum ab animo errorem teterrimum ejiciendi, quo tenebantur, ne in veritatem istam, cæteroquin in oculos velut incurrentem, intenderent, nihil pretio parsit, aut operis præteriit, quo Pontificium jus istud poneret in tuto, locoque optimo confirmaret. Plurimis autem prætermissis, quibus id perfecit in epistolis ad Dardaniæ Episcopos, de quibus jam dixi, satius habeo pauca delibasse ex epist. 2. edit. Hard. ad Faustum, nihil interea moratus, quod eadem a Clar. Maffejo in supplem. Acaciano S. Felici III. fuerit attributa: hæc autem ibidem habet. *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad Apostolicæ Sedis examen voluere deferri; ab ipsa vero nunquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium; nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari; sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi; cujus potius decreta sequenda mandarunt*. Quæ perinde facta propria a S. Nicolao I. in epist. 8. ad Michaelem Imper. frugi, qui tenet, nescio an ei ampliora, aut apertiora desiderare sit.

Quotus nihilosecius est quisque, etsi justi, æquique incontinens, qui nesciat in hanc curam, suique caussam Pontifi-

ces

ces ad unum præterea omnes conatu omni potiori conspirasse? Vigilium in epist. ad Profuturum affirmando: *Appellantium Sedem Apostolicam Episcoporum judicia eidem Sanctæ Sedi reservata esse.* S. Zachariam in epist. ad S. Bonifacium jubendo, ut Adalberti, & Clementis hæresis nomine damnatorum hominum in Synodo diligenter caussam discuteret, ac sententia dirimeret, cui si procaces illi adquiescere detrectarent, & apud Sedem Apostolicam in judicio experiri vellent, tum illos, adjunctis probatissimis testibus duobus, aut tribus, ad se dimitteret: *Ut profunda inquisitione coram Sede Apostolica eorum inquiratur caussa, & juxta quod meruerint, finem accipiat.* Sergium II. Drogoni Metensi una cum vicibus suis demandando, ut Ecclesiasticarum personarum caussas ad Apostolicam Sedem per appellationem deferri non ante quidem permitteret, quam fuissent in Synodo diligenti examine excussæ, deferrentur tum demum tamen, si a Synodi sententia appellare accusatos audiret. Atqui quorsum adhuc pleraque alia ex Pontificibus testimonia persequar, & ad cumulum adaugendum absque ulla necessitate, utilitateve congeram, quum innumera, quæ appellationum exempla suppeditat Ecclesiastica historia, totidem ab eo, qui in hac omnino hospes non sit, sint habendæ Pontificum in hocce adstruendo, sibique vindicando jure exertæ sententiæ? Unum addam tamen Alexandrum III. P. M., qui, si quis alter, in Concilio Lateranensi III. par. 10, quæ *de Appellationibus* præfert epigraphem, provinciam istam exhausit, ac periocham numeris absolutissimis exhibet. Confer inter cætera, si non te pigeat, Cap. 1. *Dilecti* Exoniensi Episcopo; Cap. 6. *Cum sit Romana Ecclesia* Archiepiscopo Remensi; Cap. 19. *Suggestum est* Episcopo Dunelmensi; Cap. 24. *Significavit* Ecclesiæ Cantuariensi; Cap. 26. *Ad audientiam* Episcopo Exoniensi, & Cap. 32. *Significaverunt* Archiepiscopo Cantuariensi. Prætermitto alia plura, quæ ex Jure Canonico passim hanc ipsam in rem proferre esset præsto.

Producta hactenus ex Pontificibus MM. loca mutuam lucem affundunt, & accipiunt ex innumeris delationum exemplis, quibus Ecclesiastica redundat historia, Episcoporum, qui in prima

ma instantia, omni prorsus omisso medio, ad Pontifices Romanos delati vario, promiscuoque nomine passim leguntur, quorum nonnulla heic præfestino gradu, ordine perturbato, ac perstricta oratione insinuare nec inutile erit, nec injucundum. Atque quidem priscam hancce obtinuisse, Ecclesiæque coævam disciplinam auspicio suo, & argumento facit S.Cyprianus. Nam Clero Romano (vacante Sede) epist. 30, ac subinde S. Cornelio epist. 55. Privatum hæresis nomine detulit: Novatum epist. 49. eidem Pontifici, a quo, quod de Felicissimo, sociisque quinque Presbyteris certiorem se non fecisset, objurgatus, epist. 42. edit. Pamelii culpam eluit, eorumque rationem reddidit accuratam, quæ ab se, & a Synodo scelestos adversus illos fuerant sancita. Præterea litteris Faustini Lugdunensis ipse sollicitatus, epist.67. S.Stephano Marcianum Arelatensem hominem in partes Novatianas abreptum denuntiavit: quam quidem epistolam fidei sublestæ, diuque post S. Cypriani ætatem confictam insimulavit vir ad omnem fallendi artem compositus pro exasperato ingenio quæcumque inficiandi, quæ ad Pontificum jura confirmanda conferrent, Johannes Launojus in libello de hacce epistola elucubrato. Sed Launoji apinas, gerrasque depexuerunt, dispunxeruntque Pearsonius in Annal. Cyprian. ad annum 244, & Pagius ad annum 255. n. 3, & seqq., ut rem proinde actam agere non sit opus. Ad S.Dionysium Papam delati tum homonymus S. Dionysius Alexandrinus de Sabellianismi suspicione, qua laborare videbatur, a Pentapolitanis, tum ab ipso met S.Antistite schismatis, & hæresis nomine Sabellius, Anabaptistæ, & Novatianus; quæstio etiam quædam de Baptismo, nec non Luciani, & Serapionis caussa denuntiata; ac demum a Patribus Synodi Antiochenæ Pauli Samosateni hæresis, ac damnatio leguntur apud Eusebium hist. Eccles. lib. 7. capp. 6, 8, 9, & 30. A Constantino M. Cæcilianum Carthagin., ac Donatistas ad S. Melchiadem dijudicandos fuisse dimissos sæpius est dictum, ut dicere iterum jam pudeat magis, quam pigeat. S. Epiphanius Johannem Hierosolym. Origenismi sibi suspectum, gradu omni prætermisso, S.Siricio P.M. detulit, teste S.Hieronymo in epist. 61. ad Pamach., qui epist. 65. auctor est etiam Origenem ab Ale-

xandrinis de pravo dogmate ad S. Fabianum delatum fuisse. S. Epiphanium versa vice de ordinato contra Canones Paulino S. Hieronymi fratre apud Pontificem accusavit præmemoratus Johannes Hierosol. Antistes. Septimius Altinus Nicetam Aquilejensem denuntiavit S. Leoni M., a quo perinde S. Hilarius Arelatensis gravi tum reprensione, tum pœna fuit exceptus, quod Chelidonium, & Armentarium ad se non detulisset judicandos, sed potius ipsemet dijudicare præsumpsisset. Victorem Diaconum Constantinopolit. ad S. Hormisdam Scythæ Monachi stitere. Leontius Arelatensis ideo gravem S. Hilari Papæ reprehensionem incurrit, quod, ut par erat, ad ipsum deferre Hermetem Narbon., & Mamertum Vienn. neglexisset: ideoque de Prætextati Rotomagensis caussa non ausus est cognoscere Auxanius Arelatensis, nisi ex delegatione Vigilii, Childeberto Francorum Regi succensere non abstinuit Pelagius I, quod Sapaudum Arelatensem non ad se, ut oportebat, sed ad Synodum in judicio experiundum dimisisset. Mauritius Imperator, etsi se ejusmodi sacris intrudere negotiis nec verecondaretur, nec vereretur, S. Gregorio M. deferendum duxit Clementium Primatem Byzacenum; Primatem vero Numidiæ Valentinionem Cresconius: cui pariter delati Januarius Calarit., Maximus Salonit., Deusdedit Mediol., Anastasius Corinth., Johannes primæ Justinianæ, passimque alii leguntur. Ideo idem Pontifex Johanni Ravennati, ut Gregorii Mutinensis, & Johanni Larisæo, ut Hadriani Thebani caussam ad suum deportarent tribunal, districtissime injunxit. Virgilium Salisburgensem, qui sibi in erroris suspicionem venerat, ad S. Zachariam deferre e re sua, ac religionis S. Bonifacius Moguntinus duxit. Idcirco vero, quod Rothadi, & Vulfadi caussas Sedi Apostolicæ non stitisset Hincmarus Remen., haud levem in se S. Nicolai I. indignationem expertus est. Mitto sexcenta horum simillima, ne præter modum in re exploratissima prolixior sim.

Delationibus affines erant Romanæ Evocationes; quarum nihil usu fuisse antiquius, & frequentius, ac in Ecclesia quidem Orientali recepto, probat textus clarus Concilii tum Chalcedonensis act. 5, ubi a Legatis S. Leonis, & Illyrici Episcopis, qui

qui illius litteris subscribere renuissent, Romam deambulare jubentur; tum Constantinopolitani IV. Can. 17, ubi Apostolico Præsuli evocanti Metropolitæ omnes occurrere absque cunctatione præcipiuntur, detinerique prohibentur, excusatione omni posthabita, a sæculi Principibus: quem Canonem directo elucubratum ad elidendam vim omnem epistolæ Caroli Calvi ad Johannem VIII. P. M., cui exarandæ calamum suum commodaverat, pro suo adversus evocationes ejusmodi ingenio exasperato, Hincmarus Remensis, non secus atque hisce haud absimilibus conscribendis cum ad S. Nicolaum I, tum ad Hadrianum II., observavit vir Clariss. Christianus Lupus de Appellat. cap. 35. Comprobant præterea exempla, quibus Romam evocatos liquet a S. Julio Eusebianos; a S. Damaso Orientales, ac Flavianum Antiochenum teste Theodoreto lib. 8. cap. 23; a S. Felice III. Acacium apud Evagrium lib. 3. cap. 18.; a S. Hormisda Dorotheum Thessalon., & Victorem Diaconum Constantinopolit., ut quæ sequiori ætate sequuta sunt, nunc silentio prætercam. In Ecclesia vero Occidentali evocationum usum frequentem venisse, atque Africanis quidem, arguere licet ex epistol. 55. S.Cypriani ad S.Cornelium de Felicissimo; ex S.Optato lib. 1, & S.Augustino epist.162, & ex collat. Carthagin.cognit.3. cap. 318, lib. adversus Donat. post collat. cap.23. de Cæciliano, & Donatistis; ex Synodica Concilii Africani anno 418. ad S.Zosimum, & vicissim Zosimi ad Afric.; ex libello Paulini Diaconi ad eumdem Pontificem, & S. Augustino lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. de Pelagianis; ex epist. Synodica Reparati, Florentiniani, & Datiani, aliorumque 217. ad Johannem II. Papam; ex S. Gregorio M. lib. 1. epist. 75. ad Gennadium Patricium, cui auctorem se præbet, ne Afros prohiberet, quominus eisdem ex Synodis profectionem adornare Romanam fas afforet; & lib. 6. epist. 37. ad Columbum Numidiæ Primatem; ex Synodica Columbi, Stephani, & Reparati e tribus Africanis Synodis ad Theodorum P.M. adversus Monothelitas conscripta; ex S.Gregorio VII. demum lib.3. epist.19.& 20, quibus Servandum ex Africa ad se appulsum Episcopum ordinandum, Ecclesiæque præfectum Hipponensi perhibet. Ab Hispanis hunc morem religioni

fuisse deputatum facile adparet ex epist. 68. S.Cypriani ad Cler., & pleb. Hisp., ubi Romam appulsos Basilidem Asturicensem, & Martialem Emeritensem refert, quem in locum adeundus Pamelius; ex Sulpitio lib. 2. perhibente Romam objecta purgaturos apud S. Damasum profectos Instantium, Salvianum, & Priscillianum; ex Innocentio I. in epist. 3. edit. Cout. ad Synodum Toletan., qua testatur ex Hispania ad se accessisse Hilarium, & Elpidium, ut de schismate, ac hæresi ibidem grassante se certiorem facerent; ex Vigilio in epist. ad Profuturum, cujus capitula relecta, ultroque recepta fuere in Synodo Bracarensi I. anno 560; ex Eginhardo in Annal., quo loci testis est liquidus Felicem Urgellitanum, postquam in Synodo Reginoburgensi, sive Ratisponensi fuisset damnatus, ad Hadrianum I. pergere compulsum, Pontifice coram hæresim abdicasse.

Ad hanc disciplinam approbe institutas Ecclesias Galliæ, Germaniæ, Angliæ, Belgii, Italiæ &c. diu, & ad devexiorem usque ætatem officii, religionisque istius Pontifici evocanti morem extemplo gerundi retinentissimas se se exhibuisse, præterquamquod argumento præclaro sunt S. Zosimus in epist. 1. edit. Cout. ad Episcopos Galliar., & 7. ad Patroclum Arelat., qua Romam ex Gallia proficiscentes ab Arelatensi Præsule accipere formatas injungit: S. Bonifacius I. in epist. 3. ad Galliar. Episcopos, qua Maximi Valentini caussam Synodo Provinciæ dirimendam quidem demandat, eumdem tamen apud se accusatum Clericos Valentinæ Ecclesiæ accessisse testatur: S. Cœlestinus I. in epist. 4. ad Episcopos Provinc. Vienn., & Narbon., qua Danielem Episcopum in conspectum venire suum, suoque objicere se judicio jubet: S. Leo I. in epist. tum ad Provinc. Vienn. Episcopos, tum ad Episcopos Siciliæ; & S. Gregorius M. lib. 6. epist. 19. Siculos statis temporibus Romam advenire solitos memorantes: S. Zacharias in epist ad S. Bonifacium Moguntin. ad Sedem Apostolicam post Synodi sententiam, si adquiescere detrectassent, dijudicandos Adalbertum, & Clementem evocans: ac præterquam quod auspicio pariter faciunt suo S. Bonifacius in epist. ad S. Zachariam; Hincmarus ipse Remensis in opusc. adversus Hincmarum Nepotem cap. 20. ante Nicænam

Syno-

Synodum usque ad S. Nicolaum I. evocationes in Gallia frequentatas inficiari non ausus; Fulbertus Carnot. in epist. 47. ad Archiepiscopum Turon. *Continentur*, inquiens, *quædam reverenda nobis in privilegiis Romanæ Ecclesiæ*: in quibus locum habere evocationes quis probe non conspicit? Paschalis II. in epist. ad Ivonem; Ivo Carnot. in reciprocis ad eumdem Pontificem; Stephanus Tornacensis in epist. 162; Goffridus Vindocin. in epist. 50; S. Bernardus in epist. 325. ad Innocentium II; & Innocentius III. lib. 2. epist. 75, & 80. ad Bartholomæum Turonensem, innumeris exploratissimum fit exemplis, quibus, ut pleraque multa prætermittam, aut post Synodorum Provincialium sententias, aut omisso prorsus medio, passim evocati leguntur Proculus Massiliensis a S. Zosimo epist. 5; Maximus Valentinus a S. Bonifacio I. epist. 3; Daniel Græcus Presbyter in Gallias profectus a S. Cœlestino I. epist. 4; a S. Gregorio M. Natalis, & Honoratus lib. 1. epist. 10; Petrus, & Prudentius lib. 4. epist. 49; Maximus Salonit., & Sabinianus Jadertinus lib. 5. epist. 12, & 25; Mediolanensis, & Comensis Antistites lib. 7. epist. 96, & seq.; & Prætor Siciliæ, ne Episcopis Romam properantibus impedimento esset, admonitus epist. 156, & 157. A S. Nicolao I. Hincmarus Remen., & Rothadus Suess.; ab Hadriano II. Hincmarus Laudun.; ab Alexandro II. Robertus Aquensis Abbas; a S. Gregorio VII. Lantfrancus Cantuariensis, aliique, quibus moras inferens Willelmus Rex ipsius reprehensionem incurrit lib. 1. epist. 31, lib. 6. epist. 30, & lib. 9. epist. 20; Giraldus Sistaricensis lib. 1. epist. 67; Isembertus Pictav. epist. 73; Theodoricus Virdun. epist. 81; Gozelinus Burdigal. lib. 2. epist. 4; Geboardus Pragensis epist. 6; Lemarus Bremensis epist. 28; Sigefridus Mogunt. epist. 29. Cunibertus Taurin. epist. 33, & 69; Guillelmus Papiensis epist. 35; Guibertus Raven. epist. 42; Otto Constant. epist. 60; Ivo Sandionys. epist. 64; Herimannus Bamberg. lib. 3. epist. 1; Richerius Senon. lib. 4. epist. 9; Rodulphus Turon. epist. 13; Evardus Parm. lib. 6. epist. 18: mitto alios ne sim longior. Ab Urbano II. S. Anselmus Cantuar., & impedimentum apponens Willelmus II. Rex ideo objurgatus. A Callisto II. Turstinus Eborac; Guillelmus Eborac; & Alexander Leodiensis ab Innocen-

nocentio II; Theobaldus Cantuar. ab Eugenio III; Henricus Dunelm., & Rogerius Eborac. ab Alexandro III; Adolphus Colon. ab Innocentio III &c., quæ delibasse ex innumeris, exempla sat modo, superque est.

Contra Evocationes Romanas enixi deinde sunt Carolus Calvus, Henricus IV, Fridericus I, & II, Henricus II. Rex Angliæ, Philippus cognomento Pulcher &c.; inque querelas effudere plerique se pariter ex Græcis, Anglis, Gallis, Belgis, Germanis, Hungaris, Siculis &c., quas perinde querelas expurgare, ac tanquam juri conformes comprobare Dupinius differt. 2, Gerbasius de Caus. major., Boileau de antiq., & major. Episcop. caussis, Quesnellus in apolog. pro S.Hilario Arelat. &c. non erubuerunt. Defendere tamen, ac vindicare non destiterunt S.Nicolaus I, Hadrianus II, Johannes VIII, S.Gregorius VII, Eugenius III, Hadrianus IV, Alexander III, Lucius III, Urbanus III, Gregorius IX, Bonifacius VIII. &c; quorum non tam gratiæ, quam veritati calamum accommodare suum officii duxerunt Johannes Davidius, Christianus Lupus de appellat., Ludovicus Gotti colloq. 8. theolog., polem. adversus Piceninum &c. Nec vero moror Concilii Basileensis decretum sess. 31. editum, quo evocationes ad Romanam Curiam revocantur, ac constituitur, ut in locis quatuor dierum itinere ab eadem Curia Romana dissitis caussæ omnes, exceptis majoribus, ac Sedi Apostolicæ reservatis, a locorum Judicibus tractentur, & terminentur: item ut appellationes semper ad Judicem proxime superiorem, neutiquam, omisso medio, ad ipsius superiorem, etiam ad Papam, deferrantur; atque ut delatæ ad Pontificem rescripto committantur delegato in partibus usque ad caussæ conclusionem: quod decretum in Pragmaticam Sanctionem tit.5. *de Caussis*, & in Concordata Gallica tit. 26, & seqq. descriptum fuit; receptumque fuisse in Germania quoque liquet ex Goldasto Constit. Imper. tom. 1. pag. 406. Nam decretum istud Basileense impingere in Canonem 6. Nicænum, in Canones 4, & 5. Sardicenses, in epistolas S.Innocentii I. ad Victricium Rotomag., S. Bonifacii I. ad Dardaniæ Episcopos; S. Leonis M. ad Episcopos Prov. Vienn. &c., ac revocare Canonem 6. Concilii Constantinop. I. a Romana Ecclesia

clesia rejectum nemo non videt. Quamquam & clausula decreto adjecta de caussis majoribus, ac reservatis satis insinuat eò temeritatis excurrere Basileenses non ausos, ut evocationes Romanas evacuarent omnino, non nescientes videlicet id eodem recidere, ac Pontificis Romani Primatum evertere. Laude omni potius est digna prudens oeconomiæ, ac dispensationis species, qua usi Martinus V, & Leo X. in Concordatis sive Germanicis, sive Gallicis apud Harduinum tom. 8. pag. 891; & tom. 9. pag. 1877. minores caussas in partibus deinceps pertractari, ac definiri permiserunt. Confer & Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1, & sess. 24. cap. 20, ubi Pontificiis inoffensis privilegiis, quinimo in tuto positis ratio tractandi caussas ad forum Ecclesiasticum pertinentes sapientissime præscribitur.

Cum Evocationibus cognationem habebant maximam Profectiones Romanæ tota retro antiquitate frequentatæ, e quibus celebriores evaserunt, quæ præ aliis institutæ leguntur ad S. Anicetum ab Hegesippo, & ob Paschatis caussam a S. Polycarpo: ad S. Victorem ad Theophilo Cæsareensi, & ob caussam Montani, & Cataphrygum a S. Irenæo Lugdunensi: ad S. Zephyrinum de Romanæ Ecclesiæ dogmatibus, ac disciplinis audiendi gratia ab Origene: ad S. Dionysium Sabellii hæresim, & hac suspicione laborantem homonymum Alexandrinum deferendi caussa a Pentapolitanis: ad S. Liberium, ut in ipsius communionem irreperent, a Legatis Synodi Lampsacenæ: ad S. Damasum tum ut decernendis adversus hæreticos suffragarentur, a SS. Petro Alex., Paulino Antioch., Epiphanio, & Ascholio; tum ut objectam hæresis infamiam expurgarent, ab Instantio, Salviano, & Priscilliano: ad S. Siricium, sive ut gradum S. Johanni Chrysostomo confirmari obsecraret, ab Acacio Berœensi, sive ut ad gratiam Flavianum Antioch. redintegrare obniteretur, ab Isidoro Alexandrino: ad S. Innocentium I, qua ut in Chrysostomi defensionem concurrerent, a Pansophio, Pappo, Demetrio, Eugenio, Cyriaco, Eulysio, Palladio &c., qua ut ad reprimendos in Africa Donatistas opem mutuarent, Theasio, & Evodio: ad S. Sixtum III, pro restituenda pace in Ecclesia Orientali, ac S. Cyrillo Alex. reconciliando Johanne Antiocheno,

cheno, ab Hermogene, & Lampetio Episcopis, Clericisque aliis &c. Profectionibus succreverunt perinde Consultationes, ac Relationes undique ad Romanam Ecclesiam confluentes, de quibus egerunt dilucide S. Clemens in epist. ad Corinthios; S. Soter in epist. pariter ad Corinthios apud S. Dionysium Corinth.; S. Eleutherus in epist. ad Ecclesias Asiæ, & Phrygiæ apud Eusebium lib. 5. cap. 3; S. Victor apud Eusebium lib. 5. cap. 23, & Ven. Bedam de æquin. vern. in epist. ad Episcopos Palæstinæ, aliarumve Provinciarum; S. Cornelius in epist. ad S.Cyprianum, ad Fabium Antiochenum, ad Afros, & ad Dionysium Alexand.; apud S. Cyprianum, ac Eusebium lib. *6.* capp. 43, & *46*; S. Stephanus in epist. ad Plebem Arelat., & ad Syriæ, & Arabiæ Provincias apud SS. Dionysium Alex., & Cyprianum; S. Dionysius in epist. ad cognominem Alexand. apud eumdem, & S. Athanasium; S. Felix I. in epist. ad Domnum Antioch., & Maximum Alexand. apud Eusebium lib.7. cap.30., Patres Ephesinos act. 1, S. Cyrillum anath. *6*, & Marium Mercat. pag. 178, & 240. edit. Baluzii; S. Alexander Alexand., & Synodus Arelat. in epist. ad S. Silvestrum; S. Julius in epist. ad Orient.; S. Liberius in epist. ad Orient. Episcopos, & ad Ecclesias totius Orbis christ. apud S. Sicicium epist. 1.; S. Damasus in epist. ad Episcopos Illyrici, ad Paulinum Antiochenum, ad Acholium Thessal., ad Orientales, & ad S. Hieronymum; S. Siricius in epist. ad Himerium Tarracon., ad Africanos Episcopos, & ad Episcopos Galliar., nisi postrema hæc potius S.Innocentio sit tribuenda; S. Anastasius I. in epist. ad Johannem Hierosolym., ad Venerium Mediolan., & ad Africanos Antistites Codic. Eccl.Afric. Can.*65*, & *68*.; S. Innocentius I. in epist. ad Victricium Rotomag., ad Synodum Tolet., ad Exuperium Tolos., ad Episcopos Macedoniæ, ad Alexandrum Antioch., ad Decentium Eugub., & ad Patres Concil. Carthag., & Milevitani; S. Zosimus in epist. ad Hesychium Salonitanum, & ad Africanos Præsules; S.Cœlestinus I. in epist. ad Episcopos Prov. Vienn., & Narbon., ad Orientales, ad Synodum Ephesinam, & ad Episcopos Galliar.; S. Sixtus III. in epist. ad S. Cyrillum Alex., & ad Johannem Antioch.; S. Leo M. in epist. ad Episcopos

copos Campan., & Piceni, ad Episcopos Siciliæ, ad Rusticum Narbon., ad Anastasium Thessal., ad Nicetam Aquil., ad Episcopos Maurit. Cæsar., ad Episcopos Galliar., & Provin. Vienn., ad Turibium Asturicensem &c. Parco reliquis, ne prolixior sim, quorum plerosque recolere præstat par. 1. in proleg. ad Artic. III, & VI.

Hæsi hactenus in fide Pontificum; conferendo nunc gradum ad Concilia, occurrit ex Nicæno Canon Arabicus 71. in vers. Ecchel. hisce conceptus verbis: *Si quis Episcoporum delatus fuerit aliqua in re, propterea convenientes Episcopi illius Sedis, & exsolverint illum suo ordine; & ministerio interdixerint, volueritque ille appellare, & querimoniam deferre ad Beatiss. Episcopum Ecclesiæ Romanæ, placueritque ei audire querimoniam, atque justum ipsi visum fuerit iterum perscrutari negotium ejus*: (quod duobus fieri posse modis, prout alluberet Pontifici, subjungit, aut Episcopos in Provincia delegando, aut Legatos a suo latere dirigendo) *Profecto obediendum in hoc est, statimque acquiescendum in caussa illius Episcopi, atque judicio de ipso lato, quod consentaneum, rectumque visum fuerit Episcopo Romano Papæ*. Ut ut sit de loco auctoritatis, quo stent Canones isti, de quibus disputatum est alibi, Orientalibus approbe Canones istos acceptos in confesso est. Cum hoc vero cohæret Canon 6. in Paraphrasi Arabica Josephi Ægyptii; cohærere imo Nicænum 6. in Codice Romanæ Ecclesiæ auctores sunt liquidi S. Julius I. in epist. ad Euseb.; S. Zosimus in Comm. ad Legatos; S. Bonifacius I. in epist. ad Dardan. Episcop.; S. Leo M. in epist. ad Theodosium; S. Felix III. in Synod. ad Cleric., & Monach. Orient.; S. Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ; & S. Nicolaus I. in epist. ad universos Galliæ Episcopos. Celeberrimi sunt autem Canones 3, 4, & 7. Sardicenses in vers. Dionysii, sive 4, 5, & 7. in vers. Isidori, sequentibus expressi verbis, ex quibus jus appellationum Romano Pontifici integrum, & sacrum jugiter fuisse, tanquam sacri in Ecclesia Primatus appendicem; neque illud Ecclesiastica institutione inductum, sed imo divino jure institutum quam præferri, tam probari probus quisque percipiet. Ecce Canonis 3. excerptum. *Si aliquis*

Episcoporum judicatus fuerit in aliqua caussa, & putat se bonam caussam, habere, ut iterum Concilium (Isidorus legit judicium) *renovetur, si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui caussam examinarunt, Julio Romano Episcopo* (tum Pontifex erat S. Julius, atque intuitu sententiæ a S. Julio in gratiam S. Athanasii latæ Canon elucubratus est. Isidorus Julium omisit. In Græcis codicibus Mss. nonnullis habetur *Sylvestro*. Certo certius tamen designatur Pontifex Romanus, qui tum pro tempore Ecclesiæ præsit:) *Etsi judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det Judices. Si autem probaverit talem caussam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt.* His consentanee Canone 4, ex quo profecta antiqua, plenaque æquitatis restituendi spoliati regula, statuitur: *Ut quum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma; alter Episcopus in ejus Cathedra, post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur; nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.* Canone 7. denique modus exprimitur, quo Summus Pontifex interpositas appellationes suscipiat, exsequatur, & prosequatur, quin ipsius potestatem angustiores inter terminos coercere præsumat, quatenus nempe non tantum per semetipsum, sed & per vicinæ Provinciæ Synodum, aut per datos in partibus cognitores, sive directos a latere suo Presbyteros, qui aut per se solos, aut cum Provinciæ Episcopis caussam discutiant, & dirimant, appellatam caussam prout oportuerit, ac putaverit opportunum, retexere possit, ac retractare. *Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi Regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint; si appellaverit, qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri; si justum putaverit, ut renovetur judicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui*
rogat

rogat caussam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyteros mittat; erit in potestate ipsius quid velit, & quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio suo judicaverit. Juxta hæc itaque a Synodo Sardicensi triplex designatum est in caussis Episcoporum Judicium: 1. experiundum in Synodo Provinciæ: 2. apud Episcopos a Pontifice delegatos: 3. apud Pontificem ipsummet, aut Legatorum suorum ope.

Quotus est vero quisque, qui res ex recta ratione, unoque ex amore veritatis æstimare, & metiri solet, non dubium est, quin hisce Canonibus a Synodo Sardicensi Apostolicæ Sedi jus appellationum non institutum fuisse quidem, inductumque, sed confirmatum, vindicatumque dispiciat: quemadmodum approbe demonstratum est a viris Doctiss. Perronio in replica ad respons. Regis Angliæ cap. 3; Pagio in Crit. ad annum 347. n. *6*, & seq.; Binio, Lupo, Cabassutio, Catalano &c. in Notis ad hos Canones. Quinimo tanta est horum Canonum lux, tamque dilucida, ac in oculos velut incurrens sententia, ut mirari valde subeat, quas, quantasque his offundere tenebras, ubi res in lumine est posita, atque ubi nulla prorsus inest, difficultates oggerere ii studeant, qui Pontifici jus istud invidendi præ insania, qua isto Pontificem fraudatum vellent, præter modum exæstuant. Ex Græcis schismaticis, qui ex Concilii Constantinop. Canone 3, & Chalced. Can. 28. Romano Pontifici exequare Constantinopolitanum Præsulem gradu, ac potestate obnixi sunt, Theodorus Balsamon, Simeon Thessalonicensis, Alexius Aristenus, Georgius Cedrenus &c., quorum hac in re moderatior ipsemet Zonaras, rei evidentia convictus, hanc eorum violentam explicationem, veriusque intrusionem rejecit apud Allatium de Occid., & Orient. Eccles. Consens. lib. 1. cap. 16., Canones Sardicenses ita constringunt, sinistraque interpretatione sua ita accipi jubent, ut ad Pontificem Romanum appellari fas sit Episcopis dumtaxat, Ecclesiisque Patriar-

chico ipsius juri obnoxiis; eodemque ipso pariter jure in sibi obnoxios Episcopos, & Ecclesias potiri ceteros Patriarchas. Verum cæcutiunt in luce media, ac res luce clariores aut turbare nefaria inversione volunt, aut turbato nimium oculo vident. Agebatur procul dubio de appellatione ex Patriarchatu alieno, atque de jure appellandi, quod nuper inductum, ac divino juri adversum causabantur Eusebiani; e contra juri divino innixum, ac in Ecclesia integrum decernebant Sardicenses Episcopi: agebatur nempe de appellatione S. Athanasii, Pauli, Marcelli, Asclepæ, Lucii, aliorumque Præsulum, ac Presbyterorum, exindeque generalis regula statuebatur, qua ex Patriarchatu quolibet appellere per appellationem ad Romanum Pontificem fas afforet. Antiquissimæ regulæ huicce suffulti Romani Pontifices in prima, aut secunda instantia de Patriarchis aliis, ac Primatibus tulisse sententiam leguntur passim. Ad hanc regulam antiquissimam tum egregiam illam exegit sententiam, quam in Ephesina Synodo exeruit Juvenalis Hierosolym. Episcopus: *Ex Apostolico ordine, & traditione mos est, ut Antiochena Sedes per Romanam dirigatur, & judicetur*: tum eam agendi rationem inivit Synodus Alexandrina, qua Patriarchæ sui exagitatam adeo caussam demum ad Romanum Pontificem dirimendam deferre satius habuit, ut referunt SS. Athanasius in apolog., & Hilarius in frag. Ex antiquissima hacce regula profecta est religio illa, qua dum Ecclesiarum suarum afflictas res cernerent, ad Ecclesiam Romanam pro remedio confugere Patriarchas sive Alexandrinos, sive Antiochenos solemne habuisse perhibent S. Bonifacius I. in epist. 15. ad Episcop. Maced., ac Eutherius Thyanensis, & Helladius Tharsensis in epist. ad S.Sixtum III. P.M. Exinde profecto appellandi a Patriarchis, aut Synodis ad Pontificem argumentum arripuisse qua Orientales, qua Occidentales quotquot, qui in hanc se dediderunt viam, paullo post in confessum veniet; quin etiam profectum appellandi fas illud, quod tandem, veritatis affulgente lumine, Græci ipsimet in Conciliis Lateranensi IV, Lugdunensi II, & Florentino fassi sunt, & professi, arguere certo auspicio ex mox dicendis proclive erit.

erit. Recolito interea, si non te pigeat, quæ tradidi par. 1. Art. 2. §. 1.

Ex Latinis nostris neque defuerunt (quod referendo pudore suffundor) sublestæ fidei homines, qui pro exasperato in Pontifices ingenio Sardicenses Canones susque deque agere, turbareque gestirent, atque intelligentiam, aut quam præseferunt facilem, implicare, aut quam præconcepissent ipsi, falsam impingere. Principio Auctor gallus tract. de libert. Eccles., & Quesnellus dissert. 5, quibus hoc in errore præiverat Petrus de Marca lib. 7. cap. 3, Sardicensem Synodum e generalium censu subducendam excogitarunt, obtrudentes Synodi istius auctoritati nec Occidentales fidem semper obstrinxisse suam; Orientales vero nunquam conatu, quo valerent, potiori non obstitisse: ideoque in ea conditos Canones tanti nec esse, nec æstimari, ut obligent, omninoque urgeant. Sed hoc non est aliud, nisi desperatæ caussæ desperatum suffugium quærere, præque desperatione hominis difficilem nodum non tam solvere, quam abrumpere. Sed hacce de re abunde, opinor, jam disputavi part. 1. Art. 2. §. 1; egregieque adversus Petrum de Marca disputat clariss. Lupus de appell. cap. 32. Idem Petrus de Marca lib. 5. concord. cap. 12, & Johannes Gerbasius de antiq., & major. Episcop. caussis cap. 49. Canonum nomine, quos in appellationum caussis Pontifices MM., ac præsertim SS. Julius I, & Leo M. suis in litteris commemorant, intelligi revera jubent Canonem 6, aut 5. Nicænum, quibus declaratur quidem Romana Ecclesia Primatum obtinere, in Episcoporum attamen caussis Synodo Provinciali supremæ permittuntur partes. Ita igitur clanculum, hisque veluti transversis cuniculis Sardicensium Canonum auctoritatem appetunt, & oppugnant. Aberrant ii autem toto ostio abs veritate, eorumque unum in caput demum recidunt doli: nam Canonis nomine a S. Julio vel intellectam Divinam institutionem, cui Primatus ipse Pontificius innititur, ostendit doctiss. Blancus de potest., & polit. Eccles. tom. 4. lib. 2. cap. 3. §. 8; vel ex intelligentia Nicæni Canonis recte inlatum jus Synodorum sententias revocandi, ac rescindendi ostendimus dilucide ex epist. ad Orientales. A S. Leo-

ne

ne vero designatos proculdubio Sardicenses liquido patet ex epistola ad Theodosium Augustum, cui in exemplari græco apud Harduinum tom. 2. pag. 26., ut ipsemet ibidem adnotat, quin apud ipsum Petrum de Marca lib. 7. cap. 7. insertus legitur Canon 4. Sardicensis: idque adeo exploratum, ut inficias ire idemmet, Quesnellus, ac Dupinius, neque pro sua quodlibet audendi libidine, quiverint. Atqui Sardicenses adversus Afros primum a S. Zosimo fuisse productos, quasi ad nuperæ ab se usurpatæ potestatis experimentum apud incautos Antistites illos capiendum, effingere, ac effutire nec puduit Petrum de Marca lib. 7. cap. 12, & Quesnellum in dissert. apolog. pro S. Hilario cap. 14., ita nempe vel ex injuria, & mendacio in Pontificium jus quærere, conflareque invidiam nec parcentes. Sed atrocem calumniam, insigneque commentum dispungit, ac dispellit vel Hincmarus Remensis, homo hacce in re haud suspectus, qui in libello oblato Synodo Duziacensi adversus Nepopotem suum homonymum Laudunensem cap. 10. S. Innocentii I. locum ex epistola ad Victricium describit, ubi cap. 3. hanc in rem Canones Sardicenses, etsi sub Nicæni nomine (quod eodem sub titulo recensiti essent in codice S. Romanæ Ecclesiæ), celebrat, & commendat.

Alteram evadendæ difficultatis, nec præruptam minus, implicitamque viam ingressi Launojus in epist. 3. ad Jacobum Boetium, & Quesnellus dissert. 7. de caussa Eutychetis oggerunt tribus illis Canonibus Sardicensibus eam vim inesse, ut accipi debeant de appellatione interposita pariter, atque insimul ad Episcopos Patriarchatus Occidentalis, ex quorum sententia, in quam Orientalis pariter Ecclesiæ conspirent Episcopi, procedere Romanum Pontificem in caussis appellationum oporteat; non etiam, ut per se solum ad ferendam de eisdem sententiam prosilire fas sit. Quam intorta sit, perque vim intrusa interpretatio isthæc, præterquam adparet luculenter ex testimoniis luce clarioribus, quibus ex Sardicensium Canonum, nec non juris Divini interpretatione unum Pontificem appellatione pulsandum tradiderunt SS. Julius, Innocentius, Cœlestinus, Bonifacius, Leo, Felix, Gelasius, Vigilius, Nicolaus &c., quibus

bus equidem, per me licet, fidem Quesnellus, & Launojus abnegent suam, probus tamen, frugique omnis aure utraque facili, pronaque auscultabit, liquet etiam vel ex una obvia, litteralique eorumdem lectione Canonum, ubi ne vola quidem, leveque vestigium occurrit hujusmodi per vim obtrusæ a Launojo, & Quesnello legis. Sed & immaniter commentum istud aberrat a scopo Concilii Sardicensis, qui non alius profecto fuit, quam Eusebianis modum deinceps eripere omnem Ecclesiastica judicia sive posthabendi, sive pervertendi, brevemque formam, ac fixam præscribere judicia hujus genus finiendi. Enim vero, ut repetam verbo, Eusebiani jure omni divino, & humano susque deque verso, & turbato S. Athanasium, Paulum, Marcellum, Asclepam, Lucium, aliosque cum Præsules, tum Presbyteros ex Ægypto, Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, & Palæstina in pseudo-Synodo Tyria gradibus suis ingenti non absque ignominia deturbaverant. Ad Apostolicæ Sedis audientiam, quam injuriis appetiti illi adierant, pariter acciti, parere, & accurrere detrectarant. Adjudicata igitur caussa S. Athanasio, unaque cum Sociis absoluto, eo refugii se receperunt demum impudentissimi homines, ut reclamarent in Romani Pontificis neutiquam positum potestate Synodorum Orientalium sententias retractare, ac rescindere, sicuti memomoriæ proditum est a S. Hilario in frag. 3, Socrate lib. 2. cap. 15, & Sozomeno lib. 3. cap. 8. Ad hoc itaque adinventum præcidendum, evadendique aditum præcludendum celebris illa ad Eusebianos a S. Julio exarata epistola est, celebratumque Sardicense Concilium, ac in eo tres illi celeberrimi sanciti Canones sunt, nempe statutum, ut juxta optimam, quam S. Julius procedendi rationem insinuaverat, appellantium Episcoporum caussæ alterutro ex præfatis modis definirentur vel ope Synodi alterius, ac delegatorum a Pontifice, vel opera Legatorum a latere, vel persemet a Pontifice Synodi confirmante sententiam. Quorsum igitur Quesnellus, & Launojus speciosam hanc spartam dirimendi appellationum caussas Synodo ex Occidentis, & Orientis Episcopis coadunandæ solemni decreto a Concilio Sardicensi demandatam obganniunt; com-

commentumque hoc ſuum contra expreſſum Sardicenſis Concilii ſcopum recta, & oblique iſthuc obtrudunt? Nec vero moror eorum tam expers conſilii, quam æqui devium excogitatum, qui de ſuo commenti ſunt Romanas appellationes quamdam eſſe juris particulam, cujus Romanum Pontificem Synodus Sardicenſis participem fecerit, illius, quo Romanis Imperatoribus fas ſemper fuit Eccleſiaſticas cauſſas, etiam Synodales, per Reſcripta ſacra delegare retractandas aliis Judicibus: commenti enim iſtius inanitas evidenter patet ex iis, quæ in prolegom. de concurſu poteſtatis civilis, & Eccleſiaſticæ dilucide, & abunde ſunt diſputata.

Ea communis eſt tamen evaſio, in quam manibus, pedibuſque conſpirant Petrus de Marca lib. 7. cap. 3; Launojus; Gerbaſius in differt de Major. Epiſcop. cauſ.; Queſnellus; Dupinus de antiq. Eccleſ. diſcipl. differt. 1; Duguetus Conf. Eccleſ. diſsert. 67; Auctor Epitomes hiſtor. Eccleſ. gallice elucubratæ tom. 2. edit. Colon. art. 13, aliique hujuſce ingenii ad frugem parum, aut nihil facti, videlicet in vim Canonum Sardicenſium Romano Pontifici adquiſitum dumtaxat jus decernendi reviſionem, ac retractationem, non item jus abſolutum revocandi, ac reſcindendi, ſed iſtud ſupremum, & integrum remanere penes Synodum Provinciæ, ad quam juxta tenorem Canonum Sardicenſium pro recognitione, ac pro reformatione cauſſas remittere Pontifex teneatur. Miſeret me valde hominum vicem, qui ingenio deſudant, ut rem explicitam, nihilque difficilem perverſe interpretentur, ineptiaſque ſupinæ ignorantiæ plenas effundant, & propinent! Quid enim hac interpretatione, dic ſodes, obtuſius; quidve obvio Sardicenſium Canonum ſenſui magis obverſum? Quis obtutu tam obſtipus, aut obſtupidus, qui cernens in iſtos Canones approbe non percipiat interpoſitis proclamationibus ad Romanum Pontificem attribui effectum devolutivum non modo, ſed ſuſpenſivum? Facultatem non tam fieri, quam a Chriſto D. factam fateri, qua appellantium cauſſas retractare, ac reſcindere Pontifex poſſit, vel perſemetipſum in Romana Curia, vel in partibus per delegatos a latere ſuo Presbyteros, vel per Synodum vicinæ, aut etiam ejuſdem Provinciæ,

vinciæ, istiusque sententiam, prout videret prudens, aut confirmare, aut infirmare? Quid, inquam, quod potestatem hanc ipsi haud plane tribuit, sed potius tributam in S. Petro, in succedentes ex asse derivatam, per Apostolos sapienter ordinatam, confirmatam a Patribus Nicænis, a prisca ad sequiorem usque ætatem plurimis stabilitam exemplis, solummodo instaurasse Sardicenses Patres æstimandi sunt, & contra Eusebianorum conatus explicuisse, defendisse, & vindicasse, quæ omnia cum par. 1. art. 2. §. 1, tum paullo superius loco, aut ego fallor, stabilita suo firmissime sunt? Osores igitur istos a Synodo Sardicensi aut jus novum procusum, inductumque comminiscentes; aut istud integrum cum Synodi Provincialis supremo jure componere tam inepte cogitantes; aut Sardicensi Synodo tam alienum sensum appingentes apage, omnino apage.

Quam paullo superius, antequam Patrum Sardicensium fieret propria, S. Damasi fuisse dixi præclaram sententiam in Romana Synodo explicitam, ac in Synodica ad Gratianum, & Valentinianum Imperat. expressam, eadem perinde fuit cum Synodi Italicæ in epist. ad Theodosium Imperat., tum Gratiani Augusti in rescripto ad Aquilinum Urbis Vicarium. Enim vero ea in Synodica a S. Ambrosio exarata Itali Episcopi Orientalibus, qui tum Constantinopoli agebant Conventum, auctoritate se longe anteferentes constantissime affirmant Maximi Constantinopolitani Episcopi causam Romæ quidem, quo provocaverat, quove comparere ad Concilium Orientales quoque oportebat; non autem Constantinopoli, quod præsumpserant, definiri potuisse, ac debuisse: Maximum itaque ad experiundum judicio admissum, jureque probatum sua fuisse perinde communione donatum, suaque dignum sententia habitum, qui pristinum honoris recuperaret locum: recens esse SS. Athanasii, Petri Alexandrini, Præsulumque aliorum exemplum, cui con fisus Maximus ad fidem Romanæ Ecclesiæ confugerat, quam pariter ope, & officio sibi haud defuisse experimento tandem proprio didicerat: *Cum cognovissent* (Orientales) *ad hoc partium venisse Maximum, ut caussam in Synodo ageret suam, quod etiamsi indictum Concilium non fuisset, jure, & more Majo-*

Majorum, sicut & S. mem. Athanasius, & dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse judicium viderentur, cum eum, sicut diximus, experiri velle adversum eos, qui Episcopatum ejus abnuerant, comperissent, præstolari utique etiam nostram super eo sententiam debuerunt. Quæ quidem dicta ratione potissimum habita Romani Pontificis, qui ratione Primatus Episcopis totius Orbis præerat, accipi debere nemo non percipit: post quæ sic pergunt. *Itaque Maximum Episcopum receperunt in communionem nostra consortia ... Nec ab Episcopatus Constantinopolitani putavimus petione removendum ... Neque enim indignum videtur, ut Romanæ Ecclesiæ Antistitis, finitimorumque, & Italorum Episcoporum debeant subire tractatum &c.* Pervertere hæc, ac sinistra perturbare interpretatione conatur Petrus de Marca lib. 7. cap. 4, clara sunt tamen, ac præclara iis, qui a præjudicata opinione absolutum vel obiter applicuerint animum. Ad omnem nihilominus amoliendam suspicionem adisis, si velis, clariss. Lupum de appellat cap. 33, quo loci omne penitus Petri de Marca commentum propulsat.

Devenio nunc ad Gratiani Augusti Rescriptum datum, ut dixi, ad Aquilinum Urbis Vicarium; quo Synodi Romanæ, uti par erat, votis faciens satis Præfectis Prætorio Galliæ, & Italiæ, sive Proconsulibus, & Vicariis districte injungit, quatenus ad Pontificem *Romam necessario, vel ad eos, quos Romanus Episcopus Judices dederit, sine dilatione*, sive Episcopum a Metropolita appellantem, sive Metropolitam a Pontifice evocatum contendere compellerent. Sciens, & prudens fallitur heic Petrus de Marca, fefellitque turpiter Gerbasium, & Quesnellum, siquidem hancce tam æquam Gratiani legem consuetudini Ecclesiasticæ, receptisque in Ecclesia regulis agere adversam non erubuit, quam proinde merito jure parvi admodum fecerint Galliarum Antistites, qui haud plurimum ejusdem sollicitari se observantia permiserint. Non ibo quidem inficias eam in Gallia quammaxime obtinuisse disciplinam, ut Episcoporum caussæ in Synodis Provincialibus fere, ac plerumque deter-

ter-

terminarentur: determinandas attamen deferri ad Pontificem sive per appellationem, sive in prima instantia tum fas semper fuisse, tum frequenti in more positum pugno, & propugno, quæque in aciem produco, momenta prorsus evincunt. Enimvero juris, & justitiæ plenissimis precibus subnixam legem a Gratiano latam a Gallicanis Episcopis nec contemptui habitam, neque fuisse neglectam exertissimo id esse argumento primum potest, quod ad rogandam legem illam apud Imperatorem precibus suis, qui præsentes aderant Synodo, Gallicani Episcopi pariter concurrerint, atque impetrata demum lex Gallicanæ Ecclesiæ usu perenni venerit sub summis Pontificibus Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cœlestino, Sixto, Leone, Hilaro &c., nihilque eadem celebratius evaserit subinde sub Zacharia, Hadriano I, Gregorio IV, Leone IV, Nicolao I, Hadriano II, Johanne VIII, &c. teste ipsomet Hincmaro Rem. in epist. ad Hadrianum II, ac liquet ex Capitulis Inghilramno traditis ab Hadriano I. cap. 23. Præterea quod lex tam utilis, Ecclesiæque commoda, quam æquitatis, justitiæque cumulatissima laude omni digna visa fuerit Honorio Imperat. Cod. Theodos. lib. 16. tit. 2. L. 35; & apud Sirmondum in append. Cod. Theodos. pag. 6., quo loci hanc ipsam a Gratiano latam occasione schismatis Urficini legem, non autem, uti Gothofredo visum fuit, legem post Cæsaraugustanam Synodum adversus Priscillianistas editam, ab Honorio commemoratam ostendit vir doctiss. Petrus Coutantius in notis ad hoc Rescriptum. Post hæc, quod idonea quoque lex habita fuerit, quæ rogatu S. Leonis M. adversus S. Hilarii Arelatensis conatus a Valentiniano III. Imperat. instauraretur; quin imo, ut ad ejusdem legis amussim Episcoporum caussas exigi non permiserint tam, quam peroptaverint Carolus M., Ludovicus Pius &c., veluti conjicere licet certo ex lib. 7. Capitul. cap. 241; ex Synodo Triburiensi anno 895. habita capit. 30, quo respectum ad Canonem 3. Sardicen. augurari fas est, quodve ab Ivone par. 5. cap. 50, & abs me par. 1. art. 6. §. 2. descriptum fuit; missisque aliis multis, ex lib. 4. addit., quo loci hæc inter alia Ludovicus Pius habet: *Placuit, ut accusatus, vel judicatus a Comprovincialibus in aliqua caussa Epis-*

copus licenter appellet, & adeat Romanæ Ecclesiæ Pontificem, qui aut per se, aut per suos Vicarios retractari ejus negotium procuret. Cujus rei eam reddit caussam, & rationem, quod unum penes Pontificem Ecclesiasticæ potestatis summa consistat, ex qua fas esse subinfert: *Ut omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, vel criminantur caussis, quoties necesse fuerit, libere Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam, quasi ad Matrem, confugiant, & ab ea, sicut semper fuit, proful-ciantur, defendantur, & liberentur*. Quid tandem quod Carolus Calvus, etsi ab Hincmaro circumscriptus in istas appellationes impegerit aliquando, a Johanne VIII. Imperator inauguratus cum in Ticinensi, tum in Pontigonensi Conventu Capitulum 1. præmem. Novellæ 3. Valentiniani III. apprime conforme, ac forte ab ea desumptum, in suæ erga Pontificem egregiæ devotionis argumentum edidit, jubens: *Ut S. Romana Ecclesia, sicut est Caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur, ac veneretur. Neque quisquam contra jus, & potestatem ipsius aliquid injuste agere præsumat, sed liceat ei debitum tenere vigorem, & pro universali Ecclesia Pastoralem exhibere curam*. Cujus ad curæ speciem spectare certe appellantes benigne amplecti, affectis injuria vindicias afferre, afflictorumque res, jura, ac rationes curare, & procurare auctores quam liquidos, tam locupletes Gallis Episcopis præ aliis se præstiterunt Hadrianus I. in Capit. ad Inghilramnum cap. 23; Gregorius IV. in epist. ad Episcop. Galliæ, & Germ.; S. Leo IV. in epist. 1. ad Episcopos Britanniæ; S. Nicolaus I. in epistolis ad Wenilonem Senon., Herardum Turon., Hicmarum Rem., ad Synodos Silvanecten., & Suession.; atque ad Episcopos Galliar. in caussis Rothadi, & Wlfadi; Hadrianus II. in epistolis ad Synodum Duziacensem, & ad Carolum Calvum in caussa Hincmari Laudunensis, de quibus paullo post. Non me latet Petrum de Marca lib. 7. cap. 23. his ita offendere, ut non puduerit obtrudere Gregorii IV, & Leonis IV. prælaudata decreta in Gallia non fuisse admissa, a Nicolao I. autem sententia Gallicanos Antistites dissensisse. Verum responsa hujus genus, quamvis veritati inniterentur, patienti aure quis probus excipiat, quibus profecto si semel

pateat

pateat aditus, nihil amplius in Ecclesia sartum erit, & tectum? Atqui abs vero hæc longissime abludere, nec nisi insigni commento, calumniaque Gallicanis universim Episcopis tam grande contumaciæ nefas afflari dicta hactenus, ac dicenda adhuc demonstrant. Qui demum convenit, ut Petrus de Marca affirmet Pontifici in facultate positum sibi reservare judicia Metropolitarum, idque factitatum a SS. Cœlestino, Leone, Hilaro &c., inficias eat postea Synodi Provincialis sententias posse revocare, ac rescindere? Qua enim, quæro, potestate facere potest illud prius? Ea plane, quam plenissimam accepit a Christo D.? Quid ergo in caussa esse potest, cur potestate eadem præstare & istud posterius nequeat?

Quam igitur temere Gallicana Ecclesia tanquam Romanis appellationibus infensa traducitur, tam perperam in eamdem ab Africana infensio transducta ista confingitur. Quamvis enim Africani Episcopi quammaxime sub Aurelio Primate Carthaginensi inferioris Cleri ad Transmarina, velut loquuntur, tribunalia, (quo nomine designatam Romanam Curiam nemo ambigit,) appellatione caussas deferri inviti admodum ferrent, sicuti conjectura assequi certa licet ex litteris Synodicis ad SS. Zosimum, Bonifacium, & Cœlestinum PP. MM., transcriptis ex Concilio Africano cap. 101, & 105. in Codicem Eccles. Afric. capp. 134, & 138; ex Concilio Milevitano II. Can. 22, qui Concilii Afric. est cap. 92, ac refertur in Cod. Canon. Afric. Eccles. Can. 19, 28, 105, & 125; & a Gratiano Cap. *Placuit*, *ut Presbyteri* 35. 2. q. 6, & Carthaginensi VI. cap. 6. Quinimo eò progressi visi fuerint, ut etiam Episcoporum caussas Africanis in Synodis tractari, & terminari in votis haberent, & vellent, eo videlicet sub obtentu, quod ibi æquius, justiusque tum demum caussæ discuterentur, ubi caussarum instrumenta, testesque idonei non deessent. Antehac attamen, & posthac ad Romanum Pontificem appellare ex Africa fas fuisse, ac Clericis quidem inferioris Ordinis exploratum fit ex epist. 15. edit. Cout. sive commonit. S. Zosimi ad Legatos suos; ex Metrophanis Smyrnensis disputatione adversus Zachariam Chalced. in Synodo VIII. art. 6; & ex Synodica Reparati Carthag. ad Johannem II, & Aga-

& Agapetum, qua infimis precibus impetravit, ut Clerici inferiores suis absque litteris Romam appellentes repellerentur: fietque exploratum magis ex multis, quæ mox subnecto, exemplis eorum, qui Pontifices Romanos appellatione pulsarunt, e quibus Felicissimus S. Cornelium; Cælestius S.Innocentium; Apiarius S. Zosimum; Felicissimus, & Vincentius; Constantius, & Mustellus; Donadeus, aliique S. Gregorium M. At Episcopis dubio omni procul appellandi facultatem nunquam ademptam fuisse principio auctoritate sua facit S. Augustinus, qui tum in epist. 162. de caussa agens Cæciliani agitari eamdem per appellationem apud Melchiadem potuisse tradit illis verbis: *Ubi paratus esset caussam suam dicere*: & in enarrat. 2. in Psal. 36. adversus Primianum Donatistarum primipilum: *Si te*, inquiens, *innocentem reddidit Sedes Bagaitana* (Synodus scilicet): *quanto potius illum* (Cæcilianum) *Sedes Apostolica*: tum expressius in epist.209. ad S. Cœlestinum P. M. de appellatione Antonii Fussalensis, in cujus caussa acta ab se ad eumdem mittebat, scribens affirmat apud Afros plurium appellationum ad Sedem Apostolicam extare memoriam: ex quibus tria recentiora ex sola Provincia Cæsareensi in Mauritania, videlicet Prisci, Victoris, & Laurentii exempla profert; subjungens universim Synodales Africanorum Antistitum sententias ab Apostolica Sede aliquando reformatas fuisse, aliquando confirmatas. Epistolæ hujusce Augustinianæ auctoritatem infringere, eamque inter pseudo-epigraphas inserre nonnemo ausus est: sed adeo id leviter præstitit, ut nec dignum, qui refelleretur, se præbuerit: repulsus fuit tamen a Doctiss. Lupo de Appellat. African. cap. 2.

Quandoquidem vero Africanis Episcopis officio, religionique adeo cederet à Conciliorum decretis ne transversum unguem desciscere, ut in Concilio Carthaginensi II. cap. 12. profiterentur, atque Codic. Can.13. repeterent: *A nobis veterum statuta debere servari*; & in Carthaginensi VI. cap. 7, ac in Cod. Can. 1. speciatim ad observanda *Omnia in Concilio Nicæno Statuta* semet adhortarentur, si compertos habuissent Canones Sardicenses, eis fidem omnem obligaturos suam quis dubitet? Argumento sunt autem sive Cresconius, qui hosce Canones in suam

ſuam deinde Collectionem intulit; ſive Ferrandus, qui in Breviario capp. 59, & 60. ſic habet: *Ut adjudicatus Epiſcopus ad Apoſtolicam Sedem, ſi voluerit, appellet. Ut ſi appellaverit, alius in Cathedra ipſius non ordinetur*. Atqui non eſt cur conjecturis indulgeam, ubi res ipſa loquitur. Quorſum enim ſpectant cum præclarum ſtudium illud, quo de parvulis baptizatis apud Donatiſtas conſulendum S. Siricium ſtatuunt in Concilio Carthag. III. cap. 48, in Concilio Afric. cap. 14, Cod. Can. Eccleſ. Can. 47; deque admittendis cum honoribus Donatiſtis obſecrandum S. Anaſtaſium decernunt Codic. Canon. 56, 65, & 68, deſcriptis ex Carthagin. III. cap. 41, Carthag. VI. cap. 34, & Africano cap. 35.; tum prudens illa diſciplina, qua in Concilio Afric. cap. 73, relato in Cod. Canon. 106., ad Comitatum profecturi formatam prius aut ad Pontificem, aut a Pontifice accipere jubentur, quorſum hæc, inquam, ſpectant, niſi ad hanc, quam inquiebam, Africanæ Eccleſiæ religionem erga Romanam confirmandam? Confirmari hæc valide exiſtimavit Cl. Lupus de Afric. Eccleſ. appellat. cap. 21. ex proteſtatione Epiſcoporum Provinciæ Cæſareenſis Mauritaniæ de Primoſo Epiſcopo Thigavenſi in eadem Provincia, de qua Codex Afric. Eccleſ. Can. 97. refert quod: *Ut plenario Concilio ſui præſentiam faceret, requiſitus Primoſus, repertus non eſt*: ideoque conſilium initum de conſcribendis litteris *Ad Ven. Fratrem Senem Innocentium, ut agnoſcat requiſitum Primoſum in Concilio, & minime fuiſſe repertum*. Quaſi nempe Primoſus Romam provocaſſe, eòque properaſſe creditus fuerit, ac propterea inſtruendum de illo Pontificem Synodus duxerit: cui viri doctiſſimi conjecturæ favet utique Zonaras hoc loci denominatum S. Innocentium I. Papam exiſtimans. Verum eo nomine deſignatum non Pontificem, ſed homonymum Primatem tunc Mauritaniæ Cæſareenſis recte adnotavit ibidem Harduinus; quem etiam præfert *Senis* adjunctum, quo denotari apud Afros, qui Provinciarum ordinatione antiquiores Præſules habebantur, ſive Primates ſolebant, ad quos perinde dirigi litteræ Synodorum indicatoriæ. Hanc igitur Africanæ Eccleſiæ diſciplinam conficiam verius ex litteris Synodicis ad SS. Zoſimum, Bonifacium,

facium, & Cœlestinum, ex quibus liquido adparet Clericis dumtaxat, non etiam Episcopis, ut ad Apostolicam Sedem aditus denegaretur, ab illis desideratum, & deprecatum. Hinc id quoque conficitur duplici clausula laborare, & claudicare Canonem 28. Codic. Afric. Eccles., qui sic effertur: *Placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in caussis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, & inter eos definiant adhibiti ab eis Episcopi: quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent ad transmarina judicia, sed ad Primates suarum Provinciarum, aut ad universale Concilium, sicut & de Episcopis sæpe constitutum est. Ad transmarina autem, qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam ad communionem suscipiatur*: Quem Canonem in Concilio Hipponensi sancitum indicat Hincmarus in opusc. de divort. Lotharii, & Theutbergæ pag. 686: clausulam idest illam *Sicut & de Episcopis sæpe constitutum est* Canoni assutam fuisse Baronius, & Perronius contendunt, Petrus de Marca concedit, deque industria ab Aurelio fuisse adjectam Harduinus conjicit: & additamentum ex eo certe adparet, quod eadem clausula non extet in Can. 22. Concilii Milevitani II; nec in Can. 125. Cod. Eccles. Afric., qui ad verbum huic similes sunt; neque apud Cresconium tit. 285. Clausulam vero alteram, & ultimam, istam videlicet: *Ad transmarina autem, qui putaverit appellandum &c.* ideo quod in ejusdem vergeret injuriam, ab Ecclesia Romana rejectam semper adnotavit Cl. Petrus Coutantius in notis ad Commonit., sive epist. 15. S. Zosimi.

Quod postremo ad invidiam pertinet, quam cum Afris, Gallisque communem indiscriminatim Græcis conflare Sycophantæ isti non abstinent, sic ab ea illos absolvo, libero, abstergo. Non eo quidem inficias hanc schismaticis adhæsisse labem, hinc imo schisma instaurandi occasionem arripuisse illos, & auspicasse. Atqui quotquot, qui aut schismatis purum induerunt animum, aut a schismate postmodum abstraxerunt, quique Conciliis Oecumenicis in Ecclesia Latina habitis interfuerunt, non dubium est in hanc cum Latinis conspirasse ultro citro-

citroque sententiam; juxta quam in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III., & ab ipsis admissum est. Cap. 5., quo appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis ab omnibus humiliter deferendum indicitur: in Lugdunensi II. consenserunt, & ipsi tum Constit. Alexand. IV. eodem loci relatæ, tum Constit. 2. B.Gregorii X. *De Elect., & electi Potest.* Cap. 9. *Quamvis* in 6., quibus cognitiones electionum Episcopalium per appellationes devolvi ad Apostolicæ Sedis examen sancitum est: ac demum in Florentino sess. 25. a Patriarchis appellare ad Pontificem fas esse, fassi, & professi & ipsi sunt, subjungentes tamen expedire, ut a Pontifice Judices in partibus delegentur. De hocce potissimo doctrinæ capite Græcos erudiendos sæpissime Pontifices susceperunt; Pontificibus vero edocentibus pronas, facilesque præbere aures Græci religioni duxerunt: id totum abs me bona in luce, opinor, positum intueri, si optes, præsto erit tibi, ac præsens par. I. Art. VII. §. II. pag. 219, & seq., hujusque par. II. Art. I. §. II. pag. 108, & seqq.

Appellandi jus ad Apostolicam Sedem auctoritate hactenus propugnavi, bonoque in lumine, nisi mea fallit me opinio, collocavi. Agemodo harum appellationum usum tota retro vetustate ad devexiorem usque ætatem nostram jugiter, ac religiose in utraque Ecclesia viguisse exemplis ut propugnem, faciamque planum, operæ pretium est. Atque 1. quidem, ut ab Ecclesia Orientali capiam exordium, in eadem ante Trullanam Synodum, hoc est annum 692. non modo, sed etiam ante Sardicensem, idest annum 347, hunc ad Apostolicam Sedem appellandi usum, atque utique tam a Synodorum generalium etiam sententiis, quam ab electis Judicibus, (quæ duo appellationum genera excepta vellet Natalis, ut pote suæ obstantia sententiæ de Concilii supra Potificem præstantia,) obtinuisse liquido, luculenterque ostendam. Primum igitur, illustreque occurrit exemplum Marcionis, qui a sententia excommunicationis sibi a proprio Patre Synopensi in Ponto Episcopo inflicta Romam convolans, apud Clerum Romanum, Sede Apostolica tunc vacante, appellationem dubio procul interposuit, expostulans in communionem admitti, quam sibi

 Pater

Pater denegabat. Perspectum fuisse plane oportet, quod Romanus Pontifex ab Episcopis aliis obligatos posset absolvere; Clerumque Romanum, ob derivatam a Pontifice auctoritatem, superius fuisse tribunal, quod aliorum Episcoporum moderari judicia posset: quandoquidêm ad illud confugiendum sibi fore Marcion crediderat. Rem enarrat S. Epiphanius hær. 42. *Eò statim* (Romam nempe) *ac Marcion pervenit, ad Seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti adhuc supererant, ut in communionem admitteretur, ab iis frustra petiit. Quamobrem exstimulatus invidia, quod non principem illic locum, ac ne Ecclesiæ quidem aditum impetrasset, ad impostoris Cerdonis hæresim confugere in animum induxit.* Et infra eumdem sic cum Romanæ Ecclesiæ Clericis loquentem inducens pergit. *Palam eos alloquens, cur me, inquit, recipere noluistis? Responderunt illi: nobis injussu venerandi Patris tui istud facere non licet. Una siquidem fides est, & animorum una consensio; neque contra spectatissimum Collegam Patrem tuum moliri quidpiam possumus.* Recipi ergo a Romano Clero postulavit, sed non impetravit, quod iniqua visa fuerit ejusdem postulatio: exinde tamen probe arguitur a Marcione Clerum Romanum contra Patris sententiam appellatum. Atque profecto appellasse Marcionem confirmat Tertullianus lib. de præscript. cap. 30. referens illum tandem a S. Eleuthero veniam, pacem, & communionem impetrasse, sub ea tamen lege, ut quos in partes traxisset, Ecclesiæ restitueret. Nempe a Clero Romano Marcion repulsam passus Cerdoni se comitem dederat, sed facti pœnitens a S. Eleuthero, hæresi ejurata, absolutionem promeruit, qui morte præventus, conditionem implere nequivit. Ex quo utroque S. Epiphanii, & Tertulliani testimonio ruit plane Natalis opinio, qua Marcionem nequaquam appellasse ex eo pugnat, tum quod nullo id testimonio satis apto probetur; tum quod Clerus Romanus responderit injussu Patris illum recipere sibi fas non fore.

Tertullianum memoria lapsum volunt Tillemontius tom. 2. pag. *609*, & Coutantius in Notis ad Hyginum P. M. §. 1, ac Eleutherum loco Hygini, & Marcionem loco Cerdonis posuisse;

se; Cerdonem nempe, non Marcionem, non ab Eleuthero, sed ab Hygino communioni restitutum existimantes, ideo quod S. Irenæus lib. 1. cap. 27, seu 28, & lib. 3. cap. 4. sub Eleuthero Marcionem exegisse sileat; Cerdonem vero Romam sub Hygino venisse, ac pluries ab Ecclesia ejectum, Ecclesiæque pluries reconciliatum diserte referat. At hoc leve admodum est, quam quod propterea Tertullianum memoria excidisse putemus: nam Tertullianus proximus illis temporibus fuit, Marcionemque Ponticum vocat, ex quo plane genere illum fuisse tradunt quoque SS. Epiphanius loco indicato, Justinus in apolog. 2, & Irenæus lib. 1. cap. 27. Cerdo vero ex Syria originem traxisse fertur. Præterea S. Cyprianus in epist. 74. ad Pompejum postquam narrasset Cerdonem sub Hygino Romam accessisse, post ipsum Romam venisse, ideoque venisse Sede vacante, mansisse vero usque ad S. Eleutherum augurari licet, Marcionem, quem & Ponticum genere facit, diserte scribit. Nec interea nego Cerdonem, S. Irenæo teste, hominem in fide sua inconstantem modo ad Ecclesiam receptum ab Hygino, modo relapsum in hæresim, in qua demum obduratus obierit. Quocirca vel ab Hygino, vel ab Eleuthero piissima illa prodiit regula, quam postea a S. Cornelio Papa erga Trophimum Episcopum adhibitam celebravit S. Cyprianus in epist. 52. edit. Pamel. ad Antonianum; amplexata est Ecclesia Africana Can. 68. Cod. Afric.; prudentis veluti œconomiæ plenam laudavit S. Augustinus in epist. 185. olim. 50, videlicet ut hæreseon Magistris, ac ducibus interdiceretur honor quidem, non denegaretur vero communio, si modo quos seduxerant, secum ad Ecclesiam reducerent. Quum vero lex in Ecclesia vigeret, a Concilio Niceno Can. 5, Antiocheno anno 341. Can. 6, Sardicensi Can. 16. &c. deinde stabilita, ne ab uno Episcopo ligati, & dejecti ab aliis, Episcopo illo inscio, & inconsulto, ad communionem, aut gradum admitterentur, eam ob rem jure, ac merito Marcionem a sacrorum conjungendo secum consortio Romanus Clerus repulit: non secus atque a Romanis Pontificibus repulsi passim leguntur, qui ab Episcopis fuerant ab Ecclesia projecti; atque a Sergio II. Papa Ebboni Remensi a Synodo Suessionensi gradu deturbato, &

 ad

ad Apostolicam Sedem appellanti denegatam fuisse veniam, nec non clericalem communionem auctor est S. Nicolaus I. in epist. ad Episcopos Synodi Suess. inquiens : *Quoniam talem Sedes Apostolica debuit Ebbonem, donec Synodali ejus examine caussa discuteretur, habere, qualem ab aliis habitum non ignorabat*. Atque sub hac acceptione, quod ad omnem circumventionem amovendam expediat, ne ab Episcopis obligati a Pontifice his inauditis absolvantur, cum Johannes XIX. in Stephanum Arvernensem culpam refudit absolutionis Pontio Comiti ab se impertitæ, quod nempe de hominis nequitia certiorem se non fecisset; tum Synodus Lemovicensis anno 1031. sess. 2. inconsulto Episcopo proprio, nemini, nec a Pontifice, absolutionem accipere; & pœnitentiam licere pronunciavit. Alioquin etenim in Pontificis M. potestate esse positum a quocumque Episcopo ligatos, aut solutos, solvere, aut ligare quis tam improbus, aut ignarus neget, aut nesciat?

Certe Sæculo parum ab hoc Marcionis procul haud insolens fuisse, ut sicubi ab Ecclesia exclusi homines Romam ad Pontificem M. se conferrent, per appellationem confugerent, ibique admitti obnixe obsecrarent, multorum exemplis, quæ litterarum tradita sunt monumentis, edocemur. Montanum, Florianum, Blastum, pluresque in ipsorum partes abreptos in Synodis per Antiochenam, Ponticam, & Asiaticam Diœceses frequens habitis fuisse damnatos refert ex Claudio Apollinario Hierapolitano Episcopo Eusebius lib. 5. capp. 15, & 18. Atqui ad Romanum Pontificem (Baronio Anicetum, Pagio Victorem, Lupo Zephyrinum) appellasse, postulantes ablatam sibi communionem restitui perspicuum fit ex Tertulliano in lib. adv. Praxeam cap. 1, dure hunc insectatus, iccirco quod circumscripto Pontifici Cataphrygum dolosas technas aperiens in caussa fuisset, cur emissas litteras communicatorias, sive pacificas, quibus priores Synodorum resciderat sententias, Pontifex revocasset. Fortunatum, & Felicissimum, adhærentesque Presbyteros alios non alteram declinandæ invidiæ sibi in Africa jure conflatæ viam adinvenisse, inivisseque, quam Romam proficisci, tentareque in Pontificis gratiam irrepere, traditum est a S. Cypriano in epist. 55. ad S. Cor-

S. Cornelium. Quid igitur officit, quominus id quoque consilii arripuerit ante Marcion, videlicet ut quemadmodum Cataphrygæ adversus Apollonium Ephesinum Antistitem, Synodosque Asiæ, & Phrygiæ; & adversus Synodos Africæ, ac S. Cyprianum quinque illi Presbyteri, ita adversus Patrem suum Synopensem Præsulem Romanæ Ecclesiæ tribunal adierit? Cujusmodi sane confugii ea facilis caussa fuit, quod neminem tum lateret Romanum Pontificem ita universis præesse, ut prodesse universis posset, deque universis proferre judicium. Quemadmodum hanc plane fuisse caussam, cur ad S. Cornelium Presbyteri illi provocassent, satis indicat eo loci S. Cyprianus hisce verbis: *Navigare audent ad Petri Cathedram, & ad Ecclesiam Principalem &c.*

Celebris evasit adeo S. Athanasii a pseudo-Synodo Tyria appellatio; eamque implicare adeo student, qui studium omne suum eo perverse conferunt, ut e provincia appellationes Romanas profligent, ut quamvis de illa sæpius disputaverim, si iterum disputationem instituam, æqui, bonique mihi fiat. Accusatus itaque S. Athanasius falso repetundarum, fœderis initi cum hostibus, confracti Calicis, necis Arsenio illatæ, impudicitiæ cum mulieribus &c., in pseudo-Synodo Tyria ab Arianis damnatus, ac gradu deturbatus est: at a S. Julio Papa in Romana Synodo absolutus, suæque restitutus Sedi. Jam vero S. Athanasium ad Pontificem sponte provocasse contendunt Baronius, Bellarminus, Binius, & alii. A S. Julio P. M. per litteras, quæ perierunt, Romam ad judicium fuisse postulatum, antequam pariter per legatos, litterasque evocarentur Eusebiani, autumant Valesius observat. ad Socratem, & Sozomenum lib. 1. cap. 2, & Pagius ad annum 340. n. 2, & seq. S. Julii testimonio innixi in epist. ad Orient., ubi in edit. Parisiensi græco-latina operum S. Athanasii anni 1627. legitur: *Neque enim sponte* (S. Athanasius) *sed litteris nostris ad judicium vocatus comparuit*: ex qua proinde lectione emendari volunt Nannii versionem, quam Baronius sequutus est, ex qua locum hunc sic legit: *Neque sponte, sed litteris nostris ad judicium vocatus comparuisset*; ex quo concludi videretur non litteris evocatum, sed spon-

sponte Romam advenisse: sed verbum ἐλήλυθεν vertendum *comparuit*, non *comparuisset* ostendunt: unde & Coutantius legit: *Non enim suo motu, sed accersitus, ac litteris nostris acceptis huc accessit*. S. Julium de causa S. Athanasii judicasse dumtaxat, sicut arbitrum a partibus electum, non jure proprio, obganniunt Blondellus, Launojus, & Quesnellus. Synodi potius, quam Pontificis auctoritate, & sententia S. Athanasium fuisse absolutum, suæque restitutum Sedi oggerunt Dupinus, & Natalis in hist. Eccles. sæculi IV. dissert. 22, ad Pontificis tribunal confugisse tantum, proprie vero appellasse ad Constantinum Imper. cum Petro de Marca lib. 4. cap. 2. contendentes. Nempe in id nervo intento toti incumbunt, ut Synodis, non Pontifici, supremum jus adjudicent, & adstruant: in Synodis, aut a Synodis, non apud unum Pontificem, Episcoporum judicia pertractanda fore: a Synodis ad Pontificem nequaquam, bene vero a Pontifice ad Synodum appellari licere, quinimo, quandoque, proh licentiam! ad laicum tribunal.

Quam hac in re probi cujusque intimam oporteat persuasionem esse, quamque ego in animum induxerim meum, sic aperio. Itaque ajo 1. ad S. Julium, (sive litteris accersitum, sive libere acccedentem, id enim nihil interest, eodemque recidit,) confugisse S. Athanasium, & judicio apud S. Julium expertam S. Athanasii causam. Id certum, ac constans adeo est, ut in suspicionem vel levem adducere nefas sit. Ita namque testatur ipsemet S. Julius in epist. ad Eusebianos inquiens: *Annum unum, & sex menses* (Athanasius) *hic remansit, adventum vestrum, aut eorum, qui huc se conferre vellent, expectans; suaque præsentia omnes pudore afficiebat, non adfuturus quippe, nisi suæ caussæ confidisset. Non enim suo motu &c.* sicuti supra. S. Athanasii innocentiæ plerosque suffragatos præterea testes affirmans, quorum ad testimonia confirmanda ipsum postea Romam appulisse referens, sic definit. *Quum tot testes pro illo starent; totque ipse afferret innocentiæ suæ argumenta, quid, quæso, Nobis agendum fuit? aut quid nam aliud postulabat Ecclesiastica regula, nisi ut virum non damnaremus, sed potius reciperemus, ac pro vero Episcopo haberemus, quemadmodum, & habui-*

habuimus? S. Julii testimonium auctoritate sua confirmat S. Nicolaus I. in epist. 8. ad Michaelem Imperat. Auctor est idemmet etiam S. Athanasius in apolog. 2. scribens : *Eusebiani ad Julium litteras misere, & ut nos terrerent, Synodum jusserunt convocari; & ipsi Julio, si vellet, arbitrium caussæ detulerunt*: quæ posteriora verba alii sic apud Coutantium legunt : *Et ipse, si vellet, Judex foret*: juxta quæ scribunt Socrates lib. 2. cap. 11. *Eusebius legationem misit ad Julium Romanæ Urbis Episcopum, rogans, ut caussæ Athanasii Judex ipse esse vellet, & cognitionem negotii ad se traheret*: & Sozomenus lib. 3. cap. 7. *Eusebius scripsit ad Julium, ut ipse Judex esset eorum, quæ contra Athanasium decreta sunt Tyri*. Post hæc subjungit ibidem S. Athanasius : *Quum igitur Romam pervenissem, Julius continuo ad Eusebianos litteras scripsit, missis eò duobus ex suis Presbyteris Elpidio, & Philoxeno*. De hac S. Athanasii profectione Romana, impetrataque a Pontifice absolutione explicita, & expressa sunt etiam testimonia Synodi Italicæ sub S. Damaso in Synodica ad Theodosium Imperat.; S. Hieronymi in epist. 16. ad Principiam; S. Bonifacii I. in epist. 15. edit. Cout. ad Illyrici Episcopos; S. Cœlestini I. in epist. 14. ad Clerum Constantinopolit.; Liberati in Breviario cap. 18; Socratis lib. 2. cap. 15; Sozomeni lib. 3. capp. 8, & 10; & Theodoreti lib. 2. cap. 4: quæ ex locis indicasse dumtaxat juvat: ex quibus hoc plane fit constantissimum ad Pontificis Tribunal e pseudo-Synodo Tyria S. Athanasii caussam fuisse delatam, ac præpostero illius pseudo-Synodi judicio rescisso, S. Antistitem tum absolutum fuisse, tum suæ redditum sedi. Nolim tamen contendere verbis, non enim usum habeo, istoque vitilitigandi ab more quammaxime abhorreo. Esto Eusebiani prius ad S. Julium Papam litteras dederint, ut pro Pisto Episcopo, quem S. Athanasii in locum subrogarant, litteras communionis extorquerent: etiam esto S. Athanasius, etsi gradu amotus, prius litteris a S. Julio evocatus, ad Pontificis Tribunal steterit, sicuti S. Julius, Theodoretus, Socrates, & Sozomenus insinuare videntur: Romam vero advenire detrectaverint Eusebiani; sed magis Antiochiæ coacta Synodo, abdicato S. Athanasio suffecerint

cerint Gregorium Cappadocem, datisque litteris ad S. Julium de Synodi sententia discutere iterum haud licere dixerint. Quid tum inde? Certissime S. Athanasii caussa ad S. Julium fuit delata, ab eoque discussa: Eusebianis accusatoribus responsuros pro se prius quosdam Presbyteros misit, postea ipse sponte, aut vocatus accessit, caussam prosequuturus suam: acciti in judicium Eusebiani sunt, etsi comparere impediti, implicitique conscientia timuerint: Caussa finita est, sententia prolata, Eusebianis damnatis, S. Athanasius absolutus: quid amplius, quæso, desideratur, ut pateat Romani Pontificis in terris supreprenum esse supra Synodos etiam Tribunal?

Inquio nunc 2. loco S. Julium hacce in caussa non arbitri electi dumtaxat, sed Judicis supremi personam, jusque summum induisse, & Apostolicæ Sedis auctoritate invocata judicium pronunciasse. Enim vero si tanquam electus Judex ab Eusebianis de caussa S. Athanasii tantummodo judicasset S. Julius, non fuisset cur ipsi conquererentur, quod sui non esset Orientalium se negotiis ingerere, inque Synodorum jura immigrare. (At os hominum durissimum! quid audio? Abstinuerunt ne ab injiciendis manibus in Osium Cordubensem, Maximinum Trevirensem, Eusebium Vercellensem &c.? Quorsum igitur tantam temeritatem,ut jus Pontifici frustra denegatum sibi abs re prorsus adjudicarent?) At hæc, aliaque hujusmodi querelarum capita ab Eusebianis objecta referunt, ac refellunt, idque juris Apostolicæ Sedi vindicant S. Julius, Socrates, Sozomenus, & Theodoretus. Neque vero id obest, quod obtrudit Blondellus, nempe S. Athanasii caussam ad S. Julium fuisse delatam cum ab ipsomet S. Athanasio, tum ab Eusebianis exploratum fieri ex S. Athanasio in apolog. 2, Socrate lib. 2. cap.11, & Sozomeno lib. 3. cap.7. Nam horum testimonia, non secus ac SS. Julii, Damasi, Hieronymi, Bonifacii, & Cœlestini; nec non Liberati, & Theodoreti ἀπαθῆ consideranti adparebit eò omnia collineare, ut suadeant eam caussam ad S. Julium tanquam ad Ecclesiæ supremum Judicem fuisse delatam, ac judicium ab eo prolatum ex suprema Apostolicæ Sedis auctoritate, non tanquam ab arbitro a partibus electo.

Neque

Neque etiam majus faceſſit negotium, majoriſque eſt facienda altera Blondelli objectio, qua pſeudo-Synodi Philippopolitanæ in Synodica ad Africanos &c. apud S. Hilarium in frag. fidei ſubleſtiſſimæ fretus præfidenter affirmat nullum fuiſſe tum adhuc temporis Canonem, quo Romano Pontifici jus retractandi Orientalium Synodorum judicia adſereretur; primamque, quæ adſereret, Sardicenſem Synodum audiviſse. Nam ante Synodi Sardicenſis epocham viguiſse Canonem, & conſuetudinem, ne Pontifice Romano inſcio, & invito aut Synodus haberetur, aut de Epiſcopi cauſsa agitaretur, Canonem eum vero inſtitutioni divinæ innixum, religioſeque traditione retentum; eamque conſuetudinem Apoſtolicæ Sedis dignitati acceptam referri debere ſuo loco ſatis eſt demonſtratum.

Mireris heic ſane hominis audaciam. Lucium Adrianopolitanum Romam pariter confugiſse ad S. Julium opem appellatione petiturum idcirco Blondellus ibidem de Primatu inficias it, quod S. Athanaſius in epiſt. ad ſolit. auctor intercedat Lucium ab Arianis compedibus impactum fuiſſe, ideoque, quominus capeſſeret id itineris, impeditum. Luci enim vero offundere tenebras Blondellus ita nititur: quid enim officit, cur vinculis poſtea is liber Romano itineri potuerit ſe ultro committere? Deinde ſiquidem bis ejectus ab Arianis Lucius legitur, veri fit ſimillimum prima vice quidem vinculis fuiſſe conſtrictum, ſecunda vero fuiſſe dumtaxat in exilium ejectum, tumque utique Romam veniſse: quemadmodum hanc ab eo profectionem fuiſſe adornatam perhibent S. Hilarius in frag. 2, Socrates lib. 2. cap. 15, & Sozomenus lib. 3. cap. 8. Confer, qui haſce Blondelli apinas, tricaſque depectit, diſpungitque, Tillemontium tom. *6*. monument. hiſt. Eccleſ. not. 23. in Arianos. Nihil autem ſubtexam de Marcello Ancyrano, quem ad ſe acceſſiſſe tradit expreſſe S. Julius; de Aſclepa Gazenſi, & Paulo Conſtantinopolitano, quem poſtremum Romam profectum negat Valeſius, pugnat vero Baronius, cujus opinioni favet profecto S. Julius, complures alios ex Thracia, Ægypto, Cœleſyria, Phœnicia, & Palæſtina coram ſe comparuiſſe ſcribens; explicate vero tradunt locis indic. Socrates, &

Sozomenus: nam eorum cum S. Athanasio communis erat causfa, ideoque de hac dicta eodem demum recidunt, ut dicere distincte non juvet.

Quoniam vero huc sermo meus evasit, operæ nunc pretium est, ut nihil abs vero abhorrere magis, quam opinionem Dupinii, & Natalis demonstrem. Enim vero etsi S. Julius in Synodo 50. Episcoporum S. Athanasio jus dixerit, & Synodi in re tam gravi suffragium adhibuerit, jus tamen dicendi unum Julium penes integrum stetisse, non ad Synodi partes transiisse, argumento evidentissimo esse possunt, quod a probo, frugique quolibet negligi nullo modo possit, Synodi Italica in epist. ad Theodosium Imperat.; Mediolanensis in epist. ad S. Siricium; Capuana in epist. ad Theophilum; Mediolanensis altera in Synod. ad S. Leonem M.; Romana sub S. Hilaro in causfa Nundinarii, & Sylvani; Tarraconensis in Synodica ad S. Hilarum P. M.; Romanæ sub S. Felice III. in epist. ad Clericos, & Monachos Orient.; sub S. Gelasio in causfa Miseni; & Vitalis; sub S. Symmacho anno 501; sub Bonifacio II. anno 531; sub S. Gregorio M.; sub Johanne VIII. anno 877; sub S. Gregorio VII. anno 1074. &c., a quibus Romano Pontifici istiusmodi summam juris dimissam integram, nec nisi a Pontifice in easdem Synodos derivasse particulam, quia par. 1. Art. 6. §. 2, & Art. 7. §. 1. planum est factum, non est cur actum agatur. Quid autem quod unius S. Julii supremæ auctoritati id judicii acceptum retulere S. Athanasius, S. Hieronymus, Liberatus, Theodoretus, Socrates, & Sozomenus, sibi tribuit S. Julius, jureque tribuisse testati sunt SS. Damasus, Bonifacius, Cælestinus, Gelasius, Nicolaus &c.? Quid imo quod Valens, & Ursacius a Synodis Mediolanensi, & Sardicensi communione suspensi ad S. Julium confugientes, inque ipsius communionem, & gratiam irrepere tentantes ad infringendas Synodorum sententias unius Pontificis Romani valere, & sufficere judicium facto ipso palam fecerunt, sicuti memoriæ proditum fuit a S. Liberio in epist. ad Constantium Imperat.; a S. Hilario in frag. 2; a S. Athanasio in apolog. 2; & a Concilio Ariminensi in epist. Synod. ad eumdem Imperat., quam S. Athanasius in lib. de Synodis

dis refert? Ratio denique apertissima id conficit: sicut enim Episcoporum unius Provinciæ juris non est de caussis Episcoporum Provinciæ alterius judicium ferre; multo minus ad Occidentalis tractus Episcoporum partes attingebat in Orientalium negotia immigrare. Synodi Romanæ Episcopis ergo nulla inerat auctoritas de S. Athanasii causa dignoscendi, & dijudicandi: S. Julio igitur integrum id privilegii cedebat, ut pro suo supremo Primatu judicium promeret. Qui si eo in judicio promendo Synodi opera usus est, non id ex necessitate egit, sed ex consilio, scilicet ut promenda sententia æquitati, justitiæque conformior evaderet; cujus rei pleraque exhibere exempla præsto esset, nisi provincia ista me jam defunctum meminisem.

Postremo loco brevius, quoad ejus fieri poterit, dicere præstat, liberareque fidem, quam in prolegomeno despondi, meam, de appellatione, quam ad Constantini M. tribunal a pseudo-Synodi Tyriæ sententia S. Athanasium legitime interposuisse Natalis inter alios hist. Eccles. ad Sæcul. IV. dissert. 21. pugnat, ut exemplum, jusque exinde trahat ad defendendas appellationes, quæ a Judice Ecclesiastico ad laicas Curias ut interjiciantur jam passim, & impune, temporum iniquitas facit. Equidem S. Athanasium Constantini opem implorasse, ut vim sibi ab Eusebianis inferendam declinaret, ideoque Imperatorem adiisse, non ut Judicem utique, sed velut innocentis defensorem non inficias iverim: qua in re quid non recti, quum viribus quis impar ad propulsandam injuriam potentioris operam invocat? Atqui a S. Athanasio ad Imperatorem appellationem revera interpositam pernego, atque ut confidentissime pernegem, efficit 1. Constantini religio, quæ, ut in proleg. feci planum, in causa fuit, ut ab ea quammaxime abhorreret sententia, ut sibi caussis implicari Ecclesiasticis fas esse existimaret. Sane in litteris ad Episcopos Synodi Tyriæ missis, quas referunt S. Athanasius in apolog. 2, & Socrates lib. 1. cap. 34, narrat Constantinus ad se appulisse illum, non appellasse, Eusebianosque ad se quidem evocatos, auditurus de eorum sententiæ integritate, & sinceritate, non etiam judicaturus de eorumdem

judicio. *Ingredienti mihi*, inquit, *Constantinopolim*, *subito Athanasius occurrit... Cum autem*, *ut audiretur*, *flagitaret*, *idque ego recusarem*, *ille majore cum fiducia*, *nihil amplius se postulare dixit*, *quam ut vos hic adessetis*; *quò vobis præsentibus*, *ea*, *quæ perpessus est*, *necessitate coactus*, *posset deplorare*. *Quod quum mihi æquum imprimis*, *& temporibus nostris congruum esse videatur*, *hæc ad vos libenti animo scribenda curavi*, *ut omnes*, *qui ad Concilium in Civitate Tyro convenistis*, *ad Comitatum clementiæ nostræ absque ulla dilatione properetis*, *integritatem*, *ac sinceritatem judicii vestri rebus ipsis ostensuri*: *idque coram me*, *quem sincerum esse famulum Dei*, *ne vos quidem ipsi inficiari potestis*. Et infra. *Nos*, inquit, *nihil aliud agimus*, *quam quæ ad discordiam*, *& odium pertinent*, *& ut absolute dicam*, *quæ ad humani generis perniciem tendant &c.* Imperatoris sacræ jussioni obtemperantes Eusebius, Theognius, Maris, Patrophilus, Ursacius, & Valens e Tyro Constantinopolim profecti sunt, ubi suæ diffidentes caussæ novi, atrocioris que criminis persona S. Athanasio imposita, quod scilicet frumentarium Canonem, qui quotannis Alexandria Constantinopolim deportabatur, impediturus foret, ita circumvenerunt Imperatorem, & ad indignationem concitaverunt, ut Treviros in Gallia exulem S. Antistitem amandaverit; uti narrant ipsemet S.Athanasius in apolog.2, & Socrates lib. 1. cap. 35, subjungens quorumdam opinione id egisse Imperatorem eo consilio, ut Ecclesia ad unitatem, & concordiam revocaretur. Tantum ergo abfuit, ut appellaret, ut potius calumniam passus, antequam Tyriæ pseudo-Synodi judicium retractaretur, in exilium fuerit ejectus.

Efficit 2. ejusdem S. Athanasii auctoritas: nam Constantinum ab se aditum non ut judicem, a quo rescinderetur sententia, sed ut defensorem, a quo propria vindicaretur innocentia, testis idem liquidus est, & locuples in apolog. 2. ajens: *Adito Principe*, *qui Synodum indixerat*, *in qua ipsius Comes præsederat*, *Eusebianorum scelera patefecimus*. Nempe noscens in Synodo Tyria a Constantino indicta omnia contra se ab inimicis turbanda, Synodi non expectata sententia, caussam suam Impera-

peratori reservavit integram, ut & habetur in libello contestatorio Episcoporum Ægypti Dionysio Comiti oblato, ubi *Cognitionem*, inquiunt, *caussarum nostrarum ipsi Augustissimo Imperatori reserves: æquum est enim te ab Imperatore missum negotium hoc integrum retinere*. Constantinus autem haud ignarus caussam hancce ad se delatam a Synodo potius cognoscendam, quam ab se, alteram Synodum indixit, a qua discuteretur, quemadmodum Episcopi Concilii Alexandrini apud eumdem in apolog. 2. dixerunt: *Imperator rei indignitate motus, scriptis suis accusatores citat, suamque ipsis audientiam promittens, simulque Synodum indici jubet*. Cæteroquin enim quì fieri potuisset, ut S. Athanasius hinc Imperatorem velut Judicem interpellaret, illinc vero in epist. ad solit. in eumdem querelas effunderet, ideo quod Arianorum improbitate victus tandem Synodum Tyri haberi suo ex libito decrevisset, quò non solum Episcopos Arianis partibus devotos vocasset, ut refert in apolog. 2, sed etiam Dionysium Comitem direxisset tanquam præsidem, a cujus nutu omnia penderent: ea ratione videlicet Imperatoris auctoritatem a Synodo illa remotam volens, quia laica potestas quidquam eorum aggredi, quæ ad Ecclesiasticæ jurisdictionis partem spectant, sua quidem sententia, tam non debet, quam non potest? *Quis videns*, inquit, *eum in decernendo Principem se facere Episcoporum, & præsidere Ecclesiasticis judiciis, non merito dicat illum etiam ipsam abominationem desolationis esse, quæ a Daniele dicta est?* Ergo sicut ea de re in Constantinum prius, sic postea in Constantium in apolog. 2. invectus S. Athanasius est, quod in caussis Ecclesiasticis suam irretentus immisceret sententiam. Quo pariter ex capite, quod ei sæcularis potestas se ingessisset, Synodum Tyriam velut illegitimam, nulloque in pretio habendam per Encyclicas ad omnes Ecclesiæ Catholicæ Episcopos denuntiavit Synodus Alexandrina anno 339. caussa de hacce celebrata.

Ut nihil vero heic dicam de gravi, quam apud Rufinum S. Hieronymus incurrit, quamque non admodum invitus perferre visus est, reprehensione, idcirco quod Paulo Episcopo

a Pa-

a Patriarcha suo Theophilo Alex. gradu dejecto auctorem se præbuisset, quatenus ad sacra Rescripta confugeret, quod grande Rufino piaculum visum fuerat; quod tamen ab se amoliri S.Doctor in apolog.2. non destitit, ab eodemque tam vere, quam pie amovendum ea ratione Emin. Baronius ad ann. 399. pag.88. edit. Rom. anni 1607. duxit, quod ejusmodi Imperatoris rescriptum nonnisi commendatitium a S. Doctore fuerit desideratum, ut nihil, inquam, nunc de reprehenso S. Hieronymo subtexam, hanc certe ob rem reprehensus a Socrate est lib. 2. cap. 40. S. Cyrillus Hierosolymitanus, quod ab Acacio Cæsareensi, Ariano homine, ob commotam in se de Metropolitico jure controversiam, sicuti testatur Sozomenus lib. 4. cap.25, e Sede deturbatus solus, ac primus ad Constantium Imper. provocare aggressus fuerit. *Depositus*, ita de S. Cyrillo loquitur Socrates ex vers. Valesii, *appellationis libello ad eos, qui ipsum deposuerant, misso, ad majus judicium provocavit. Cui quidem appellationi etiam Imperator Constantius adstipulatus est. Solus igitur, ac primus omnium Cyrillus, contra Ecclesiastici Canonis consuetudinem, appellationem, sicut in publicis judiciis fieri solet, interposuit*. Audis, ut Socrates asserat S. Cyrillum contra Ecclesiasticum Canonem omnium primum Imperatoris tribunal appellatione pulsasse! Non ergo antea ad Constantinum appellaverat S. Athanasius: ergo tum temporis ad laicum tribunal appellare Ecclesiasticis interdictum erat. Eusebiani equidem in epist. Synod. apud S. Hilarium in frag. 4, & Harduinum tom. 1. pag. 671. S. Athanasium a Synodo ad Imperatorem appellasse affirmarunt: nullam iis tamen adhibendam fidem, præterquam quod admonent calumniæ, quas eodem loci refingere non erubuerunt, id quoque suadet, quod exinde sibi fas Sardicensem Synodum rejiciendi impune facerent. Adi-sis, si plura hanc in rem adhuc desideres, Doctiss. P. Johannem Chrysostomum ex Cler. Regul. Schol.Piar. dissert. 3. de hacce S. Athanasii ad S. Julium appellatione: nam dicta hactenus satis habeo, superque; siquidem ad alia exempla mihi nunc excurrendum est.

In his se offert ultro exemplum Eusthatii Sebasteni Episcopi

copi Semiariani, qui a Synodo Melitinensi in Armenia anno 357, aut 358. ab Arianis sede motus Liberium P. M. appellavit, cujus sententia suo restitutus est loco, sicuti tradit S. Basilius in epist. 74. ad S. Damasum, & Occidentales. Ab Eusthatio deinde ostensis, quas a Pontifice acceperat, litteris communicatoriis, una cum Sociis, veluti sincerus Nicænæ fidei assertor, ulto citroque a Synodo Tyanensi anno 366. receptus est, etsi fide non leviter antea laboraret, siquidem Semiarianorum partibus impense studuisset. *Epistolam*, inquit S. Basilius, *attulit, per quam restitueretur: hanc ubi Synodo Tyanensi exhibuit, in suum locum restitutus est*. Diu in sententia recta non stetit Eusthatius, sed ad veterem Semiarianorum errorem, pravumque ingenium regressus in Spiritum Sanctum impegit. Quia tamen Apostolicis litteris communitus esset, in eo Apostolicam Sedem reveriti sunt Episcopi, adeo ut ipsum gradu movere veriti sint, antequam Romanum Pontificem de ejus relapsu fecissent certiorem, obsecrassentque, ut hæreticum hominem Canonicæ vindictæ permitteret. *Quoniam igitur*, subjungit ibidem S. Basilius, *isthinc vires accepit lædendi Ecclesias, ac publicandæ suæ impietatis fiducia, quam Vos dedistis, ad subversionem multorum usus est, necesse est, ut isthinc quoque veniat malorum istorum correctio; scribaturque Ecclesiis, quibus quidem conditionibus ad communionem susceptus sit; simul vero adjiciatur quomodo jam, immutata sententia, gratiam a Patribus, qui tum erant, acceptam irritam reddat*. Non desunt quidem, qui Eusthatium ad Apostolicam Sedem confugisse fatentur, proprie vero appellasse inficiantur, ideo quod illius damnatio, & depositio, siquidem a pseudo-Synodo Melitinensi Arianorum peracta, irrita, & inanis seipsa evaserit; unde nulla ejus ratione habita, nihil prohiberet, quominus a Synodis Lampsacena, & Tyanensi suam in communionem admitteretur. Nihilominus unius Liberii Epistolas communicatorias Eusthatio concessas post judicium appellationis ad Pontificem interjectæ effecisse, ut Eusthatius suam recuperaret sedem, auctor liquidus est S. Basilius loco indicato: nam nulla Synodi ullius habita ratione ab orthodoxis ubique velut hæreticus Eustha-

sthatius habebatur; habendusque revera erat, utpote qui in pseudo-Synodo Ancyrana anno 358., aut 359. habita vocem ὁμουσιὸν, *consubstantialis*, supprimi consenserat: in pseudo-Seleuciensi rursus anno 359, postquam voces sive ετερόυσιόν, *dissimilis*, sive ομυσιὸν, *consubstantialis*, sive ομοιόυσιον, *similis* plerisque perturbationem ingessisse una cum ceteris Semiarianis declarasset, vocem Homousion orthodoxorum, *consubstantialis*, tanquam a sacris litteris peregrinam rejecerat; vocem Heterousion Arianorum, *dissimilis*, tanquam Anomæam condemnaverat; at Homæusion Macedonianorum, *similis*, professus fuerat: in pseudo-Synodo Constantinopolitana denique anno 359, aut 360. Arianæ formulæ consensum etiam præbuerat suum: ob hæresim igitur a Synodo Melitinensi, esto illegitima, gradu fuerat deturbatus. *Quamobrem*, inquit S. Basilius ibidem, *propterea quod Melitinæ depositus esset, viam sibi ipsi, per quam restitueretur, excogitavit, eam videlicet, ut ad Vos*, (videlicet ad Liberium P.M.) *proficisceretur*. Quamvis itaque Eusthatii exauctoratio, spectatis ordine, & formulis juris, nulla esset, ac valoris expers, spectatis tamen causæ meritis rata habebatur: frustranea, & irrita proinde fuit ipsius restitutio facta a Synodo Lampsacena; sed restituendus omnino fuerat potestate superiori Romani Pontificis, cujus propterea in vim decreti exhibiti Synodo Tyanensi ejusdem communionem adeptus est, suamque recuperavit sedem.

Pervagata, tritaque plurium sermone tam est appellatio S. Johannis Chrysostomi ad S. Innocentium I. P. M., ut prolixiori heic modo oratione velle retexere, nihil foret aliud, quam operæ dispendium facere: quamquam nec præterire omnino quum fas sit, paucis, quoad ejus fieri poterit, complecti præstabit. S.Chrysostomus itaque in Synodo ad Quercum anno 403. in judicium de 29.criminum capitibus,quæ refert Photius cod.59, ex eoque Natalis hist. Eccles. ad sæcul. V. cap. 5. art. 2, postulatus a Theophilo Patriarcha Alexandrino, cui nefarii facinoris socii accesserant inter alios Severianus Gabalitanus, Antiochus Ptolemaidis, & Acacius Berœensis Episcopi, e contra Synodum alteram legitima auctoritate celebrandam postulavit. Petitionis

titionis tam æquæ irritus, quin imo tanquam contumax condemnatus, atque ad Arcadium Imperat., quasi læsæ Majestatis reus, delatus, inque exilium pulsus ad S. Innoccentium I. P.M. appellationem interposuit. Dedit hanc ob rem diffusas ad Pontificem litteras S. Doctor, quæ contra se nefaria juris divini, humanique inversione actitata fuerant, aperiens. Sed & Theophilus epistola, cui Episcopi 26. syngrapham apposuerant, ad eumdem Pontificem exarata, gesta ab se adversus Chrysostomum significare non prætermisit, ejusque fidei subrepere pertentavit. Quam perhumaniter S. Chrysostomi epistolam, tam pessime Theophili Synodicam excepit Pontifex: quinimo postquam legatis qua a Theophilo, qua a S. Chrysostomo Romam missis caussam utrinque relaturis aures accommodasset suas, reique summam accurato examine expendisset, in judicium item cum Theophilum, tum S. Chrysostomum evocasset, sententiam tandem in S. Chrysostomum a Theophilo, ac Synodo intortam rescidit, illumque suo loco restituit. Concurrit ad eumdem ab exilio revocandum, suæque Ecclesiæ restituendum Imperatoris Arcadii jussio: sed duobus vix devolutis mensibus commota iterum tempestate, eodem Theophilo agente, nova pseudo-Synodi Constantinopolitanæ sententia condemnatus, iterataque Imperatoris sanctione in exilium deportatus ad S. Innocentium appellationis litteris iterum appulit. Novam in secunda hac Synodo Constantinopolitana prolatam sententiam, perinde rescidit Pontifex, utque S. Chrysostomi res ad æquum, justumque redintegrarentur, tum auctorem se præbuit, tum apud Arcadium intercessorem Honorium Imp. adhibuit: quamquam in cassum enixum omne Innocentii studium cessit, quatenus fato præreptus S. Chrysostomus, quominus caussa ipsius optatum ad exitum perduceretur, locum omnem eripuit.

Ita celeberrimæ istius causæ summa capita summis veluti digitis attigisse satius habeo. Jam vero refert, ut S. Chrysostomum a Synodi ad Quercum, & Constantinopolitanæ judicio appellasse ad S. Innocentium demonstrem, atque a S. Innocentio Synodi utriusque sententiam fuisse rescissam; ac verbo, rei veritate constare, quæ hactenus de causa hacce stri-

ctim attexui. Præsentis autem operæ pretium faciet, evidentissimoque documento erit Palladius Episcopus Helenopolitanus, qui tum S. Chrysostomo erat assiduus, atque dialogo de ejus vita conscripto acta omnia in hac caussa acurate complexus est; quem dialogum sanum, & integrum beneficio Emerici Bigotii nunc habemus; ex quo Baronii dubitatio omnis amovetur de actis Synodi ad Quercum, quæ prout repræsentata conspexerat a Photio Cod. 59, suspecta habuerat. Quamquam virum doctissimum tum non animadvertisse a Photio non omnia, sed eximia tantummodo nonnulla selecta fuisse in Myriobiblum relata dixit clariss. Huetius Origenian. lib. 2. cap. 4. sect. 2; tum incidisse in Photii codicem mancum, & imperfectum, supplendumque facile ex his, quæ tom. 2. ejusdem Biblioth. habentur, animadvertit Pagius ad annum 403. n. 2. Palladius igitur principio cap. 1. de epistola loquens a Theophilo ad S. Innocentium inscripta, ea perlecta inquit, quod *B. Papa Innocentius parum abfuit, quin temeritatem Theophili, atque superbiam condemnaret, quod & solus scripsisset, nec claram ejus rei notiam misisset, nec cur, aut quibuscum Johannem deposuerat, indicasset*. Acceptis deinde S. Chrysostomi litteris appellationis rescripsisse in hæc Pontificem adjungit cap. 3. *Ad hæc B. Innocentius utrique parti pares litteras communionis misit, improbans judicium, quod a Theophilo factum videbatur, dicens debere aliam cogi Synodum irreprehensibilem Occidentalium, & Orientalium &c.* Sed vereor nihilominus ne, si unius Palladii testimonio utar, morosiorum hominum, apud quos is fide, etsi integer, laboret, invidiam incurram: unde magis utendum arbitror monumentis, quæ apud Palladium extant, quæque ab omni suspicione liberant Codices tum Romani, quos consuluit Ambrosius Camaldulensis; tum Coislinianus, & Hamburgensis, quos contulit Petrus Coutantius; tum Florentinus, Parisiensis &c., quos diligenter inspexere Emericus Bigotius, Philippus Labbeus, Bernardus Montfauconus &c. Atque quidem appellationis a S. Chrysostomo interpositæ, non secus, atque allegationis a Theophilo ad Pontificem missæ, testis idoneus esse potest Honorius Imperator in epist.

epist. ad Arcadium , cui conscribendæ auctorem se præbuerat idem Pontifex, qua inter alia, quibus Augustum sollicitabat, ut alteram ex Pontificis placito haberi Synodum permitteret, sic ait: *Missi ad Sacerdotes Urbis æternæ* (Romæ) *utraque ex parte Legati : expectabatur ex omnium auctoritate sententia informatura regulam disciplinæ ... Hi , quorum expectabatur auctoritas* (Pontificis nempe, ipsiusque Assessorum) *pacifica Johanni permissa , faciendam concordiam censuerunt , nec quemquam putarunt ante judicium consortio repellendum* . Ideo in aliis ad eumdem litteris ex S. Innocentii sententia efficaciter insinuat, ut Theophilum Synodo prope diem habendæ *vel nolentem se sistere* juberet. Sed quorsum aliunde testimonium repetam, quum in hacce suamet caussa testem locupletem se se dedat idem S. Johannes Chrysostomus ? Quippe in epist. ad Innocentium, prout refertur a Palladio, postquam eorum, quæ contra se fuerant peracta, notitiam ingessisset, subjungit: *Scribite , precor , & auctoritate vestra decernite hujusmodi inique gesta , nobis absentibus , & judicium non declinantibus , nullius esse roboris . Porro qui talia gessere , eos Ecclesiæ censuræ subjicite : nos autem insontes , neque convictos , neque reprehensos , neque ullius criminis reos comprobatos Ecclesiis nostris jubete restitui , ut charitate frui , & pace cum Fratribus nostris consueta possimus* . Perspicua sunt hæc, & plana, quam quæ sinistra interpretatione perverti possint; lucem tamen ampliorem accipient ex his, quæ in altera epistola e loco exilii ad eumdem Pontificem inscripta habet, ubi quæ sibi de summa cum ipso communionis servandæ insederet sollicitudo, hisce explicat verbis ex vers. Cout. *Hic nobis murus , hæc securitas , hic portus expers fluctuum , hic innumerabilium bonorum thesaurus &c.*

Quam vero S. Innocentius susceptis a S. Doctore appellationis litteris sollicitum se se de integra eidem dignitate servanda dederit, acceptaque pariter a Theophilo relationis Synodica zelo incensum ad Synodi abrogandam sententiam converterit se se, liquido adparet ex ejus litteris tum ad S. Johannem Chrysostomum, & Clerum Constantinopolitan., quas Sozomenus lib. 8. cap. 26. describit, tum ad Theophilum Alexand., & ad Legatos

tos suos, quas refert Palladius pag. 24, & 31. In ea etenim, quam ad S. Doctorem inscripsit, *Etsi innocens*, inquit, *a Deo misericordiam petere debet, tamen etiam a Nobis ... competentes litteræ per Cyriacum Diaconum sunt transmissæ, ne contumelia plus valeat ad opprimendum, quam bona conscientia ad spem relevandam*. Quibus haud quidem obscure significabat a sua eum communione non excidisse, exinde vero intelligeret ex pseudo-Synodis illis nullum sibi vel leve periculum factum fuisse. Explicuit se multo magis in epist. ad Clerum Constantinopolit., qua relationi de S. Chrysostomi rebus afflictis respondens, postquam verba consolatoria, & ad patientiam cohortatoria reddidisset, ad infringendam, quam ex Canonibus Antiochenis pseudo-Synodi sententiæ conciliare Theophilus adnitebatur, auctoritatem deveniens: *Quod autem*, ait, *ad Canonum observationem attinet, solis illis parendum esse dicimus, qui Nicææ definiti sunt ... Hos igitur Canones non solum non sequendos, verum etiam una cum hæreticis, & schismaticis dogmatibus condemnandos esse dicimus*. Quibus verbis se potestate utique præferebat Antiochenæ Synodo, præsumendus tamen non est derogare voluisse Canonibus Antiochenis, bene vero Canoni illi, quem ex Canone 4, aut 12. Antiocheno confingendi ansam jampridem arripuerant Eusebius Nicomediensis, & cum eo 40. Episcopi ejusdem factionis Arianæ adversus S. Athanasium, ac postea adversus S. Chrysostomum Theophilus Alexandrinus, & cum eo in pseudo-Synodo Constantinopolitana Episcopi eodem furoris æstu adversus S. Antistitem perciti. Nempe Canone Antiocheno 4, & 12. decretum erat, ne Episcopus a Synodo depositus sacris defungeretur, alioqui restitutionis spe decideret: nec caussæ suæ cognitionem, nisi ad majorem Synodum deferre auderet. Ex hisce duobus ergo sinistrorsum intortis sive Eusebius, sive Theophilus unum conflarunt, videlicet: Episcopum sive juste, sive injuste exauctoratum sine nova Synodo ministerium sacrum resumere nequire. Ita & secummet conciliatur S. Chrysostomus, qui teste Socrate lib. 6. cap. 6. ad locum suum regredi ob reverentiam Canonis Antiocheni verebatur; quique alioqui, referentibus Palladio, & Georgio Alexandrino in ejus vita, Canonem a Theophilo Antiocheni nomine trans-

transmissum velut adulterinum contemptui habuerat: atque ita hunc, quem alii magis implicant, facile dissolvunt nodum doctiss. Schelestratius dissert. 5. in Concilium Antioch., & post ipsum Pagius ad annos 341. n. 24, & seqq., & 404. n. 10., & seqq. Redeundo nunc, unde paullisper deflexeram, in rectam viam, ac de S. Innocentii rescripto ad Theophilum sermonem instituendo, hæc ad eumdem habet in epistola, quam refert Palladius, quæque in edit. Concil. est ordine 31. *Frater Theophile, Nos, & te, & Fratrem nostrum Johannem communionis nostræ esse decrevimus, sicuti & in prioribus litteris aperte satis expressimus, & nunc in sententia nostra, & voluntate perdurantes rursus eadem scribimus. Et quotiescumque scripseris, nisi debitum sequatur, conveniensque judicium, propter ea, quæ magno cum dedecore gesta sunt, possibile non est Nos a Johannis communione discedere.* Ita ne vero S. Innocentius, sodes dic, scripsisset, nisi Synodi iniquam sententiam infregisset; utque infringeret a S. Chrysostomo fuisset invocatus? Certe in Commonitorio dato Legatis, quos a latere suo Constantinopolim mittebat, ut nomine suo Synodo adessent in caussa Chrysostomi celebrandæ, id S. Innocentius illis dedisse in mandatis apud Palladium pag. 31. refertur a Theodoro Romanæ Ecclesiæ Diacono: *Non oportere Johannem judicium aggredi, nisi illi prius Ecclesia, communioque redderetur, ut omnis dilationis occasione sublata, sua sponte Concilium ingredi posset.* Qui enim legibus afficere Synodum poterat, læsis illis Synodum velut illegitimam abrogare quin æque potuisset?

Nec vero obest, quod S. Chrysostomus in epist. ad S. Innocentium scripserit: *Synodum ad justum judicium appellabam*: & appellasse revera ad Synodum legitimam testentur Socrates lib. 6. cap. 15, & Sozomenus lib. 8. cap. 17: quinimo ipsemet S. Innocentius in epist., quæ in edit. Concil. est 29, ad Clerum, & popul. Constantinopolit. sollicitum se exhibuerit, ut Synodus congregaretur, veluti quam unam sedandæ tam grandi tempestati quam accommodam, tam necessariam existimaret: *Necessaria est*, inquiens, *cognitio Synodi, quam & jam pridem congregandam esse diximus. Ea enim sola est, quæ hujusmodi tempestatum*

tum motum sedare possit. Non enim hisce significabatur ad aliam Synodum a S. Chrysostomo appellatum fuisse, aut appellandum: sed id dumtaxat S. Doctorem legitimam Synodum desiderasse quidem, & postulasse, quæ juxta rectum ordinem juris sua de caussa ageret: peroptasse id quoque Pontificem, ut in legitima Synodo, a qua longe abesset invidia omnis, causa illa exagitaretur: nam Præsules, qui Synodum cum ad Quercum, tum Constantinopoli celebrarant, cum Theophilo in S. Chrysostomi perniciem conspiraverant; nec aliorsum Patriarchæ Alexandrino in Episcopos Provinciæ Thraciæ, e quibus Constantinopolitanus erat, jus ullum inerat: propterea quum in pseudo-Synodis illis damnatum se, & depositum S. Præsul percepit, ad Innocentium P. M. appellationem interposuit; qua accepta Pontifex de ejusdem causa supremo jure dijudicavit, sententiaque sua innocentem Antistitem absolvit, veluti superius est demonstratum. Rem, quomodo loquor, revera ita se habuisse, exinde fit etiam conspicuum, quod idem deinde S. Innocentius in epist. 17. ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum; & in epist. 19. ad Acacium Berœensem Antistitem, illos Apostolicæ communionis gratia cohonestare recusavit, donec memoriæ S. Chrysostomi honorem detulissent, ejusdemque illustre nomen in sacra Diptycha retulissent. Auctor vero est Palladius interruptam ea de re ab Innocentio cum Orientalibus communionem, ac maxime cum Attico Constantinopolitano, Theophilo Alexandrino, & Porphyrio Antiocheno. Theodoretus etiam lib. 5. cap. 34. testis accedit nequidem post. S. Chrysostomi obitum cum Orientis, Ægypti, Bosphori, & Thraciæ Episcopis voluisse Occidentales consortium sacrorum redintegrare, donec S. Chrysostomi nomen Ecclesiastici tabulis inscriberetur; ejusque in sedem suffectum Arsacium ne salutationis quidem verbo fuisse dignatos. Jam vero S. Doctoris nomen decreto Synodi Constantinopolitanæ a sacris diptychis expunctum eisdem restitui præcipere nequivit Pontifex, nisi rescissa, quam ea de re tulerat Synodus illa, sententia; quam non alia profecto ratione rescidit, nisi quia ad illum fuerat interposita appellatio. Atque hac appellatione utique admissa Synodi sententiam a S. Innocentio rescissam fuisse affirmat Facundus Her-

Hermian. lib. 6, & confirmat S. Gelasius in epist. 13. ad Dardaniæ Episcopos, quo loci postquam dixisset Apostolicæ Sedi in more positum absque ulla Synodo absolvere, aut condemnare, quos Synodus condemnasset, aut absolvisset, exemplumque adduxisset S. Athanasii, exemplum quoque S. Chrysostomi adnectens, *S. memoriæ*, inquit, *Johannem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præsulum certe damnarat, quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit*.

Turbare hæc, tenebrisque obtexere obnititur Basnagius, atque haud proprie appellasse S. Chrysostomum, sed perfugium dumtaxat quæsivisse, neque unum apud Pontificem, sed alios præterea Italiæ Præsules, inque his præcipuos, Aquilejensem puta, & Mediolanensem opinatur. Quam opinionem suam ut suadeat, confugit ad clausulam, quam ex Codice vetustissimo Medicæo Bigotius legit, adjectam ad calcem epistolæ a S.Chrysostomo ad S. Innocentium exaratæ, quaque indicat aut ejusdem epistolæ exemplar, aut alterum eodem argumento compositum ad Venerium Mediolanensem, & Chromatium Aquilejensem ab se missum. Nugæ, meræ nugæ, quas Petro de Marca, & Dupinio sapuisse multum ad genium mirari satis non subit: præter enim quam quod clausulam illam germanæ S. Chrysostomi epistolæ assutam viri Eruditi exinde jure conjiciunt, quod ejusmodi clausula desideretur in Codicibus venerandæ antiquitatis, & optimæ notæ, quos consuluere Fronto Ducæus, Philippus Labbeus, Bernardus Montfauconus, & Petrus Coutantius, qui postremus admonet in Codice Hamburgensi, sicut in Chrysostomi editionibus clausulæ hujus loco ista exhiberi: *Ora pro me Domine Reverendissime, & Sanctissime*; quod argumenti genus gravissime urget doctiss. Johannes Antonius Blancus de polit., & potest. Eccles. tom. 5. par. 2. lib. 3. cap. 5. §. 7, siquidem ego ad Episcopos illos, utpote quos à Pontifice ad consilium in Synodo adhiberi consuevisse non ignorabat, quomodo factum a S. Flaviano, dum ad S. Leonem M. provocavit, Galla Placidia perhibet, litteras pariter a S.Chrysostomo fuisse nuncupatas facilis fatear; quam opinionem placuisse Ambrosio Camaldulensi, & Petro Coutantio conspicio, quid tum inde tamen? Quandoquidem ab uno Pontifice

tifice in hac S. Chryfoftomi caufsa judicium prolatum lego; non etiam ab Italiæ Epifcopis, quorum e re non erat utique femet Orientalium negotiis ingerere, ut fæpius innui, unum Pontificem ideo appellatum pugno, utque pro virili pugnarem, effecere, quæ hactenus in aciem inftruxi argumenta. Ad hæc autem confirmanda multum conferret exemplum Bubalii, & Tauriani, aliorumque, qui a Macedonibus condemnati ad S. Innocentium etiam appellarunt, a quo tamen de rei veritate a Rufo Thefsal. facto certiore confirmata in eos condemnationis fententia eft. Sed hoc indicafse fatis habeo, fuperque, nam ad graviora alia properandum mihi eft.

Inter hæc locum habeat appellatio Helladii Tarfenfis, & Eutherii Tyanenfis. Ambo hi Metropolitæ, quia quondam in Neftorii partes defcenderant, a Synodo Ephefina Oecumenica primum, atque Conftantinopolitana præterea, in qua Maximiano in locum Neftorii fuffecto gradus eft confirmatus, dignitate, & communione privati fuerant, uti conftat ex Synodica Concilii Ephefini ad omnes Ecclefias; quodque ad malorum cumulum accedebat, ab ipfomet Johanne Antiocheno exclufi fuerant, & expulfi. Quid his in rerum anguftiis pofiti agerent, nifi ad fuperiorem poteftatem appellando! Ita plane adverfus Patres Ephefinos S. Sixtum III. P. M. Judicem interpellarunt, præfertim ob denegatam fibi pacem expoftulantes; exindeque expoftulandi conceptis animis, quod a S. Cœleftino ejus decefsore reprobatum fuifset decretum, quo Synodus Ephefina Neftorii fectatoribus a Sedibus extrufis fpem veniæ omnem, & reftitutionis abfciderat. Ad hæc imo epiftola infcripta ad Alexandrum Hierapoleos, & Theodoretum Cyri Epifcopos, quæ legitur cap. 116. Synodici adverfus tragœdiam Irenæi, eofdem rogarunt etiam, atque etiam, ut illud appellationis inftrumentum, cui adhæfifse complures alios Epifcopos afserebant, Romam tranfmitterent: quó revera fuifse tranfmifsum non dubium eft, ideoque & ab his duobus probatam appellationem fuifse, & adjutam. In epiftola ergo ad S. Sixtum III. multis congeftis tum adverfus S. Cyrillum Alex., & Johannem Antioch., tum adverfus Patres Synodi Ephefinæ accufationum capitibus: *Rogamus*, fubtexunt, *& fanctis*

tuæ

tuæ Religiositatis provolvimur pedibus, ut manum porrigas salutarem, & auferas Mundi naufragium, omniumque horum inquisitionem jubeas fieri, & his illicitis cælestem superduci correctionem: ut revocentur quidem SS. Pastores, qui injuste sunt a suis Ovibus effugati, & reddatur Gregibus ordo, & antiqua concordia. Ingentia mala igitur exinde in Ecclesiam Orientalem exundantia in causa fuisse, cur per appellationem Pontificem adeundi consilium tandem capesserent, quod sibi non tam privatum esset, quam commune diversarum Provinciarum Episcopis, subjungunt: *Olim quidem concurrissemus ad Sanctitatem tuam nos, qui e diversis Regionibus sumus, idest ex Euphratesia, ex utraque Cilicia, secunda Cappadocia, Bithynia, Thessalia, & Mæsia .... nisi detineret nos Luporum terror insidiantium Gregibus ad rapinam, & ad errorem, omnemque adversitatem: unde coacti sumus nostra vice dirigere religiosissimos Clericos, & Monachos, qui impleant locum nostrum*. Quacumque inspiciatur epistola isthæc, adeo illustrem exhibet speciem supremi juris illius, quo Synodorum infringere sententias potis Romanus Pontifex affirmatur, ut hac illustrior desiderari in historia Ecclesiastica nescio, an valeat. *Hic notatu*, inquit doctiss. Coutantius in notis ad hanc epistolam, *digna videtur ea in tota Nestorii causa partium festinatio, qua Nestorius ipse, Cyrillus, Johannes, ac Socii, Eutherius, ac reliqui Episcopi cum iis consentientes, hoc est heretici, catholici, schismatici, seu a schismate discedentes, seu in eodem pertinaces Apostolicæ* Sedis *Præsulem antevenire, ac sibi conciliare contenderunt*. Simile quidpiam in S. Johannis Chrysostomi causa contigisse ibidem observans.

Rescripsisse S. Sixtum III., atque quidem ex ejus ad S. Cyrilli relationem rescripto, admissa provocatione, eosdem exaudivisse, actaque pleraque Ephesinæ Synodi, præsertim vero Constantinopolitanæ circumcidisse, ejusdemque capita quædam circumduxisse existimat, & conjicit Christianus Lupus in scholio ad cap. 117. Synodici. E contra Pagius ad annum 433. n. 12. ex utroque S. Sixti III. ad S.Cyrillum Alex., & ad Johannem Antioch. rescripto contrarium verisimilius infert, videlicet eumdem indulsisse quidem, (in quo sententiam decessoris sui S. Cœle-

ſtini ſectatus eſt,) ut quatuor Metropolitæ, videlicet duo laudati Helladius, & Eutherius, nec non duo alii nempe Dorotheus Marcionopolitanus, & Himerius Nicomedienſis in Epheſina Synodo gradu detruſi ad ſuum regrederentur locum, dummodo articulis pacis ſubſcriberent, ſancita tamen a Synodo Epheſina, ut integra manerent, juſſiſse. Etſi enim maleferiatis quibuſdam Pontifex hic, facilioris alioquin ingenii, in fidei aliquando violatæ ſuſpicionem venerit, viris probis indubitatum eſt tamen, ſitque perſpicuum ex ipſius litteris, in tuenda fide conſtantem fuiſse ſemper, ſibiquemet cohærentem. Huicce finitima appellatio fuit, quam ad eumdem S. Sixtum III. interpoſuit cum tota ſua Provincia Alexander Hierapolitanus Metropolita, ſicuti legitur cap. 118. Synodici, ex quo imo diſcitur Irenæum Comitem ejuſdem Synodici auctorem, qui partibus Neſtorii favebat, & patrocinium Johannis Antiocheni apud Theodoſium Imper. ſuſceperat, appellationes ad Sedem Apoſtolicam approbaſſe; atque uſum jam tum vigentem appellandi a Pontifice male informato, velut loquuntur, ad Pontificem melius informandum, ideſt poſtulandæ reviſionis, aut retractationis Apoſtolici judicii, non a Synodo generali, ſed ab ipſamet Apoſtolica Sede, ex eodem Synodici loco obſervat Pagius ad cit. annum n. 13. Alexandri appellationi Provinciam ſuam adhæſiſſe non modo, ſed etiam Meletium Mopſveſtenum, Theodoretum Cyrenſem, alioſque quinque Epiſcopos adparet ex epiſtola Meletii ad eumdem Alexandrum, Præſuleſque alios data, quæ refertur cap. 119. præmem. Synodici. Attamen nec Alexandro, nec Meletio ex ſententia ſucceſſit; qui imo animo in ſententia obfirmati, potius quam ad pacem cum S. Cyrillo regredi, exilium pati cum tredecim aliis pertinaciæ ſociis Epiſcopis maluerunt. Ad hæc Idduas Smyrnenſis Epiſcopus a Proclo Conſtantinopolitano exauctoratus ad eumdem Pontificem appellavit, a quo tamen confirmatam fuiſſe latam in Idduam a Proclo ſententiam, plane liquet ex epiſtola S. Sixti ad Proclum; qua de epiſtola adeundi Holſtenius, Coutantius in Notis, Fleurius hiſt. Eccleſ. lib. 26, ejuſdemque Criticus obſervator ad eumdem librum n. 39.

Etſi vero ego ab heterodoxis hominibus teſtimonium accipere,

pere, nisi adversus eosdem, maximopere verear, tractationis ordo tamen exigit, ut de Eutychete homine post natos homines profligatissimæ fidei, affabreque ad fallendi artem omnem composito non omnino taceam. Eum a sententia in se ejaculata a S. Flaviano in Synodo Constantinopolitana anno 448. ad Apostolicam Sedem appellasse testis est locuples imprimis S. Leo M. in epist. 7, aut 21. ad Theodosium Augustum: *Quamvis enim*, ajens, *Eutyches ad Sedem Apostolicam libellum doloris sui querimoniam miserit, breviter tamen aliqua prælibavit, asserens se Nicænæ fidei constituta servantem, frustra de fidei diversitate culpatum: Eusebii autem Episcopi accusatoris ejus libellus, cujus exemplaria ad Nos prædictus Presbyter misit, de objectionis evidentia nihil habebat.* Similia scribit in epist. 8, sive 20. ad S. Flavianum, a quo proinde certiorem fidei de universæ rei gestæ veritate vult: *Accepimus*, inquiens, *libellum Eutychetis, qui se queritur, accusante Eusebio Episcopo, immerito communione privatum,.... adeo ut in ipso judicio libellum appellationis suæ se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum, qua ratione compulsus sit, ut contestatorios libellos in Constantinopolitana Urbe proponeret.* Quibus jungenda epistola 25. ad Julianum Coensem in edit. Cacciari, quem Synodo Ephesinæ vice S. Leonis interfuisse contendunt Valesius in notis ad Evagrii lib. 1. cap. 10, & Quesnellus in notis ad epist. 24. S. Leonis ad Flavianum: at verisimilius Julium Puteolanum autumant Baluzius in præfat. ad Concil. Chalced. n. 30, & Pagius ad annum 449. n. 9, & seq. Quamquam hæc vero illustria adeo sint, illustrari magis attamen queunt ex libello ipso ab Eutychete conscripto, quem ex MS. Codice Cassinensi descriptum, in Synodici capp. 222, & 223. intulit Christianus Lupus, cuique Codici sane cohærere alterum Vaticanum animadvertit vir doctiss. Cacciarus. Mendacia equidem accumulavit eodem loci Eutyches, at de appellato ab se Leone M. ibidem hæc explicita habet. *De mea in Dominum, & Deum omnium Christum spe confidens,... invoco vestram Sanctitatem.* Pergens enarrare de impacta sibi hæreseos nota ab Eusebio Doryleensi, deque sibi indicta a Flaviano die ad rationem fidei suæ reddendam, cujus tamen ab se expositæ, scriptoque exaratæ nulla habita ratione,

 vim

vim sibi inlatam, latamque damnationis sententiam, cui fuga se subducere fuisset compulsus, postquam retulisset, in hæc, quæ ad rem faciunt, ad Pontificem effatur: *Ad Vos igitur Religionis defensores, & hujusmodi factiones execrantes confugio, ... & obsecro, nullo mihi præjudicio facto ex his, quæ per insidias contra me gesta sunt, quæ visa Vobis fuerit, super fidem meam proferre sententiam, & nullam deinceps permittere a factiosis contra me calumniam procedere, & non excuti, & eximi de numero orthodoxorum eum, qui in continentia, & omni castitate* 70. *annos vitam peregit; ita ut in ipso exitu vitæ naufragium patiatur*. Quibus demum subjungit cum libelli exemplar accusationum, quas contra se Eusebius Synodo obtulerat; tum eum, qui ab se fuerat oblatus, sed haud receptus. Explicitum est etiam de hac Eutychetis appellatione testimonium Seleuci Amaseni Episcopi relatum act. ultima Concilii Constantinopol. sub S. Flaviano, & relectum act. 1. Concilii Chalced. apud Harduinum tom. 2. pag. 198. Quid opus multis? Ad hæc confirmanda præterea conferre præstat apud Baluzium, nec non apud Clariss. Cacciari de hæresi Eutych. lib. 1. cap. 4. adnotationem Rustici S. Romanæ Ecclesiæ Diaconi, qua constanter adfirmat vi litterarum S. Leonis M. Synodi Constantinopolitanæ sententiam in Eutychetem ejaculatam mansisse suspensam. Quæ plane, quid aliud, amabo, præfert, quam jus, & fas appellandi a Concilio ad Pontificem, reveraque ab Eutychete Pontificem fuisse appellatum, atque Pontificis infringendi latas a Concilio sententias potestatem?

Post quæ quis non demiretur summam hominum præfidentiam, dico Petri de Marca lib. 7. cap. 6; Launoii in epist. 3. ad Boetium; Quesnelli dissert. 7; & Dupinii de antiq. Eccles. discipl. dissert. 2, qui labili admodum, infirmoque fundamento suffulti pugnant Eutychetem, aut neutiquam appellasse, aut cum Romano Pontifice appellasse alios pariter Patriarchas, quibus, quod Romani est Pontificis peculiare, & proprium, commune jus facerent, & indistinctum. Atque quidem Petrus de Marca doctiss. Perronio, & Johanni Davidio Quesnellus exprobrare non erubuere, quod Eutychetis appellationem perperam ex S. Leonis litteris probare, nec felicius ex S. Flaviani relatione, & rescrip-

ſcripto, de quo mox, ſint adnixi. At inquit Queſnellus: Liberato teſte Brev. cap. 12. Eutyches litteras etiam ad Dioſcorum Alexandrinum dedit. Utique, dedit & ad S. Petrum Chryſologum. Quid tum inde tamen? Num propterea Ravennatem Antiſtitem pariter appellatione pulſavit? Non dedit autem ad Domnum Antiochenum, neque ad Juvenalem Hieroſolym., neque ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem; etſi duorum horum poſteriorum mentionem feciſſet antea in ea, quam ad Florentii Patritii aures inſuſſuravit appellatione: non itaque ad Antiſtites iſtos appellationem interjecit. Eatenus ergo dedit ad Dioſcorum hominem fluxæ, ſubleſtæque fidei, atque ſimultates cum S. Flaviano gerentem, ut in partem pertraheret, perditæque cauſſæ patronum faceret. Eatenus vero ad S. Leonem dedit, ut, ſi fieri potuiſſet, quod vir iniquus voto fingebat, contra S. Flavianum profligatis rebus ſuis faceret propitium. Nec vero, uti Oſores iſti obtrudunt, id abnegavit S. Flavianus, ideſt Eutychetem revera appellaſſe, aut appellandi fas eidem fuiſſe inficiatus eſt, in epiſt. ad S. Leonem inquiens: *Litteræ nobis datæ ſunt veſtræ Sanctitatis, per quas ſumus edocti, quia Eutyches libellos direxit Vobis plenos omni fallacia, atque calliditate, dicens judicii tempore libellos ſe dediſſe appellationis & nobis, & hic convenienti Sancto Concilio, & appellaſſe veſtram Sanctitatem: quod nequâquam ab eo factum eſt.* Ideſt negat ab Eutychete in Synodo appellationem interpoſitam, abſolute vero appellaſſe non negat; nam de hacce appellatione ab eo interjecta teſtes litteras acceperat a S. Leone. Pontifici proinde ſupplicans, ne hæretico homini pronas aures præberet, ſed potius Concilii decreta in eumdem comprobaret, ſubjungit. *Sanctiſſime Pater... propriam faciens communem cauſſam... ſimul decernere damnationem adverſus eum regulariter factam, & per propria ſcripta dignare.* Præſtitit id Pontifex, ſicuti teſtata eſt poſtea Synodus Chalcedonenſis in Synodica ad eumdem, annuenſque petitioni tam æquæ Flaviani celeberrimam illam reddidit epiſtolam de Incarnatione Dominica a Chalcedonenſi Synodo tanta cum reverentia ſuſcepta, a tot in Orbem Epiſcopis, nec minus 1600, teſte Eulogio apud Photium Cod. 230, ſubſcripta; quæ olim legebatur in Eccleſia Romana tempore Adven-

ventus, quamque legi consuevisse in Ecclesiis Gallicanis ex fide MS. Biblioth. Regiæ probat Quesnellus.

Neque vero his moræ injiciuntur ex eo, quod Constantinus Monachus Eutychetis procuratorem agens in Concilio Constantinopolitano II. anno 449, procurante Chrysaphio Eunucho partibus Eutychetis studentissimo, a Theodosio congregato Eutychetem dixerit appellasse ad Romanum Pontificem non magis, quam ad ejusdem Concilium, ac Patriarchas reliquos: *Eutyches*, inquiens, *dum legeretur damnatio, appellavit Sanctum Concilium Episcopi Romani, & Alexandrini, & Hierosolymitani, & Thessalonicensis*: nam nulla fides Eutychiano illi adhibenda, quandoquidem teste S. Flaviano in laudata ad S. Leonem epistola, Eutyches nullam in Concilio appellationem interposuit; atque ita etiam testati, idest toto Concilii tempore non provocasse Eutychetem, leguntur Concilii Chalced. act. 1. Episcopi omnes, qui Synodo Constantinopolitanæ adfuerant: *A Reverendissimis Episcopis dictum est: nihil tale cognovimus dictum ab Eutyche de appellatione*. Sed & referunt eadem acta, quod Florentius Patricius, quem ab Imperatore Judicem poposcerat Eutyches, affirmavit, nonnisi absoluto Concilio ab Eutychete fuisse appellatum. Ad hæc quamvis Eutyches appellasse diceretur Romanum, Ægyptium, Hierosolymitanum, & Thessalonicense Concilium, constat tamen ad solam Apostolicam Sedem ab Eutychete delatos appellationis libellos, non etiam ad alias Ecclesias: Eutychetis ergo sententia sat erat, superque sola Apostolica Sedes, ut quæ Synodis Orientis superior esset, suæque caussæ Judex supremus. Ulteriora non urgebo, siquidem spartam hancce jampridem viri doctiss. Christianus Lupus dissert. 3. de Romana Eutychetis appellat., & Petrus Thomas Cacciari lib. 1. de Eutych. hæresi capp. 4, & 5. numeris suis omnibus absolverint.

Quam inique a Synodo Constantinopolitana sub S. Flaviano Eutyches appellavit, tam e contra æque S. Flavianus a pseudo-Synodo Ephesina ad Pontificem M. provocavit. Ideo enim, quod in Concilio Constantinopolitano auctor præcipuus fuisset ejaculatæ in Eutychetem sententiæ, vice repensa a Dioscoro Eutycheti studentissimo, in pseudo-Synodo Ephesina anno 449. ex 130. Episco-

ſcopis conflata, Eutychete abſoluto, Synodi Conſtantinopolitanæ actis reſciſſis, diris cunctis devotus, graduque deturbatus eſt; unaque cum ipſo proſcripti Epiſcoporum plerique, quos inter Euſebius Dorylæus, Ibas Edeſsenus, Theodoretus Cyrenſis, & Domnus Antiochenus. Quum itaque humana, divinaque ita ſuſque deque perverſe agerentur, & contra jus, faſque omnia perperam fierent, S. Flavianus ad ſummum Pontificem S. Leonem, ſicuti legitur in actis, appellavit, ſuæque appellationis inſtrumentum Legatis Apoſtolicis Julio Puteolano (ſicut oſtendunt Baluzius, & Pagius, non Juliano Coenſi, veluti volunt Valeſius, & Queſnellus,) & Hilaro Diacono, (non etiam Renato Presbytero, uti viſum Baronio, Lupo, & Queſnello eſt; nam is quidem Legatorum quoque unus deſignatus fuerat, ſed antequam Epheſum perveniret, in Delo Inſula morte præventus eſt, teſte Auctore Breviculi Eutychianiſtarum,) Legatis, inquam, tradidit: quam tamen perſequi nequivit, ſiquidem in pſeudo-Synodo injuriis, verberibuſque poſtquam affectus peſſime fuiſset, Epipam, quæ Urbs eſt Lydiæ, in exilium amandatus brevi, eodem ideſt anno, Marcellino teſte hominem exuit. Quamquam ab aliquibus, uti Liberato, traditur in ipſo Synodi loco interfectus; ab aliis vero, ut Proſpero Tyrone, poſtriduum ex acceptis plagis vita defunctus. Ut ut de ejus obitu, appellationis attamen ab eo interpoſitæ teſtis eſt locupletiſſimus S. Leo M. in epiſt. 25. ad Theodoſium Imperat., in qua ſic de ſuis Legatis Eutychianorum conatibus obfirmate obſiſtentibus loquitur: *Quia & noſtri fideliter reclamarunt; & eiſdem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit*. Eam ob rem Concilii generalis celebrationem urgens ſubjungit: *Quam autem poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſario poſtuletur, Canonum Nicææ habitorum decreta teſtantur*. Nempe neceſsariam Synodum affirmat ad cauſsæ diligentiorem diſcuſſionem, non etiam ad jus decretorie dicendum: nam alioquin in epiſt. 16. ad Flavianum, & 17. ad Theodoſium apertiſſime aſserit ad id Synodo opus neutiquam eſse: Canones autem Nicænos commemorans deſignat Sardicenſes, quos Eccleſia Romana acceptos tum veluti Nicænæ Synodi appendicem habebat; tum ſub eodem titulo, ac Nicænos legebat, quibus Epiſcopi ap-

pel-

pellantis, ficuti plus vice fimplici dictum eft, caufsa vel in Synodo Provinciali, vel a Legatis Pontificiis, vel ab ipfo Pontifice retractanda præfcribitur. Teftis itidem illuftris accedit Valentinianus III. Imperator. in epift. ad Theodofium libello per Legatos oblato Apoftolicam Sedem appellatam a S.Flaviano referens: *Debemus dignitatem propriæ venerationis B. Petro Apoftolo intemeratam confervare: quatenus Beatiffimus Romanæ Civitatis Epifcopus, cui Principatum Sacerdotii fuper omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus judicare: hujus enim rei gratia & Conftantinopolitanus Epifcopus Flavianus eum per libellos appellavit propter contentionem, quæ orta eft de fide.* Eadem S. Flaviani appellatio fit etiam exploratiffima ex Hilaro Diacono in litteris ad Pulcheriam Auguftam; ex Profpero Tyrone in Chronico, quod a S. Profpero Aquitanico editum interpollavit; & ex Liberato Ecclefiæ Carthag. Diacono in Breviario hærefis Eutychianæ cap. 12.

Nec obeft, quod Placidia Augufta ad Theodofium Imperat. fcribens affirmarit a S. Flaviano libellum appellationis fuifse transmifsum ad Apoftolicam Sedem, & ad omnes Epifcopos Occidentalis Ecclefiæ: & S. Leo ipfe Synodum generalem intra Italiam celebrandam a Theodofio obnixe efflagitaverit. Nam Concilii auctoritatem Occidentalis in caufsa Orientalis Ecclefiæ tantam efse dumtaxat, quantam ipfi unus conferret Pontifex, ideft juris dumtaxat efse Pontificis ratione Primatus, neutiquam vero Occidentalis Concilii, de Orientis negotiis dijudicare, iftudque ad uberiorem tantummodo caufsæ cognitionem adipifcendam a Pontifice adhiberi confueviffe, perfpicuum erat, perfuafumque. Alioqui cum S. Flavianus, tum S. Leo Concilio opus non fuifse ad hujus genus controverfias dirimendas approbe agnoverant: ille quidem, quum in epiftola ad S. Leonem inquiebat: *Cauffa eget folummodo veftro folatio, atque defenfione, qua debeatis confenfu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere; fic enim hærefis, & turbæ, quæ propter eam factæ funt, facillime deftruentur, Deo cooperante per veftras Sanctiffimas litteras: removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur:* ifte vero in epift. 16. ad eumdem S. Flavianum, qua affirmabat: *Clementiffi-*

tissimus Imperator pro pace Ecclesiæ sollicitus Synodum voluit congregare: quamvis evidenter appareat rem, de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu: & in epist. 17. ad Theodosium repetebat: tam esse fidei evidentem caussam, ut rationabilibus caussis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum.

Quam ob rem Quesnellus in Petri de Marca, & Johannis Launoji errorem descendens, ad quem accessit etiam Dupinius, æqui, justique æstimatori dignum se præstitit, qui vapulet multis, dum pro suo præpostero ingenio inficiandi quæcumque Pontificiis juribus faveant, in dissert. 8. de caussa S. Flaviani, ab isto appellatum S. Leonem præfracta fronte pernegare non abstinuit. Qua vero ratione permotus? Quia Synodus Ephesina legitime congregata jussu Principis, ac Romani assensu Pontificis recusari, sive repudiari nequibat. Quia a Flaviano Synodus utique fuerat appellanda; siquidem nonnisi in Synodo appellantis caussa discutienda erat, & dirimenda. Quorsum enim, attexit Quesnellus, alioqui Synodum agi toties apud Theodosium S. Leo institisset? Cur non suo extemplo Tribunali vitilitigantes non stitisset, rem persemet discussisset, judiciumque decrevisset? At enim ludere, & illudere illum ista obtrudendo voluisse oportet. Quid enim, amabo, quandoquidem Dioscorus propria facultate perperam Synodum facere adgressus, in Synodo divina, humanaque pervertere non destitit, Flavianum e loco inique deturbando, in orthodoxos Præsules dire, livideque desæviendo, nec locum deferendo, & honorem S. Leonis sive Legatis, sive litteris, quominus pseudo-Synodus istiusmodi rejiceretur, ac recusaretur prohibere potuit? Quod si alteram legitimam haberi Synodum S. Leo quam desideravit, tam decrevit, argumento ei fuit afflicta S. Flaviani caussa, turbatusque admodum rerum Ecclesiasticarum in Oriente status; Synodum propterea deposcens adhiberi, tanquam peropportunum remedium ad prospiciendum fidei in Oriente collabenti, unitatique inter Episcopos fœde abruptæ. Cuncta cæteroqui per se Pontificem præstare potuisse ultrocitroque adfirmarunt Flavianus, Leo, Legati, Synodusque sive Constantinopolitana, sive Chalcedonensis, quæ denique, ut alibi dictum est, legibus a S. Leone præfinitis adquiescere officio duxit. Confer,

fer, qui de hacce S. Flaviani appellatione egregie disputaverunt, præter Baronium, Bellarminum, & Perronium, viros doctiss. Christianum Lupum dissert. 4; Johannem Davidium de Judiciis Canon. Episcop.; Johannem Antonium Blancum de potest., & polit. Eccles. lib. 3. cap. 5. §. 15; & Petrum Thomam Cacciari hist. hæres. Eutych. lib. 1. cap. 9.

Huicce S. Flaviani appellationi succrevit ea, quam pari ex caussa ad eumdem Pontificem interposuit Theodoretus Cyrensis Episcopus, qui in eadem pseudo-Synodo Ephesina gradu pariter deturbatus, ad redimendam injuriam salubrius inire consilium nescivit, quam per appellationem ad S. Leonem P.M. appellare. Atque quidem appellationis istius ab se interjectæ testis est locuples ipsemet Theodoretus tum in epist. 113. ad S. Leonem, qua *Oro*, inquit, *atque obtestor Sanctitatem tuam, ut rectum, ac justum Tribunal vestrum invocanti opem ferat, jubeatque ad Vos venire, & doctrinam meam Apostolicis vestigiis inhærentem ostendere... Ante omnia, ut a Vobis docear, oro, an me oporteat in hac injusta depositione acquiescere, an non; vestram enim sententiam expecto: quodsi judicatis manere me jusseritis, manebo; neque ulli deinceps hominum molestus ero; sed rectum Dei, Salvatorisque nostri judicium expectabo*: tum in epist. 116. ad unum e Legatis S. Leonis, quem Renatum Presbyterum epigraphes præfert, ad Hilarum Diaconum tamen inscriptam verisimilius conjicit Pagius ad annum 449. n. 10, & 15; quem, apud Pontificem ut sequester accedat, deque rebus suis sollicitudinem induat, obsecrat, & obtestatur.

Neque dicas Theodoretum provocasse non tam ad Pontificem, quam ad Concilium, siquidem in hac posteriori epistola Pontificis Legatum obnixe rogat: *Ut Sanctissimo, & Beatissimo persuadeat, ut Apostolica auctoritate utatur, & ad Concilium vestrum advolare præcipiat*. Quia enim Pontificibus MM. in more positum vice plus simplici diximus, ut gravioris momenti controversias, nonnisi adhibita Synodi accurata consultatione, dirimerent, propterea Theodoretus eidem Synodo præsto se adfuturum scripsit; expressissime professus alioqui penes unum Pontificem juris istius summam integram stare. Neque rursus reponas Theodore-

doretum loco redditum suo a S. Leone sententia non quidem peremptoria, velut loquuntur, sed dumtaxat provisoria, quandoquidem ipsius caussa iterum in Concilio Chalcedonensi ad examinis incudem est revocata; isque post emissam fidei professionem Synodi decreto Cyrensem Ecclesiam recuperavit. Theodoretum etenim iccirco a Synodo Chalcedonensi ad consessum admissum, & cum gradus honore receptum, quia a S. Leone loco suo fuerat restitutus, luce clarius liquet ex act. 1., ubi *Ingrediatur*, Synodi Patres inquiunt, *Reverendiss. Episcopus Theodoretus, quia & restituit ei Episcopatum Sanctissimus Archiepiscopus Leo*: & act. 8, ubi Episcopi repetunt: *Jam dubitatio de Theodoreto Reverendissimo Episcopo est soluta, quippe & Nestorium coram nobis anathematizavit; & a Sanctissimo Archiepiscopo senioris Romæ Leone susceptus est, & definitionem fidei a vestra Religiositate prolatam libenter suscepit; & insuper epistolæ memorati Sanctissimi Leonis subscripsit*. Nec etiam Theodoreti caussam ullo modo retractari voluit Synodus, sed simpliciter illum Leoninæ epistolæ subscribere, ac Nestorio anathema dicere: unde eadem act. 8. *Nihil relegi volumus*, inquiunt (idest haud relegi acta prioris judicii a S. Leone finiti post appellationis libellos apud eumdem interpositæ, de quo confer epistolam 93. S. Leonis ad Theodoretum, atque Vigilii Papæ Constitutum de tribus Capitulis, quod tamen in omni caussarum retractatione fieri debet:) *Modo anathematiza Nestorium*. Synodi ergo definitio, qua Theodoreto restituta est Sedes, nihil aliud fuit, quam adhæsio Synodi decreto S. Leonis, quo pridem Theodoreto sedes fuerat reddita, uti simili modo actum circa S. Leonis epistolam ad Flavianum ab eadem Synodo alibi diximus. Et heic suas obtrudit gerras, Petro de Marca morem gerens, Quesnellus, Theodoreti appellationem pariter inficiando. Sed ita levi, mollique id agit brachio, ut contra in pugnam prosilire non sit opus; dispendiumque sit operæ, eam velle ejusdem refellendis apinis impendere. Eoque præsertim, quod ipsemet secum pugnet in eo, quod diffiteri utique non audet a Pontifice Theodoreti querelas fuisse exauditas, eumdemque in suam communionem admissum. Itaque oportet illum, nonnisi præcognita caussa, absolutum fuisse, purumque ab omni hæ-

 resis

resis macula judicatum. Quæ quidem formam judicii proculdubio præseferunt, aut præsupponunt; ideoque judicium per appellationem a Theodoreto postulatum fuisse probant; quæque perinde in Quesnelli recidunt caput. Plurimis hæc persequi amplius non vacat, quæ alioquin optima in luce jam collocata legere est apud Lupum in dissert. 5; & Cacciari de Eutych. hær. lib. 2. cap. 5, quos, si placet, recolere poteris, nam ad alia mihi est modo properandum.

Atque quidem heic mihi obvenire opportune videor, ubi sermonem instituam de Johanne Talaja, a Græcis Tabenniosita a Monasterii loco cognominato, Patriarcha Alexandrino in locum Timothei Æluri fatis functi a Chatolicis suffecto, qui, quia Acacio Constantinopolitano litteras suæ inaugurationis mittere renuerat, Acacii hoc indigne ferentis opera, & Zenonis Imperatoris jussu e sede sua deturbatus, (ad ipsius locum implendum Petro Moggo Eutychiano homine accersito,) ad S. Simplicium P.M. appellare compulsus est, uti legitur in Breviculo historiæ Eutychianist., & ut habet Liberatus in Breviario cap. 18. Romam quinimo profectus S. Simplicio persuasit, ut pro sua caussa adversus Petrum Moggum scriberet ad Acacium, quod tam prompte, quam pervolupe præstitit Pontifex. Acceptis vero litteris Acacius quum respondisset, ab se Johannem Talajam pro Alexandrino Præsule minime haberi, Moggum autem Imperatoris jussu in suam fuisse communionem admissum, commotus propterea gravissime Pontifex Acacium multis non absque minis objurgavit. Mortem interea obiit S. Simplicius: ipsius ideo successori S. Felici III. libellum accusationum contra Acacium obtulit Talaja, sicuti refert Evagrius lib. 3. cap. 18: quo accepto Pontifex missis Constantinopolim Legatis Vitali, & Miseno jussit Petrum Moggum loco expelli; Sedem Alexandrinam suo legitimo Antistiti restitui; Acacium vero malorum auctorem Romam venire, rationem eorum redditurum, quæ ei a Johanne objiciebantur. Acacii dolis, & artibus, ac Zenonis injuriis, & blanditiis adacti Legati Acacii communione se polluerunt, Pontificia mandata prævaricati: quare Romana in Synodo 67. Episcoporum anno 484. sacerdotio, & communione spoliati sunt;
Mog-

Moggus etiam, & Acacius diris cunctis devoti. Quandoquidem vero res in Oriente in dies magis turbabantur, nullaque spes affulgebat, ut in melius mutata Zenonis, & Acacii obduratione, suam Talajas recuperaret sedem, S. Felix, pristino reservato jure, eumdem Nolanæ in Campania nobili præfecit Ecclesiæ, ubi demum fatis est functus. Hic hujusce exitus appellationis, de qua diserte agit S. Gelasius in Commonitorio ad Faustum, & in epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ, quamque Petrus de Marca lib. 7. concord. cap. 10, non secus atque Quesnellus priorem S. Flaviani celeberrimæ nomine inscripserat, *Magni etiam momenti* affirmare non dubitavit. Quamquam postea implicare more suo non desinit, eòque per vim impellere, ut exinde tandem deduceret in omni appellationum genere Synodi generalis supremas, easque potissimas esse partes. Sed toties fictum, refictumque commentum egregie adeo explosit Christianus Lupus in dissert. 4. de S. Flaviani appellat. cap. 5., ut hoc denuo labore defungi haud sit opus.

Locum potius facere heic præstat appellationi Stephani Larissæi in Thessalia Metropolitæ, qui Probiani unius ex suffraganeis suis, aliorumque improborum hominum factione, ab Epiphanio Constantinopolitano Patriarcha nefaria juris inversione gradu detrusus Apostolicam Sedem appellavit, misso per Theodosium Echiniensem Episcopum appellationis libello una cum litteris SS. Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cœlestini, Sixti, & Leonis, quibus probabat ad Patriarchicum jus Romani Pontificis integrum, solidumque Illyricum semper pertinuisse: *Constat*, inquiens, *Venerandos Sedis vestræ Pontifices, quamvis in toto Mundo Sedes Apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet Principatum, & solam Ecclesiasticis caussis undique appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vindicasse*. Quibus tam liquido, quam luculenter geminam, qua præfulget Romanus Pontifex cum Primatis, tum Patriarchæ dignitatem, ac prærogativam distinxit, ac prædicavit. Bonifacius II, qui tum Ecclesiæ Romanæ præerat, hisce acceptis Stephani appellationis litteris Synodum Romæ anno 531. habuit, quam Lucas Holstenius ex Barberina Biblioth. publici juris fecit. Quid

Quid porro ea in Synodo decretum fuerit, non est compertum, siquidem acta Synodi ab Holstenio evulgata in calce mutila sunt: ab verisimilitudine tamen non abhorret Stephanum suæ Bonifacii sententia redintegratum fuisse Sedi: nam ad id nihil aliud præter Summi Pontificis sententiam reliquum erat desiderandum. Eodem collineat libellus appellationis ad eumdem Pontificem Stephani pariter Larisæi nomine interpositæ ab Elpidio, Stephano, & Timotheo Episcopis, quem Harduinus ex prælaudato Holstenio describit tom. 2. Concil. pag. 1117.

Ab hinc abludebat haud multum Hadrianus Thebanus Episcopus, qui a Johanne primæ Justinianæ Metropolita injuriam passus S. Gregorium M., quem propterea appellatione pulsaverat, innocentiæ propriæ sollicitum vindicem obtinuit. Nam Pontifex lib. 3. alias 2. epist. 6. postquam asperrimis verbis gravissimum facinus ultus fuisset, quo ille obnoxium Episcopum tum criminis expertem, tum Apostolicam Sedem appellantem, dijudicare, & gradu dejicere fuerat ausus, a sacrorum comunione ad 30. dies suspendit, ejusque rescissa sententia, Hadrianum suæ restituit Ecclesiæ. Confer eodem loci epist. 7, qua Johannis Larissæi Hadriano quoque infesti molimina comprimit, conatusque intra æqui, justique terminos constringit. Affinis huic appellationi ea fuit, quam Johannes Lapsensis in Insula Creta Episcopus pari ex caussa interponere compulsus fuit. Nempe a Paulo Cretensi Metropolita in Synodo Provinciæ nefaria juris inversione dignitate spoliatus, ad S. Vitalianum P. M. appellavit, a quo suæ redintegratus est sedi, gravissimis vero objurgatus Paulus, idcirco potissimum, quod Johanni Apostolicam Sedem invocanti facultatem illuc proficiscendi intercepisset. Legendæ S. Vitaliani litteræ ad Paulum apud Labbeum tom. 6., quarum fragmentum describens P. Ludovicus Du Mesnil doctrinæ, & discipl. Eccles. lib. 32. n. 52. Johannem hunc Pappæ Episcopum denominat: quem constans est tamen Episcopum exegisse non Pappæ, quæ Urbs est Pisidiæ, ideoque haud obnoxia Cretensi Metropolitæ, sed Lampæ, ut habent Notitiæ Græcæ, seu verius Lappæ, uti legit Codex Ms. in Concilio Ephesino, & præferunt antiqui Nummi

apud

apud Harduinum in Indice Geograph., quæ Urbs in Insula Creta consistebat; ideoque Metropolitico juri Cretensis Antistitis suffraganea.

Macarium Antiochenum Patriarcham ob Monothelismi hæresim; qua fœde inquinatus erat, a Synodo VI. generali, sive Constantinopolitana III. anno 680. damnatum, atque a Constantino Pogonato in exilium ejectum, Romamque cum aliis eadem labe infectis apud S. Agathonem P.M. judicio experiundum dimissum, fit constantissimum ex Synodo VI. act. 1. usque ad 8, in qua demum percussus anathemate legitur, nec non pallio insuper, dignitateque Patriarchica exspoliatus; ex Synodo Nicæna II. act. 1; ex Anastasio Bibliot., sive, alius quisque is fuerit, scriptore vitæ S. Leonis II; ac demum cum ex Divina sacra Constantini ad S. Leonem II., & ad Syodum Romanam, tum ex litteris ejusdem S. Leonis ad ipsum Constantinum Imper., quas describunt Labbeus tom. 6. pag. 1100, & seqq., & Harduinus tom. 3. pag. 1459. & seqq., vindicatque adversus Baronium Pagius ad annum 683. n. 5, & seqq. Ex quibus triplicis, & manifestissimi erroris coarguitur Eutychius Alexand., dum tom. 2. Annal. pag. 324. scribit Macarium hunccе ab anno æræ Christianæ 654., quo inauguratum affirmat, vix pervenisse ad annum 662, ideoque Synodi VI. epocham, quam perinde 16. annis deproperat, atque ad annum dumtaxat Christi 664. inepte retrahit, non attigisse; ac denique Constantinopoli ad obitum usque demoratum, nec Romam, nec unquam imo Antiochiam accessisse. Quod ad propositum nunc pertinet, Macarium adversus nonnullos, quibus suffragatus est Pagius Junior in S. Leone II, a Synodi VI. sententia appellasse propugnant Baronius ad ann. 682, & Binius in notis ad Synodum VI, ad quos accedere nec dubitavit Fleurius. Atque quidem conjecturam facere fas est ex Synodica Concilii ad S. Agathonem, qua Episcopi juxta tenorem litterarum, quas ab ipso acceperant, se processisse adversus Monothelitarum primipilos, eorumque partiarios Macarium, Stephanum, & Polychronium affirmantes, rerumque perinde bene gestarum confirmationem infime deposcentes, *Itaque*, inquiunt, *Tibi, ut prima*

primæ Sedis Antistiti Universalis Ecclesiæ, quid agendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei petram, libenter acquiescentes veræ Confessionis litteris a vestra paterna Beatitudine ad piissimum Imperatorem missis; quas ut a summo Apostolorum Vertice divine perscriptas agnoscimus. Quibus, aut ego fallor, haud obscure significabant, siquid novi circa damnatorum hominum caussam emergeret, ipsius potestati ab se integrum permitti. Colligi idipsum licet ex epistola Constantini Imperatoris ad S. Leonem II. S. Agathonis successorem, qua referens sibi a Macario, Stephano, & Polychronio a Synodo VI. damnatis supplicatum, ut locum exilii Romam ad Pontificem mitterentur, eoque libentius se eosdem voti compotes facere, quod in ipsius potestate esset positum illos, si ad frugem regrederentur, suis gradibus redintegrare, *Omnes*, sic ait, *scriptis precibus Serenitatem nostram communiter precati sunt, ut se ad vestram Beatitudinem mitteremus. Sic igitur fecimus, eosque ad Vos misimus, vestro Paterno judicio omnem ipsorum caussam permittentes*. Confirmatur id autem ex altera ejusdem Imperatoris epistola ad Synodum Romanam, quæ prostat cum priori illa ad calcem Synodi VI, qua rursus de Macario, Stephano, & Polychronio verba faciens, *Oecumenici*, inquit, *Concilii sententia Sacerdotali dignitate moti sunt, & ad Sanctissimi Papæ probationem sunt transmissi*. Ea ipsa sane de re, quem S.Leo exceperat loco, S. Benedictus II. Macarium, si desipere tandem desiisset, Sedi restituere suæ paratus erat, pronusque, sicuti ex relatu Legatorum Hadriani I. habetur in Synodo Nicæna II. act. 1. in versione Anastasii: *Romæ in exilio erat Macarius hæreticus a sexta Synodo missus; & 40. dies dedit ei spatium s.mem. Pater noster Papa Benedictus, & per singulos dies mittebat ad eum Bonifacium consiliarium suum, & commonitoriis verbis docebat eum ex divina Scriptura: & nunquam voluit corrigi. Hoc autem faciebat, ut persuaderet, & reciperet eum*. Hominem itaque animo in hæresi obfirmatum, Synodi VI. confirmata sententia, SS. Leo, & Benedictus novo anathemate devinxerunt.

De Appellationibus Ecclesiæ Orientalis dicendi finem auspica-

picatum faciet celebratissima illa, quam S. Ignatius Patriarcha Constantinopolit. interposuit, quamque paucis illustrare nunc juvat, siquidem ad summam Romani Pontificis auctoritatem sub omnium velut oculos ponendam quammaxime conferat. S. Ignatius itaque (in historia Ecclesiastica hospitibus loquor) Constantinopolitanæ præfectus Ecclesiæ, Bardæ præpotentis hominis, quem tum ob pleraque ingentia flagitia, tum potissimum ob incestam cum Nuru consuetudinem sacrorum consortio jure interdixerat; Gregorii Syracusani Episcopi, quem schismatis, turbarum, seditionis, graviumque aliorum scelerum convictum in Synodo gradu suo dejecerat; (tum enim Sicilia Constantinopolitano Patriarchæ erat obnoxia, ex quo nempe una cum Provinciis Illyrici a Patriarchatus Romani jurisdictione Leo Isauricus eamdem inique abstraxerat;) & Photii hominis quidem, qui opibus potentissimus, a secretis Imperatoris primus, & sæcularium litterarum eruditione nulli sane secundus erat, sed ambitionis æstu quoque impotens quam maxime, horum trium, inquam, præsertim conspiratione, Pseudo-Synodo anno 860. congregata, e dignitatis gradu fuerat deturbatus, inque exilium ejectus. Ad scelerum cumulum S. Nicolao I. P. M., obrepere cum Michael Imperator, tum Photius temere tentarunt, ille Photio, hic sibi, datis litteris, legatisque directis, invasum S. Ignatii locum confirmari obnixe obsecrantes. Atqui nihil sibi præcipitanter determinandum ratus prudentissimus Pontifex, e latere Legatos Rodoaldum Portuensem, & Zachariam Anagninum Episcopos Constantinopolim in caussam Ignatii investigaturos, non tamen de illa dijudicaturos direxit, datisque litteris ad Imperatorem, & ad Photium tum hujus ex laico in Episcopum subitaneam inaugurationem contra decreta Concilii Sardicensis, suorumque decessorum Cœlestini I, Leonis M., Gelasii, & Hadriani, tum Ignatii sua absque conscientia nequiter attentatam exauctorationem improbavit, jubens interea Legatis coram, ac Synodo Ignatium experiri judicio; distractum insuper a Leone Isaurico Illyricum S. Romanæ Ecclesiæ restitui. Rem Apostolicæ Sedis non egerunt Legati, sed a Barda, & Photio qua minis infracti, qua

inflexi muneribus, turpissima proditione sacræ legationis officium polluentes, Photio non tam præ fastu, quam præ furore impotenti favorem omnem despondernnt: quo in spem, ac fiduciam elatus Constantinopoli coacto anno 861. Conciliabulo ex Episcopis 318, quos in partes suas pertraxerat, S.Ignatium ex Insula Mitylene, ubi tum exulabat, Constantinopolim revocat, injuriis in Synodo palam afficit, & proscindit; ut sponte dignitate se abdicet, commonet, idque constantissime renuenti, sævum, dirumque Synodi judicium subeundum comminatur. Tunc itaque S. Ignatius Judices tam iniquos ejurans ad Apostolicam Sedem iis superiorem appellavit: *Ego*, inquiens, *non compareo*; *neque video vos Judices quidquam ex præscripto Ecclesiæ agentes*, *Photio tyranno non ejecto*, *ad cujus etiam mensam accumbitis*, *& cujus munera procul etiam stantes accepistis... Hujuscemodi ergo Judices non agnosco*; *ad Papam provoco*, *lubens judicium illius subibo*. Tum demum perlegi depoposcit Synodi Sardicensis Canonem 4; nec non S. Innocentii I. decretum in caussa haud absimili S. Chrysostomi, quo eumdem jusserat prius in gradum restitui, quam judicio experiretur.

Nihili appellatione facta tanquam reus infracti Canonis, quo cavetur, ne quis sæculari potestate usus Ecclesiasticam dignitatem adipiscatur, a pseudo-Synodo S. Patriarcha damnatur, ac veluti laica vi intrusus loco detruditur: frustra plus vice simplici tentatus, ut suæ abdicationi subscriberet, renuens satellitibus diris omnibus divexandus traditur, injuriis, carcere, inedia, cruciatibus. Proh justos superos! Inter hæc tamen Theognostus Archimandrita libellum Ignatii nomine conscriptum, quo tum S. Antistitis calamitates, & appellationem, tum Photii tyrannidem, & sævitiam complectebatur, Romam profectus S. Nicolao I. persemet obtulit. Notatu digna sunt inter alia hæc libelli verba. *Ignatius tyrannide oppressus... Ssmo D. nostro, & Beatissimo Præsidi, cunctarum Sedium Patriarchæ, S. Petri Principis Apostolorum Successori, Oecumenico Papæ Nicolao... Tu Sanctiss. Domine ostende in me viscera miserationum, & cum magno Apostolo & ipse dicas*: Quis infir-

infirmatur, & ego non infirmor? *Intuere Majores tuos Patriarchas Fabianum, Julium, Innocentium, Leonem, & omnes denique, qui pro fide, & veritate viriliter decertarunt, illosque æmulare, & vindex pro nobis tam indigna passis exurge.* Demirari interea summam hominum non tam audaciam, quam dementiam subit, qua Michael Imperator, ac Photius Leone oratore, ac litteris missis fuco plenis, atque ad fallendum compositis, Pontifici instare non extimuerunt, quatenus Synodi decreta rata facere vellet, & Ignatio quidem legitime locum ademptum fateri, Photio vero delatum confirmare, acceptumque habere. Atqui Pontifici, siquis alter, perspicacissimo obrepere quis unquam poterat, aut subrepere? Nam Nicolaus probe Photii detexit præstigias, Legatorum agnovit ignaviam, pseudo-Synodi comperiit tyrannidem, Ignatii commiseratus est casum: ideoque ann.863. Romæ indicta Synodo in Legatos prævaricatores animadvertit, Patriarcham innoxium restituit, Photium pervasorem repulit, pseudo-Synodi attentata rescidit. Constat id totum ex S. Nicolai epist. 4. in edit. Harduini encyclica ad omnes Christifideles, qua nominatim Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano præcepit, omnibusque Orientis Metropolitis, & Episcopis, ut subjectos populos prohiberent, quominus Photio sacrorum consortio conjungerentur. *Cunctis significamus, quoniam Sedes Apostolica nullo pacto Ven. Ignatium Patriarcham dignitatis propriæ privilegio nudari tam improvide patitur: sed magis repulso a S. Catholicæ, & Apostolicæ sacro Ecclesiæ viscere pervasore (Photio) Sanctissimum Patriarcham Ignatium in sui Sacerdotii dignitate manere... judicat, & decernit. Et ut vos hujus Sedis privilegium rite servantes, pari religione catholici, pari etiam Nobiscum super Ven. Ignatii Patriarchæ Sacerdotii recuperatione, & Photii pervasoris expulsione eadem sentiatis, Apostolica auctoritate vobis injungimus, atque jubemus.* Constat ex epist. 5. ad Michaelem Imperat., qua rationem reddens, cur Ignatium respuere, viceque Photium recipere nollet: *Quia*, inquit, *S. Romanæ Ecclesiæ nunquam extitit mos improvide, vel injuste unum ejicere, & alterum subrogare; sed magis studuit æqua*

 lance

lance omnium librare, *& justa definire negotia*. Objicienti vero ingentem Episcoporum numerum, nec eorum inferiorem, qui Nicæno interfuerant, ex quo conflata in Ignatium fuerat Synodus Constantinopolitana, reponit ab Ecclesia Romana Synodorum sententias non tam ex multitudine, quam ex justitia pendi, & perpendi.

Atqui consulere ad hæc potissimum juvat, & interest ejusdem Pontificis epistolam 6. ad Photium, qua præmissis de Sedis Apostolicæ divinis privilegiis verbis illis illustribus: *Quia Universitas credentium ab hac S.Romana Ecclesia, quæ Caput est omnium Ecclesiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem, qui digni sunt, exorant ... consequens est, ut quod ab hujus Sedis Rectoribus plena auctoritate sancitur, ... firmius, atque inconcusse teneatur*: Photium perstringere pergens tum ob id præsertim, quod impudenter dixisset Romanorum Pontificum decretales, quibus repentinæ laicorum ordinationes prohibentur, in Oriente receptas non esse, *Decretalia*, subjungit, *quæ a SS. Pontificibus primæ Sedis Romanæ Ecclesiæ sunt instituta, cujus auctoritate, atque sanctione omnes Synodi, & Sancta Concilia roborantur, & stabilitatem sumunt, cur vos non habere, vel observare dicitis?... Quod si ea non habetis, de neglectu, atque incuria estis arguendi: si habetis, & non observatis, de temeritate estis corripiendi, & increpandi*. Quam plane periocham ex S. Nicolao apposite produxisse legitur Hincmarus Laudunensis tom. 2. oper. pag. 374. Postremo Photio denuntiat, nisi in deterius incidere malit discrimen, ut ab Ignatii loco, ipsi ab se confirmato, invadendo deinceps abstineat. Confer ejusdem Pontificis epistolas 1. ad universos Christifideles act. 7. Synodi VIII. insertam; 2. ad Michaelem Imperat., quæ extat act. 4. ejusdem Synodi; 7, 8, & 9. ad eumdem Imperat.; quibus de Romani Pontificis supra Synodos, cæterosque Patriarchas dignitate collocati divinis prærogativis diserte, diffuseque pertractat, atque inter alia ea præsertim de re S. Ignatium illicite, ac illegitime depositum affirmat, quod Apostolica Sede inconsulta dignitate fuisset depositus: quod Maximi, Nestorii, Acacii, Anthimi, Sergii, Pyr-

Pyrrhi, Pauli, & Petri exemplis comprobat, qui non nisi Romani Pontificis auctoritate Sacerdotali gradu amoti sunt. Photianam proinde pseudo-Synodum illegitimam evasisse, roborisque expertem, ideo quod Pontificis nullo præhabito consensu fuisset celebrata: quod pseudo-Synodorum Ephesinæ sub Dioscoro, & Constantinopolitanæ ab Iconomachis celebratarum exemplo confirmat, quæ quia Pontificis assensu caruissent, in cassum omnino cesserunt. Quare de Ignatio, & Photio statui nihil mitius, nihilque melius posse definit, quam ut Romam uterque conveniat judicio apud se experiturus: *Quoniam*, inquiens, *quum secundum Canones, ubi major est auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum, patet profecto Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Si quidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Quam sententiam SS. Bonifacii ad Rufum Thesalon., & Gelasii in Commonit. ad Faustum Magistrum idoneis testimoniis confirmat. Recolere etiam juvat reliquas a S. Nicolao hacce de caussa exaratas epistolas roboris Apostolici, auctoritatisque refertissimas, veluti 10. ad Clerum Constantinopolit.; 11. ad Photium; 12. ad Bardam; 13. ad S. Ignatium; 14. ad Theodoram Augustam; 15. ad Eudoxiam Imperat.; & 16. ad Senatores Constantinopolit., quarum hæc summa: Photium tum dignitate, quam pervaserat, fuisse exspoliatum, tum diro anathemate perculsum, a quo, nonnisi in mortis articulo, a nemine esset absolvendus; neminique licere deinceps eidem communione sociari: ex adverso S. Ignatium in pristinum gradum restitutum, unaque suis redintegratos sedibus, qui in Photiana pseu-Synodo fuerant deturbati; cum iisque sacrorum ineundum esse consortium.

Quibus, potiusquam ad meliorem frugem regrederetur, in furorem, rabiemque abreptus Photius coacto Conciliabulo eò processit impietatis, ut in Pontificem M. anathemate, proh facinus! animadverteret, quodque ad facinoris cumulum fecit, tam grandi impietati Episcopi 21. pari furoris æstu perciti syngra-

grapham apponere suam non extimuerunt, reliquis una voce reclamantibus: *Non est justum in Summum, & Primum Pontificem præcipue ab inferiori quomodolibet sententiam proferri.* Quinimo datis ad Patriarchas, & Episcopos Orientis omnes encyclicis S. Romanæ Ecclesiæ multos improperare errores occepit: ad hæc congregata pseudo-Synodo altera anno 867. iterato anathemate in S.Nicolaum temeritate inaudita excanduit; negotiumque solemnis ab Ecclesia Latina separationis proposuit, studioque, quo posset, majori promovere molitus est. Exinde Græcanici schismatis epocha repetenda. Ex adverso S.Nicolaus exarata ad Gallicanos Episcopos doctrina instructissimos epist.70, qua objecta a Photio in Ecclesiam Romanam recenset, ac inter cætera istud, quod schismatis caput reputandum erat: *Quando de Romana Urbe Imperatores Constantinopolim sunt translati, tum & Primatum Romanæ ad Constantinopolitanam Ecclesiam transmigrasse, & cum dignitatibus* (Regiis) *Ecclesiæ Romanæ privilegia translata fuisse*: vehementer est adhortatus, ut ad objecta illa retundenda pro virili portione se se compararent: quam quidem provinciam protinus in se suscipientes præ aliis egregie exornarunt Hincmarus Remensis, Odo Bellovacensis, Æneas Parisiensis, & Ratramnus Corbejensis; de quibus adeundi Flodoardus lib. 3. capp. 17, & 23; Dacherius Spicileg. tom.2, & 7; ac Dupinius tom. 7. Bibl. Eccles. Inter hæc interfecto Michaeli Imperatori subrogatus Basilius nihil antiquius habuit, quam actutum Photium loco deturbare, inque Monasterium detrudere; S. Ignatium ab exilio reducere, suæque dignitati restituere; horumque diligenter certiorem Pontificem facere, obnixe deprecans, ut de his, qui a Photio fuerant ordinati, ac de iis, qui ordinati ab Ignatio ad Photium defecerant, sententiam diceret. Inserta isthæc Basilii ad Pontificem epistola legitur act.3. Synodi VIII. Scripsit etiam S.Ignatius Pontificem de caussa lapsorum in Photiano schimate consulens, se ab Imperatore in vim sententiæ ab ipso Pontifice latæ suo loco redintegratum referens, deque Romani Pontificis divinis prærogativis egregia retexens. Verumtamen vita functo S.Nicolao, epistolæ Basilii, & Ignatii redditæ sunt Hadriano II, quibus acceptis congregata an-

no

no 868. Synodo acta omnia Photianæ pseudo-Synodi igni devoveri jussit: Photium iterato anathemate devinxit: Lapsis, modo decessoris sui decretis morem gererent, ac Photium ejurantes, ad Ignatii partes transirent, communionem suam indulsit. Postremo Synodum VIII, hoc est Constantinopolit. IV, celebrari imperavit anno 869, impetravitque, in qua contra Photium a S. Nicolao, ipsoque Hadriano prolata vice plus simplici sententia executioni demum est demandata: de quibus, quia abunde Par. 1. Art. II. §. IV. disputatum est, heic obiter indicasse satius habeo. Atque hic quidem celeberrimæ hujusce appellationis exitus coronidis loco appositæ earum, quas hactenus ex Orientali Ecclesia breviori, qua potui, oratione recensui.

Gradum nunc referendo ad Appellationum specimina; quæ in Ecclesia Occidentali a prisca ætate ad postremam hanc nostram ad Romanum Pontificem interpositæ passim leguntur, ea quum frequentiora, ac infinita propemodum fuerint, omnia proinde exsculpere propositum non est, nec imo, persequi, etsi vellem, facile possem, sed potius aliqua, eaque præstantiora delibare satius duco. Inter hæc itaque principio succurrit Privati Lambesitani in Africa Præsulis exemplum, qui a Synodo 90. Episcoporum damnatus, postquam frustra ad Donatum Carthaginensem Primatem appellasset, ab eoque tantum abest, ut exaudiretur, ut potius Synodi confirmata sententia, Encyclicis litteris ubique in Africa hæresis nomine fuerit denuntiatus, cum a Synodi, tum a Donati sententia ad S. Fabianum P.M. provocavit: in quo tamen pessimæ caussæ suæ nactus est pejorem successum. Confer S. Cypriani epist. 30. ad Rom. Clerum, & 55. ad S. Cornelium. Apposite heic vir cl. Franciscus Hallier Episcopus Cavalicensis lib. 4. de Hierarch. Eccles. cap. 2. animadvertit indubitatum Africanis Præsulibus fuisse supremum Pontificis jus Synodorum infringendi sententias. *Ad quid*, inquiens, *Romani Pontificis judicio iterum damnarentur, qui ab Africanis damnati essent, nisi ejus sententia potuissent absolvi?*

Meminit S. Cyprianus in præcitata epistola ad S. Cornelium alterius appellationis, quam Felicissimus, & Fortunatus, ideo quod Lapsis indiscriminatim, prætermissis Canonicæ pœnitentiæ

nitentiæ gradibus, pacem, & communionem nec denegari, nec differri contenderent; atque sævum adversus S.Cyprianum in Ecclesia Carthaginensi schisma conflassent, Ecclesiæ aditu, christianisque sacris interdicti, a Cypriani sententia ad S. Cornelium interjecerant. Atque quidem apud Pontificem quammaxime conqueritur, quod Fortunatum pseudo-Episcopum, qui una cum facinoris Sociis, iisque ipsis, qui sacrilegas ei manus imponere fuerant ausi, Privato, Felice, Jovino, Maximo, & Reposto, Romam ad fucum Pontifici faciendum advenerat, appellantem ab se non extemplo repulisset: siquidem communi Africanorum Antistitum consensu fuisset constitutum, ut ibi caussa audiatur, ubi crimen esset admissum: *Nisi*, subtexit, *si paucis desperatis, & perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui de illis jam judicaverunt*. Quibus S. Doctoris verbis apertissimam vim plane intulit, abusuque nefario in alienum ab ipsius germana intelligentia sensum intorsit Johannes Fellus, dum de suo commentus est S. Cypriano Judice pro desperatis, & perditis habendos quotquot esse, quibus minor videatur auctoritas Episcoporum in Africa, quam vel Cornelii ipsius in Petri Cathedra Romæ consedentis. Non, inquam, sententia ista quam præpostera, tam perversa S. Cypriano hæserat, ut potestate se, Africanosque Episcopos Pontifici Romano præferret, sed eò dumtaxat collineabat, ut cum Africanis Præsulibus Fortunatum, Privatum, Felicem, Jovinum, Maximum, & Repostum, adversus quos Africanorum judicium paullo ante retulerat, quosque imo desperatos, & perditos denominaverat, non ideo quod Romam appellassent, sed quod infandis sceleribus infames evasissent, dirumque schisma commovissent, conferens, Africanorum Episcoporum auctoritatem paucorum horum schismaticorum auctoritate minorem videri nequaquam debere diceret.

Neque feliciori conjectura intimum S. Cypriani sensum assequuti sunt Petrus de Marca, Quesnellus, Fleurius Instit. Canon. par. 3. cap. 23., & Natalis in hist. Eccles. ad sæcul. IV. dissert. 28, dum ex laudatis verbis conficere autumarunt S. Cypriani

priani ætate Episcoporum ad Apostolicam Sedem appellationes usu nondum venisse . Enim vero in æstimatione S. Cypriani Fortunatus revera Episcopus non erat , sed unus dumtaxat e Clericorum numero : unde eidem erat in votis , ut statutum Ecclesiæ Africanæ, cujus testis accedit S. Augustinus epist. 162, sacrum , & integrum staret, quo Cleri inferioris caussæ in Africa dirimi utique debebant , nullatenus ad transmarina tribunalia trahi . Fortunatus ex adverso , quia tanquam legimum se habebat Episcopum , appellandi ad Pontificem M. aditum sibi haud interclusum existimavit : sed & S. Cornelius eamdem Fortunati caussam veluti causam Episcopi considerans , ad suum trahere tribunal non dubitavit . Cæterum non Episcoporum certe , sed Cleri inferioris dumtaxat appellationes ad transmarina referri tribunalia Africanis Episcopis invisum evenisse , fit exploratum , ut me innuisse jam memini , ex Codic. Afric. Eccles. Can. 28, & 125. Confer & S. Cypriani Epist. 49. ad S. Cornelium , ubi Novatum Felicissimo Romanæ profectionis comitem adjungit, ejusdemque appellationis participem haud obscure indicat .

Antequam vero ad alia appellationum exempla in eadem Africana Ecclesia usitata deveniam, recta temporum ratio exigit, ut ad eam obiter excurram appellationis speciem , qua Basilides Emeritæ in Hispania Episcopus Apostolicæ Sedi fucum , ludumque facere non ambegit . Hic gravissimis sceleribus prægravatus, quippe libellaticus fuisset , & blasphemus, Episcopatu fuerat abdicatus , ut pœnitentiæ legibus satisfaceret . Quo loci dictum accipi debere , non secus atque decretum S. Cornelii Papæ apud S. Cyprianum in epist. 68, de pœnitentia privata conjicit Petrus Courantius in Notitia epistolarum S. Cornelii non extantium n. 8, & seqq., existimans Clericos majores publicæ , solemnisque pœnitentiæ legibus Ecclesiæ decreto nunquam subjacuisse : E contra Johannes Morinus lib. 4. de Sacram. Pœnit. cap. 12. exinde , non secus atque ex epist. 59. S. Cypriani , eruere non dubitavit majores Clericos tribus primis Ecclesiæ sæculis, quemadmodum laicos , eisdem pœnitentiæ publicæ modis fuisse obnoxios : qua de re disputare uberius hic non est locus . Verum

Basilides cupiditate incensus suam recuperandi dignitatem, atque præteritorum scelerum facile oblitus, Romam profectus S. Stephano P.M. subrepsit, vel obrepsit, ab eoque, ut sibi sua restitueretur sedes, obtinuit, teste S. Cypriano in epist. 68. Qua de re gravissimis litteris apud Africanos Hispaniarum Episcopi expostularunt, ut constat ex cit. epist. S. Cypriani, qui tamen a S. Stephano culpam omnem amolitus, in Basilidem, a quo dolo, & fraude deceptus is fuerat, rejecit: *Neque enim*, inquiens, *culpandus est ille* (Stephanus), *cui negligenter obreptum est*, *quam hic* (Basilides) *exsecrandus*, *qui fraudulenter obrepsit*. Qualis rei exitus fuerit, Ecclesiastica monumenta non ferunt: existimare pronum est tamen eum fuisse, qui consuevit: videlicet, quod sicut ab Ecclesia Romana legitime obtentæ indulgentiæ semper obtinuerunt, sic illicite impetratæ nunquam fuerunt ratæ, & firmæ. Confer Pamelium in notis ad hanc epistolam, quibus pretium accedit ex eo, quod ibidem S. Cyprianus adjungit de Martiali Emeritensi, qui sub id temporis ab Episcopatu submotus, ejusdem fallaciæ usum fecit, ut abrogatam dignitatem, cui vehementer inhiabat, S. Stephani auctoritate sibi reddi impetraret: num vero compos voti evaserit, res in obscuro jacet.

Regrediendo nunc ad Africanam Ecclesiam, scriptorum adeo sermone trita evasit, ac mihi toties celebranda evenit S. Cæciliani Carthaginensis Antistitis caussa per appellationem ad Pontificis M. tribunal tum ab se, tum ab Donatistis delata, ut dicere denuo non tam pigeat, quam pudeat. Unum tamen adhuc, vel alterum observatu dignum adjungere dictis non distædet. Quia vitilitigatores non desunt, qui Cæcilianum proprie appellasse negant, ego quidem dabo hoc illis haud difficulter, dummodo, vice mihi reddita, neque denegent Cæciliani caussam ad supremum Apostolicæ Sedis Tribunal fuisse tam deferendam, quam reapse delatam sive a Donatistis, sive a Constantino Imperatore devolutam, atque in formam appellationis transmutatam. Prolatam vero a Pontifice M. sententiam peremptoriam fuisse, postquam nullus amplius superfuerit locus Synodicæ revisioni, ac retractationi, sed in Pontificia sententia penitus fuerit quiescendum.

dum. Totum id enim auctoritate, auspicioque adfirmo cum S.Optati lib.1. circa finem, qui postquam relata Pontificis sententia Cæciliani judicium clausum dixisset, concludit: *Sufficit ergo, & Donatum tot sententiis percussum esse, & Cæcilianum tanto judicio esse purgatum*: tum S. Augustini plurimis in locis, ac præsertim epist. 43, alias 162, qui de Cæciliano pariter a Donatistis impetito loquens: *Posset*, ait, *non curare conspirantem multitudinem inimicorum, quum se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & ceteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum, ubi paratus esset caussam suam dicere, si adversarii ejus ab eo illas Ecclesias alienare conarentur*. Perperam vero, ut Calvinum prætercam, Launojus in epist. ad Jacobum Boetium, & Bossuetius defens. declar. lib. 14. cap. 10. ex S. Augustino probare se posse autumant Cæciliani caussam jam a S. Melchiade definitam novo examini in Synodo Arelatensi quam facto suppositam, tam jure fuisse supponendam, ac proinde concludi plane a Pontifice ad Concilium appellare fas esse. S. Augustinum in præcit. epistola probe audire jubent, ubi sic loquitur: *Ecce putamus illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos fuisse Judices? Restabat adhuc Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus caussa posset agitari*. Immaniter, inquam, ab S. Augustini mente aberrant: iis enim verbis Concilio generali opus fuisse neutiquam significare intendit, sed quod solum generale Concilium superesset ad illorum impudentiam compescendam: multoque minus ad illud appellari a Pontificis judicio licere significavit; siquidem cum ipsismet Judicibus (Romanæ scilicet Synodi) caussam agitari iterum tam debuisse, quam potuisse dicat: quum tamen ii, a quibus provocatur, Judices in sequiori judicio sedere omnino nequeant.

Neque magis ad veritatem accederet, & S. Augustini mentem attingeret, qui ex depostulatione Synodi post S. Melchiadis sententiam, secutaque indictione Synodi id ipsum inferret, fas fore nempe a Pontifice ad Synodum provocare, ut plus vice simplici monuisse me memini: nam Donatistas a Synodo Are-

 latensi

latensi damnatos, sicut hominibus furfuris hujusmodi, projectæ hoc est conscientiæ, profligatique pudoris est familiare, e vestigio ab Arelatensium Patrum judicio pariter appellare, atque quidem ad laicam potestatem, non depuduit. Qui de his uberius erudiri desideret adhuc, ei auctor ero, ut nihil dicam de antiquioribus historiæ Ecclesiasticæ, hæresumque tractatoribus, ut adeat ex nostris Franciscum Balduinum in hist. Collat.Carthag.; Franciscum Harlæum lib.1,& 2.de reb. Eccles.; Johannem Launojum epist. 1. part. 5; dissert. de plenario Concilio apud S. Augustinum; dissert. adversus Johannem Nicolai, & Davidium; Johannem Nicolai in dissert. 1, & 2. de Concilio plenario adversus donatistas; Davidium in respons. ad observata Launoji de eodem plenario Concilio; Emanuelem Schelestratium antiq. illust. par. 2. dissert. 1. cap. 7; & in dissert. de Ecclesia Africana; Tillemontium tom. 6. Monum. hist. Eccles.; Henricum Vallesium in dissert. de Schism. Donatist. subjecta ejusdem notis in Eusebii hist. Eccles.; Norisium hist. Donatist., aliosque: ex Protestantibus autem, si licet, Thomam Ittigium in hist. Donatist., & dissert. 2. heptadis in append. de hæresiarchis; Melchiorem Leydecherum in dissert. de Schismate Donat., & hist. Ecclesiæ Afric.; Davidem Ancillonum in Miscellaneis Criticis tom. 2. pag. 431, & seqq.; Hermannum Witsium dissert. ultima Miscellan. tom. 1., aliosque: e quibus Vejelius, ut Symmistas suos ab invidiosa, quam ipsis Theologi nostrates inurunt, nota abstergeret, caussam Donatistarum inter, & Protestantium ingens discrimen intercedere hoc de argumento libro inscripto demonstrare adnixus est.

Priscillianum una atque Instantium,& Salvianum Episcopos, a quibus & ipse in Labinensem, sive Abulensem pseudo-Episcopum subinde inauguratus est, hæresis nomine a Synodo Cæsaraugustana proscriptos, sacraque Gratiani Imperatoris sanctione in exilium pulsos, ad perditæ caussæ suæ meliori, quo possent, modo prospiciendum, id capessivisse consilii, ut Romam proficiscerentur, apud S. Damasum P. M. suspicionem omnem purgaturi, sed a Pontifice repulsam passos, postquam frustra in S. Ambrosii gratiam irrepere tentassent, ideo ut pacis seque-strem,

ſtrem, opinor, apud Pontificem facerent; demum, uti deſperatorum moris eſt, a Synodo Burdigalenſi denuo ſe damnandos præſentientes ad Maximum Imperatorem provocaſſe, quem tamen infeſtiſſimum ſibi experti ſunt, affirmant, & confirmant Severus Sulpitius lib. 2. hiſt. Sacræ cap. *61*; S. Proſper in Chron., & Idacius Lemicenſis in Gallæcia Epiſcopus in Chron. ad ann. 3*86*. in Bibliot. PP. edit. Lugd. tom. 7; apud Sirmondum tom. 2. oper.; Ducheſnium tom. 1; Aguirræum tom. 2. Concil., & Scaligerum in theſauro temporum. Queſnellus capta hinc occaſione Pontificis Romani jura lædendi, & laceſſendi, quærit ſollicitus, quid cauſſæ interceſſerit, cur S. Damaſus appellantes nec ad faciem ſuam admittere voluerit: reſpondet vero eam ſibi videri ſane rationem, quod Synodus Cæſarauguſtana Can. 5. ſtatuiſset: *Ut hi, qui per ſententiam Epiſcopi ab Eccleſia fuerint ſeparati, ab aliis Epiſcopis non ſint recipiendi*: ſubjuncta eadem pœna in eos, qui ſuſcipere poſthac præſumerent. At reſponſum tam audax, quo Romanus Pontifex Synodi Provincialis decretis ſubjugatur, quis æqua, patientique aure excipiat? Quis vero in hiſtoria Eccleſiaſtica tam hoſpes, qui ignoret Pontificibus Summis nihil frequentius, quam homines quoquomodo damnatos a Synodis humaniter audire, ac ſicubi dignos habuiſſent, exaudire? Cujus rei pleraque quidem ſpecimina contra Queſnellum appoſite prolata a Cl. Lupo proſtant legenda apud ipſum in diſſert. 1. de Gallic. Eccl. appell. cap. 7; ac plurima ego quoque articul. ſeqq. proſequar.

Cæleſtii Pelagii diſcipuli appellationem, ad quam nunc devenio, tam multa circonſtant, atque ad illud ſummum Apoſtolicæ Sedis jus, de quo diſputationem inſtitui, illuſtrandum concurrunt, ut paullo amplius ei immorari quam juvet, tam interſit. Contra Pelagium, & Cæleſtium habita eſt itaque Carthaginenſis Synodus circa exitum anni 411, teſte S. Auguſtino epiſt. 157, Paulino S. Ambroſii Diacono actore, qui Cæleſtium multiplici ex capite, ac ſignatim de hæreſis capitulis ſex, (quibus adjungendum ſeptimum ex Mario Mercatore illud diligenter adnotante), ad Aurelium Carthaginenſem Antiſtitem detulerat, in eaque hiſce ex capitibus hæreſis revera convictus

ctus anathemate confixus fuerat, atque a fidelium communione expulsus. Constat id ex epistolis Synodorum Carthaginensis, & Milevitanæ anno 416. ad S. Innocentium I. exaratis. Ad hanc declinandam sententiam eò primum se recepit versipellis homo, ut Apostolicam Sedem appellaret; quamquam postea appellatione postposita, a S. Innocentii I P.M. judicio sibi metuens, Ephesum sibi potius duxerit profugiendum. Prosequitur hoc totum Paulinus in libello adversus Cælestium oblato S. Zosimo apud Coutantium pag. 963, Cælestium appellationi intra tempus legibus præfinitum defuisse perhibens: (cavetur enim Cod. Theod. lib. 11. tit. 30. L. 45, ut appellationes transmarinæ intra anni spatium agantur: Cælestius vero non nisi sexennio post Romanum Pontificem adivit): quodque pejus egisse subjungit Paulinus, Ephesi presbyteri gradum appetiit, antequam Romæ ad conspectum Pontificis compareret, purgaturus se se, ac communionem, qua privatus fuerat, recuperaturus. Appellatam a Cælestio Apostolicam Sedem, quamvis, qui inficiaretur pro ingenio, non defuerit, affirmant tamen Marius Mercator Commonit. cap. 1; Paulinus in libello præcitato; S. Zosimus in epist. 2, & 3. ad Africanos Episcopos, & Facundus Hermian. lib. 7. cap. 3.

Posthæc adversus Pelagium, & Cælestium indicta est Synodus Hierosolymitana anno 415, in qua Orosius Presbyter Hispanus comperiens Johannem Hierosolymitanum Synodi Præsidem judicem parum æquum, atque ad Pelagii partes propensum, id sapienter egit, ut Synodus totius caussæ integrum judicium ad S. Innocentium remitteret, sicuti refert Orosius ipsemet in Apolog. capp. 2, 3, & 4. Synodi hujusce Hierosolymitanæ acta, tanquam a Novatiano quopiam conficta, rejecit Wistellius Carmelita tom. 2. Vindiciarum lib. 3. sect. 5.; Orosio vero Apologiam suppositam fuisse autumat Jansenius Yprensis. At utriusque censuram una simplex evertit lectio S. Augustini libro de gestis Pelagii, quo loci ea omnia, quæ in apologia habet Orosius, retexit. Videsis Norisium lib. 1. hist. Pelag. cap. 7; Garnerium differ. 2. in Marium Mercat., & PP. Maurinos in præfat. ad Tom. 10. operum S. Augustini. Eodem anno Diospolitana Synodus habita est, in qua lectis Herotis Arelatensis, & Lazari Aquensis Episco-

Episcoporum libellis accusationum contra Pelagium, & Cælestium, Pelagius præsens objecta errorum capita ancipiti responsione non tam diluit, quam delusit, facileque Patres Diospolitanos fefellit Græcis Latinus homo respondens; unde ab iis errore facti deceptis absolutionem suffuratus est, atque fidei purus, integerque pronunciatus. Porro Palæstinam Synodum, etsi decepta Pelagium hæresis expertem declarasset, ejudem hæresim haud admisisse, sed imo damnasse docent S. Augustinus lib. de gestis Pelagii capp. 21, & 35; lib. de peccato Orig. capp. 8, & 16; & lib. 5. contra Julian. cap. 5; S. Innocentius I. in epist. 5. ad Africanos Episcopos apud S. Augustinum lib. de peccato Orig. cap. 9; & S. Prosper. in Carm. de Ingratis cap. 2. Quam in rem legendi, quos mox laudavi, Norisius, & Garnerius, necnon Natalis hist. Eccles. ad sæcul. V. dissert. 1, & seq.

Gestorum in Palæstina Synodo certior ab Orosio, qui e Palæstina in Africam se contulerat, factus Aurelius Carthaginensis, altera Synodo anno 416. Carthagine indicta ex Episcopis 68. in Cælestium iterum, Pelagiumque anathematis telum intorsit, missaque Synodica una cum Synodi actis ad S. Innocentium P.M. obsecravit, ut Synodi gestis assensu suo accederet: *Hoc itaque gestum*, inquiens, *Domine Frater*, *sanctæ caritati tuæ intimandum duximus*, *ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas*. Quin etiam Milevi in Numidia eodem anno 416. habita est Synodus 61. Episcoporum, a qua quidem Pelagii, Cælestiique diligenter discussa caussa est; nihil interea adversus illos decretum, sed integrum caussæ judicium, supremumque ad S. Innocentium delatum, Synodica epistola data, cujus notatu digna verba illa: *Arbitramur*, *adjuvante misericordia Domini Dei nostri*, *qui Te & regere consulentem*, *& orantem exaudire dignatur*, *auctoritati Sanctitatis tuæ*, *de SS. Scripturarum auctoritate deprompta*, *facilius eos*, *qui tam perversa & perniciosa sentiunt*, *esse cessuros*. Dixi in hacce Synodo Milevitana II. nihil decretum: etsi enim in Conciliorum collectionibus eidem attribuantur Canones 27, e quibus plurimi adversus Pelagianos adornati leguntur, nullos attamen Canones in ea conditos, sed eos ad Synodos alias Africanas esse referendos acce-

scriptos, recte admonent viri Eruditi Baronius ad annum 402. n. 55; Garnerius dissert. 2. de Synod. adversus Pelag.; Norisius lib. 1. hist. Pelag. cap. 10; & Pagius ad annum 416. n. 17. S. Innocentius Africanorum Patrum acceptis relationibus, eorum laudata religione, qua gravissimam caussam ad suum tribunal detulerant, ad quod utique difficiles fidei, disciplinæque caussas deferendas edisserit, Pelagium, Cælestiumque damnavit: *Nam nec nostra communione sunt digni, quam prædicando taliter polluerunt*, ut inquit in Rescripto ad Synodum Carthaginensem; expressius vero in epistola ad Episcopos Synodi Milevitanæ: *Pelagium, Cælestiumque Ecclesiastica communione privari Apostolici vigoris auctoritate censemus*. De hisce S. Innocentii litteris pluribus in locis agit S. Augustinus, præsertim in epist. 106, nunc 186. ad Paulinum: *Nobis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem*: lib. 1. contra Julianum cap. 4: *Quid enim potuit vir ille Sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana cum ceteris tenet perseveranter Ecclesiis*: lib. 2. ad Bonifacium cap. 3: *Litteris B. mem. Papæ Innocentii de hac re dubitatio tota sublata est*: & sermone 131. novæ edit. de verbis Apost. *Jam de hac caussa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam; inde etiam Rescripta venerunt: Caussa finita est*.

Ex quibus S. Doctoris adeo disertis testimoniis, quibus adjungere liceret adhuc nec minus evidentia Auctoris epistolæ ad Episcopos Galliarum capp. 4, & 7, quam S. Cælestino I. tribuere non dubitarunt Petrus Diaconus in epist. ad exules Africanos Episcopos; S. Prosper lib. contra collat. cap. 21; Vincentius Lirin. Commonit. cap. 43; Florus Diaconus lib. adversus Erigenam; Hincmarus Remensis lib. de Prædestin. capp. 21, & 22; Lupus Ferrariensis in collect. quæst. 2; Remigius Lugdunensis lib. de tribus epist. cap. 23; & Baluzio teste in notis pag. 491. Petrus de Marca; eoque nomine extat in collectionibus Cresconii Brev. cap. 288; Dionysii Exigui; Hadriani I. Hispana; Isidori, Ivonis &c., nec non apud Photium Cod. 53, & 54, ac saltem Cælestini jussu collectam verisimile autumat Fabricius Bibl. mediæ, & infimæ Latin. lib. 3. pag. 315: abjudicant vero nunc eruditi Wendelsti-

delstinus, Crabbius, Surius, Nicolinus, Labbeus, Antonius Carafa, Baronius, Suaresius, Sirmondus, Gerardus Vossius, Dupinius, Quesnellus, Norisius, Serrius &c; quo de argumento fuse agit Petrus Coutantius in monito prævio ad eam epistolam: ex iis testimoniis, inquam, quæ lucem adhuc accipient ex litteris Synodicis e tribus Africæ Conciliis scriptis ad Theodorum a Columbo, Stephano, & Reparato Africanis Præsulibus, ac lectis in Synodo Romana sub S. Martino I. secret. 2. apud Harduinum tom. 3. Concil. pag. 734, patet quam temere, tam perperam de hisce S. Innocentii litteris Erasmum, & Gerardum Vossium, ac nonneminem Recentiorem ambegisse, jureque merito a doctiss. Norisio, & Coutantio fuisse refutatos. Ex adverso Blondellus lib. de Primatu pag. 285, & seqq. has Innocentii Epistolas inficiari non ausus, eò potius se vertit, & in omne se latus intorquet, ut Africanorum Patrum litteras aliorsum, quam quò collineant, inflectat, ex his nempe haud inferri Romanum Pontificem ab illis habitum veluti supremum Ecclesiæ Primatem affirmans. Ut ut lucidissimis illis litteris tenebras offundere Blondellus obnitatur, lucem tamen afferunt aliis. Vidit enim vero vel ipse Pontificum juribus parum alioqui propitius Petrus de Marca in dissert. de veter. Canon. collect. cap. 14. ideo laudatos a S. Innocentio Africanos Antistites, quod in Romana Ecclesia veluti residentem Ecclesiæ universalis Principem Romanum Pontificem reveriti, rei totius relationem exposuissent, supremam exinde sententiam expectaturi. Atque quidem equid, amabo, præferunt, si pacato animo perpendantur, litteræ illæ, nisi eam ipsam egregiam, qua erga Apostolicam Sedem affectos se existimatione significabant, quam ipsis Pontifex magna in laude posuit; eamque ipsam, quam nedum suo, sed cunctorum nomine laudatis superius in locis S. Augustinus expressit? Alteram viam ingressus Illust. Bossuetius in defens. declar. par. 2. lib. 14. cap. 2. hanc circa insignem S. Augustini locum ex serm. 131. descriptum exceptionem adhibuit: S. Doctorem ideo dixisse caussam finitam, quia idest S. Innocentio I. Ecclesiæ consensus accesserat. Verumtamen excogitatum istud inane evadit, omninoque evanescit; siquidem ex Synodorum, S. Innocentii, & S. Augustini

testimoniis mox recitatis constantissimum fit, non nisi Pontificis judicio hæresim illam penitus fuisse profligatam; novum examen post illud judicium non fore præstolandum; atque ab Ecclesia universa Pelagianam hæresim proscriptam, iccirco quod a S. Innocentio fuisset prædamnata. Ad hæc præclara S. Augustinus lib.2. de peccato orig.cap.7, ut ostenderet, quanti etiam faceret S. Innocentii auctoritatem ipsemet Cælestius, *Noluit*, inquit, *quidem Diaconi* (Paulini) *objecta damnare*; *sed B. Papæ Innocentii litteris non est ausus obsistere*; *imo se omnia*, *quæ Sedes illa damnaret*, *damnaturum esse promisit*: & lib. 2. operis imperfecti Juliano Eclanensi Concilium deposcenti in resp. 103. interrog. *Quid adhuc*, reponit, *quæris examen*, *quod jam factum est apud Apostolicam Sedem*? Sed de S. Augustino heic non plura, de quo abunde, opinor, disputatum est Par.1. Art.VIII. §.1.

Confert ad hæc confirmanda quammaxime S. Prosper idoneus, si quis alter, cum Africanorum Patrum, tum S. Augustini, cui erat assiduus, interpres, qui in Chronico liquido perhibet hæresi Pelagianæ ab Ecclesia universa illico maledictum, atque ubi a Summis Pontificibus infamiæ dicam eidem conscriptam intellexit: *Concilio*, inquiens, *apud Carthaginem habito* 215. *Episcoporum*, *ad Pontificem Zosimum Synodalia Decreta perlata sunt*: *quibus probatis*, *per totum Mundum hæresis Pelagiana damnata est*. Insignis est alter ejusdem locus in Carmine de ingratis, ubi Apostolicæ Sedi Pelagianæ hæresis damnationem primum acceptam refert: *Pestem*, ajens, *subeuntem prima recidit Sedes Roma Petri*. Cui consona scripsit Facundus Hermian. lib. 7. cap. 3, quo loci de S. Innocentio loquens: *Pelagianam*, inquit, *hæresim primus condemnavit*. Exinde tamen gravis emergit difficultas, quæ non leve Eruditis negotium facessivit: quum enim Pelagiana hæresis jampridem, annis nempe 411, & 416, (ut de Hierosolymitana, & Diospolitana anno 415. nunc nihil dicam), in duabus Synodis Africanis Carthagine Aurelio Præside habitis fuerit prædamnata, qui fieri potuit, ut S. Innocentius I. P. M., a quo ad Pelagianam hæresim profligandam emissa Rescripta anno 417. Septembrique mense recentiora non sunt, in hæresis Pelagianæ damnatione Præsulibus omni-

omnibus præivisse affirmaretur? Difficilem hunc nodum ita dissolvit Baronius ad annum 412. n. 26, opinatus Pelagianam hæresim veluti surculum in radice excisam fuisse in Joviniano, & Rufino a SS. Siricio, & Anastasio S. Innocentii decessoribus. Atqui S. Prosperum aperte de Pelagiana ipsa hæresi proloquutum eo loci adparet. Garnerius itaque alteram ingressus viam existimat a S. Prospero non absolute Pontificem Romanum affirmatum primum hæresis hujus profligatorem, sed comparate dumtaxat ad Palæstinos Antistites. Verumtamen Palæstinam Synodem duobus annis Pontificis Romani decretum antecessisse, nec imo in ea Pelagianam hæresim condemnatam, sed potius ignorantia facti absolutum ipsius auctorem fuisse superius observatum est. Felicior in conjectura sua, ut ego puto, Petrus de Marca evasit, qui in dissert. de vet. Collect. Canon. cap. 15. arbitratus est ideo a S. Prospero affirmatum a Sede Apostolica Pelagii, Cælestiique dogmata primum fuisse proscripta, quod quamvis a Patribus Africanis Cælestius fuisset condemnatus, hæc attamen privata fuerat in hæreticum virum censura, quam imo ille appellatione interposita ad Pontificem eluserat, adeo ut Africanos Episcopos integrum caussæ judicium ad S. Innocentium referre, definiendumque reservare oportuerit: primum igitur peremptorium judicium, quo Ecclesia universa obligaretur, adversus Pelagianam hæresim prodiisse a Romano Pontifice rite hac ratione dictum a S. Prospero.

Ab his Africanis Synodis Pelagius datis ad S. Innocentium litteris fuco plenis, missoque fidei suæ libello Apostolicam Sedem appellavit: quo fatis functo, ad S. Zosimum ejus successorem epistola elucubrata, adjunctaque fidei professione, hæresis labem depellere, sincereque orthodoxum se demonstrare studuit. Eumdem Pontificem Cælestius pariter appellatione pulsavit, seu verius apud eumdem jam pridem interpositam est prosequutus: videlicet Constantinopoli ab Attico Patriarcha expulsus, Romam profectus, S. Zosimo fidei suæ libello adversus Synodos Africanas expostulatorio exhibito, ipsius judicium invocavit. Tum Pontifex congregata anno 417. Synodo Cælestium audivit, ac legi ejudem libellum jussit, in quo utique peccatum originale infi-

 ciaba-

ciabatur, sed quia profitebatur apud Summum Pontificem se paratum emendare errorem, si quis sibi ex ignorantia irrepsisset: *Si forte*, inquiens, *ut hominibus*, *quispiam ignorantiæ error obrepserit*, *vestra sententia corrigatur*; atque omnia, quæ Sedes Apostolica damnaret, damnaturum se spopondisset, uti refert S. Augustinus lib. 2. de peccato origin. cap. 7; ea propter S. Zosimus tali veluti sinceræ professioni fidens, Cælestii libellum catholicum dixit, sicut adnotavit S. Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 3: Cælestium attamen non absolvit, donec ab Africanis Episcopis de Cælestii rebus certior factus fuisset, ut lib. de peccato orig. præcitato S. Augustinus perhibet. S. Zosimus itaque hominem haud hæreticum existimans, imo potius calumniis appetitum, epistolam scripsit acerbam ad Africanos Episcopos, quod plusquam oportuisset, Herotis, & Lazari accusationibus detulissent: jubens interea de gestis contra Cælestium accuratam reddi sibi rationem, ac subjungens: *Intra secundum Mensem aut veniant*, *qui præsentem* (Cælestium) *redarguant aliter sentire*, *quam libellis*, *&* *confessione contexerit*: *aut nihil post hæc tam aperta*, *&* *manifesta*, *quæ protulit*, *dubii Sanctitas vestra resedisse cognoscat*. Ad hæc quum Pelagii quoque ad decessorem suum exaratas litteras, ac fidei libellum publico in Cœtu legi præcepisset, magis, magisque in sua de Pelagii, Cælestiique ortodoxia confirmatus opinione, alteram dedit acerbiorem ad Africanos epistolam, qua affirmat ex publica litterarum Pelagii, & Cælestii recitatione adstantes ingenti gaudio affectos, ideo quod in iis nihil rectis dogmatibus adversum, aut abhinc diversum deprehendissent: arguit ob id, quod accusatoribus Heroti, & Lazaro fidem haud satis prudenter adhibuisent, hominibus multis flagitiis infamibus, quibus ad cumulum inobedientiæ crimen adhæsisset, siquidem Romam accedere, rerumque summam referre neglexisent: admonet proinde Afros, ne famæ, vel quibusvis testibus nimium tribuant; neve plus æquo ignotis, fideique sublestæ credant; concluditque: *Sit vobis gaudium eos*, *quos falsi Judices criminabantur*, *agnoscere a nostro corpore*, *&* *Catholica veritate nunquam fuisse divulsos*. *Certe hoc*, *quod vestra*

ſtra expectatio deſiderabat, eluxit, ut damnanda damnarent, & ſequenda ſequerentur.

Geminas haſce S. Zoſimi epiſtolas in edit. Cout. 2, & 3. ad Aurelium Carthagin., & Africanos Epiſcopos inſcriptas, atque a Baronio primum editas ad annum 417. n. 19, & 25, quas a nævis expurgando nimia libertate uſum Garnerium vidit Coutantius in Notis ad has epiſtolas, adulterinas putavit P. Antonius Capellus Ord. Min.. Atqui genuinas proculdubio probavit teſtimoniis evidentiſſimis Marii Mercatoris in Commonit. cap.1; S. Auguſtini lib. 2. de peccato origin. cap.8., & lib. 2. ad Bonifacium contra duas epiſt. Pelagian. cap. 3; quibus Fabricius locum ex epiſt. ad S. Optatum de origine animæ adjungit; ac Facundi Hermian. lib. 7. pro defenſ. trium Capitul. cap. 3, probavit, inquam, P. Garnerius diſsert. 2. de Synodis in cauſsa Pelag. celebratis. Non moror heic autem Harduinum comminiſcentem Marii Mercatoris commonitorium, Facundi Hermian. hoſce 12. libros, non ſecus atque ſcripta eorum, qui Facundi cum honore meminerunt, veluti Caſſiodori, Victoris Tunnonenſis, S. Iſidori Hiſpal., Liberati præterea, aliorumque a neſcio quo ſcriptore Gallo multa poſt ſæcula confiđa fuiſse, & ſuppoſita: nam ejuſdem figmenta refutavit Ludovicus Ellies Dupinius in præfat. ad Bibliot. Eccl. ſexti a nato Chriſto ſæculi: quin haud abſimile ejuſdem Harduini commentum alterum incredibile, quo ſuppoſitos fuiſse pariter ſcriptores pleroſque Græcos, & Latinos antiquos, & probos venditavit, Fridericum II. Imperat. germanice, latine, græce, italice, gallice, turcice, & arabice doctum affirmans eum fuiſse, cujus auſpiciis, artibuſque perfecta fraus hæc fuerit, ex Proteſtantibus refellit Maturinus Veiſserius la Croſe in diſsertationibus hiſtoricis gallice anno 1707. editis, atque in Vindiciis veter. ſcriptorum anno 1708.

Atqui hiſce acceptis S. Zoſimi litteris Africani Epiſcopi duas Synodos Carthagine habuerunt, quas in unam perperam confudit Baronius, ſed duas revera diſtinguendas ex S. Auguſtino in epiſt. 215, alias 47. ad Valentinum, & S. Proſpero in Chron. probe docet Pagius ad annum 418. n. 7, & ſeqq., ubi & An-

Anthelmii dissert. 8. in opera SS. Leonis, & Prosperi exsufflat opinionem, unicam tantum cum Baronio Synodum defendentis, sed in duas sessiones distinctam: Pagio vero in censura præiverant Usserius in Antiq. Britan. cap. 10, & Vossius lib. 1. histor. Pelag. cap. 44. Quoto vero anno prima ex his Synodis fuerit celebrata, non convenit inter Eruditos, etsi de anno nempe 418, quo celebrata est secunda, concordent: nam anno 417. habitam autumant Quesnellus in dissert. de Synodis adversus Pelag. celebratis, & Patres Maurini in præfat. ad Tom. 10. oper. S. Augustini n. *16*: at celebratam mense Februario anni 418. contendunt Norisius lib. 1. hist. Pelag. cap. 14, Garnerius loco indic., & Pagius ad hunc annum n. 12, & seq. Ut ut autem sit de ejusdem epocha, e priori hac Synodo plane, (cui Episcopos interfuisse 214, ut habent Codices Labbeanus, aliique optimæ notæ, non autem 217, uti legitur in editis Bibliot. PP. Colon. & Lugd., refert S. Prosper in Chronico, & clarius in lib. contra Collat. cap. 5, ac in respons. ad Capit. Gallor. ad object. 8), litteras ad S. Zosimum dedere obtestantes, ne Pelagii, Cælestiique caussam Africanorum Conciliorum, ac S. Innocentii Prædecessoris sententia jam definitam innovaret, multoque minus immutaret, donec Romam accusatores, & testes cum idoneis caussæ instrumentis venirent, ac vaferrimorum hominum artes, fraudesque aperirent. Sequuta est reapse Synodica relatio, ex qua Pontifex hæresim Pelagianam de facie probe cognoscere posset: ac subsequuta prolixior ex Synodo altera instructio, qua omnia contra Pelagianos hactenus gesta complectebantur, quorum integrum in Pontificis facultate judicium reponebatur. Quum igitur eo loco res essent, S. Zosimus prudenter, accurateque examinatis, quæ in Africa, ac Romæ adversus Pelagianos fuerant definita, Cælestium denuo in judicium vocavit: at ille judicio, in quo patere suas tandem fraudes pertimescebat, fuga se surripuit: quare Pontifex in eum, ac Pelagium severa, ac decretoria sententia animadvertit, exarata ad universos Orbis Episcopos celeberrima epistola illa, quam Tractoriam Mercator vocat. Eamdem quoque misit ad Honorium Imperat. Ravennæ agentem postulans, ut Pelagiani cum omnes

omnes Urbe pellerentur, tum ubique ab omnibus velut hæretici odio haberentur: insigneque ab eo impetravit Rescriptum, de quo fuse agunt Baronius ad annum 418; Baluzius in append. ad Salvianum; Garnerius in dissert. 3. de Constit. Imperat. in Caussa Pelagian.; Quesnellus in dissert. de Concil. Afric. contra Pelag.; Salmasius in Eucharistico; Usserius de Britann. Eccles. primord.; Norisius histor. Pelag. lib. 1; & Pagius ad annum 418. n.28,& seqq., adversus Usserium, Salmasium, Garnerium, & Quesnellum Rescriptum illud Imperatoris ab Africanis impetratum imaginantes pugnans, atque ab Imperatore S. Zosimum impetrasse utique ostendens. Tractoriam eamdem misit præterea S. Zosimus ad Orientalis tractus Ecclesias; non secus atque decessor suus S. Innocentius e re sua duxerat Ecclesias illas, ut ab hac hæresi sibi caverent, admonere. Qua de re præclare adeo a Pontifice decreta Africani Præsules in Synodo adhuc coadunati Tractoria recepta, S. Zosimo, uti par erat, litteris obsequio refertissimis gratulati sunt, & ad ejusdem tenorem Canones 9. adversus Pelagianam hæresim promulgarunt: quorum omnium mentio habetur cap.8. Capitulor., quæ Epistolæ S.Cælestini I. ad Episcopos Galliar. subjici solent; apud S.Augustinum in epist. 157, nunc 190. ad S. Optatum; & apud S.Prosperum lib. contra Collat. cap. 5, ubi ait: *Africanorum Conciliorum decretis B. recordationis Papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit; & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum*. Quibus vides vim excindendi hæreses in Pontificem velut in caput refundi, eidemque acceptam referri, quam inferiores Ecclesiarum Præsules exerunt.

Quandoquidem vero Patres Concilii Catthaginensis in libello obtestatorio ad Pontificem exarato ex eo quoque capite prætensum jus suum integrum sibi servari postulaverant in caussa Cælestii, quem nempe in Synodis Africanis judicium passum, exinde ad judicia transmarina, juxta Ecclesiæ Africanæ Canones, & consuetudinem, provocandi facultate interdictum contendebant, S. Zosimus in aliis litteris ad eosdem datis Cælestium Apostolicam Sedem tam rite appellare potuisse, quam eidem appellanti illam aures præbere, inque ejus caussam inquirere, ac prout

prout oporteret, eamdem definire, hisce verbis rescribit, illorum prætensum jus, querelamque injustam retundens. *Quamvis Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet*; quam periocham multis prosequitur, ostendens potestatis Ecclesiasticæ summam S. Petro a Christo D. traditam, in Romanos Pontifices ejus ex asse Successores transfundi: quorum propterea sententia eodem pretio habenda sit, quo a S. Petro haberetur prolata; contra quam frusta eniti vel Inferi potestates Christus D. pollicitus est: post quæ sic pergit: *Tamen quum tantum Nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus; dantes hæc Fraternitati, ut in commune consulentes, non quia, quid deberet fieri, nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra utilitatem Ecclesiæ veniens displiceret; sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo* (Cælestio), *qui apud vos fuerat accusatus, & ad nostram, qui se assereret innocentem, non refugiens judicium ex appellatione pristina* (ad S. Innocentium), *venerit Sedem.* Quibus quam efficaciter injustam querelam de labefactatis Africanæ Ecclesiæ juribus depellit, tam evidenter summum Apostolicæ Sedis jus admittendi quoscumque ex qualibet Orbis parte appellantes defendit, atque suspicionem omnem proclivioris, ac lenioris præter fas erga Cælestium sententiæ dispungit.

Ex quibus liquido adparet, (ut nunc quidem nihil de Quesnello repetam, qui S. Zosimum Africanos apud Antistites fide aliquando, nec leviter laborasse, veritosque illos fuisse vehementer, ne fidei plane adversa ab eo Pontifice sententia prodiret, de suo præpostero ingenio commentus est, siquidem alio in loco eidem me jam offendisse memini), adparet, inquam, quam perperam Illust. Bossuetius in Desens. declarat. part. 2. lib. 14. cap. 36. a S. Zosimo Cælestii apertissime hæreticam confessionem approbatam fuisse affirmaverit, ideo quod libellum hæretici illius catholicum dixerit. Enim vero ex serie actorum cum Cælestio, & litterarum collatione ea in caussa elucebratarum constat luce clarius quanta cautela usus sit, ante-

quam

quam in sententiam exiret: constat S. Zosimum interrogasse Cælestium de litteris S. Innocentii, illumque respondisse se omnia, quæ Sedes Apostolica damnaret, damnaturum: constat Cælestium S. Zosimi judicio ulrrocitroque submisisse se se edocendum, corrigendum, emendandumque; professum imo præter mentem excidisse, siquid fidei adversum dixisset: constat S. Zosimum post hæc neque communionem illi concessisse, antequam ab Africanis de gestis adversus illum magis instrueretur, deque rerum veritate certior fieret: constat denique S. Zosimum compertis hominum illorum hæresi, dolis, ac fraude illico severe in illos animadvertisse, exarataque encyclica universæ Ecclesiæ hæresis nomine illos habendos denuntiasse. Quorsum igitur S. Zosimi integerrima fides inique in discrimen adduci non dubitatur; hæresisque veluti nequam assentator Pontifex fidei adeo probatæ traduci præsumitur? Quid multis opus? Quippe S. Zosimi fidem abunde liberavit, & defendit S. Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. *Voluntas emendationis*, inquiens, *non falsitas dogmatis approbata est; & propterea libellus ejus catholicus dictus est, quia & hoc catholicæ mentis est velle corrigi, si errasset*. Liberavit, & defendit Marius Mercator Commonit. cap. 1, ubi refert Cælestium Romam Constantinopoli profectum illico promisisse ea damnaturum Capitula, de quibus Carthagine a Paulino Diacono fuerat accusatus; inter quæ locum quoque habebat error negati peccati originalis, de quo nunc S. Zosimo negotium facessitur. *Qua de re*, adjungit Marius, *epistolam humanitatis plenam ad Africanos Episcopos meruit: ubi vero Capitula illa Romam confugiens condemnare detrectavit, a Zosimo ipse damnatus est*. Eccur ergo probasse Zosimus dicitur, quod a Cælestio damnatum voluit, quemque damnare illud renuentem idcirco ipse damnavit? Errore itaque simplici facti S. Zosimus Cælestium orthodoxum existimavit, in eo inquam deceptus, quod, sicuti præsefcrebat, hominem reputaverit ex animo paratissimum ad suos corrigendos errores, quo revera affectus non erat. Cælestii vero libellum ea ratione catholicum denominavit, non quia propositionem nullam contineret hæreticam, sed quod auctoris mentem præferret catholicam, ut qui dogmata sua omnia Pontificis judi-

cio emendanda suppofuisset, ac S. Innocentii decretis se assentiri fassus, & professus fuisset. Quæ quum ita se habeant, quis, quæso, hinc locus tam gravis S. Zosimo facessendi negotii, ignominiæque refertissimam appingendi notam? Postremo Cælestius, ut perditæ causæ suæ, profligatæque, quo meliori posset modo, prospiceret, tertiam interposuit appellationem, atque a S. Zosimo proscriptus, una cum fautotibus suis Synodum œcumenicam postulavit: quo de argumento paullo infra opportunioti in loco agendum erit.

Quæ S. Zosimus cum in præcit. epist. 3. edit Cout. ad Africanos Episcopos, tum in poster. 4. ad Episcopos Africæ, & Galliar., & Hispan. de S. Britio, & Tuentio suggerit, opportunitatem præbet transferendi sermonem ad geminas, quæ in Ecclesia Gallicana appellationes tum obtinuerunt. Principio eo loci Pontifex de S.Btitio, quem in Ecclesia Turonensi successorem proxime S. Mattinus exceperat, denarrat illum a Lazato Aquensi in Synodo Taurinensi falso accusatum a Proculo Massiliensi fuisse absolutum, accusatori vero infamem calumniatotis notam inflictam. Quamquam Petro Coutantio in Not. ad epist. 3. S. Zosimi veri non visum simile sit Proculum, si Lazaro hujusmodi dicam conscripsisset, eumdem in Aquensem Episcopum fuisse ordinaturum. Præterea ex Severo Sulpitio observat S. Britii vitam culpæ non omnino expettem fuisse, adeo ut omnem ejus accusandi, aut Sacerdotio ipsius intercedendi causam excluserit. Quare conjicit, quod licet vera Lazarus adversus Britium denuntiarit, quia tamen id nihil obstitit, quin Britius suo manere in gradu juberetur, ansam hinc arripuerit Patroclus, unde Lazarum calumniatori ignominias a Pattoclo aspersum affirmaret, idque S.Zosimo insinuaret. Adjunge S.Augustinum lib. de gestis Pelag. cap. 1; S. Prosperum in Chron. ad annum 412; & Episcopos Concilii Carthag. in epist. inter Augustin. 175, alias 90, ubi de Herote, & Lazaro cum laude loquuntur: unde viri Eruditi non desunt, qui S. Zosimum præcipitis in eosdem sententiæ potissimum ex eo insimulent, quod absentes, nec auditos Episcopatu, & communione exspoliaverit. De quibus adifis præ aliis Baronium ad annum 417. n. 23; SanMarthanos in Gal-

Gallia Christ. in Archiep. Arelat. n. 11; Cabassutium ad Concilium Taurin. anno 402. n. 1; Dupinium Bibliot. Eccles. tom. 3. in S. Zosimo; Norisium hist. Pelag. lib. 1. cap. 12; & Braschium de libertate Eccles. in conferendis Benef. tom. 3. cap. 17. Mea nihil ofeciis sententia probo, frugique S. Zosimi prælaudatas litteras lustranti difficile persuasum ibit sive Antistites illos accusatores criminum omnino innoxios extitisse, quorum multa ibidem in illos congeruntur; sive Pontifici fucum adeo turpiter factum, ut intimam assequi rei veritatem non valuerit, quam tamen approbe se tenuisse eodem loci manifestat. Ut ut hæc sint, quod nunc ad me attinet, de S. Britio auctor est S. Gregorius Turonensis lib. 2. hist. Francor. cap. 1, quod postmodum anno 430. plebis contra se concitatæ tumultu ab Ecclesia sua expulsus, Romam confugerit, ubi ad septennium demoratus, ut habet lib. 10. cap. 31, demum Pontificis, qui tum S. Sixtus III. audiebat, sententia criminis omnino purus sit pronunciatus, suum regredi ad locum permissus, utque pristino cum honore a populo reciperetur Pontificiis litteris fuerit procuratum. Videsis Tillemontium tom. 14. Monum. hist. Eccles. pag. 264; & Lupum de Gallic. Eccles. Appell. dissert. 1. cap. 10, quo loci animadvertit hujusce S. Britii appellationis exemplum unum ex iis esse, de quibus S. Leo M. in litteris ad Episcopos Provin. Vienn. loquutus est: eique alterum exemplum adjungit appellationis, quam a Synodo Taurinensi Patroclus Arelatensis interposuit, de qua legendæ epistolæ S. Zosimi 5, & 7. in edit. Coutantii; quamque obiter indicasse sufficit; neque enim persequi omnes præstat, aut vacat. De Tuentio vero pauca hæc ex præcit. epist. 4. S. Zosimi accipe. Ob inhonestos mores, nec non hæresis Priscillianæ labem, unde infamis evaserat, in Synodo condemnatus ad Apostolicam Sedem refugerat, a qua supplex, ac pœnitens gratiam est consequutus; post quam tamen Episcopus inaugurari nequibat: siquidem juxta Ecclesiasticam disciplinam Clericus pœnitentiæ legibus semel addictus, ad majorem deinceps in Ecclesia gradum, multoque minus Episcopalem, adscendere prohiberetur, perque reconciliationem abstergeretur quidem a culpa, non absolveretur ab ista pœna. Post hæc nihilominus Tuentius

tius a Proculo Massiliensi, (cui Metropoliticum jus in Narbonensem secundam, etsi à Synodo Taurinensi ei adsertum, intedixerat,) Pontificia jussione parvipensa, (obquam idem Proculus à S. Zosimo propria dignitate fuit dejectus), Tuentius, inquam, ad Episcopalem gradum promoveri impetrarat; de quo perinde a Patroclo Arelatensi, cui Pontifex jus Metropoliticum a Proclo ablatum restituerat, deturbatus, dignitatis retinendæ desiderio Romam profectus appellatione Pontificem iterato pulsavit. Verum irritus voti factus nedum, sed fugiendus ubique gentium decreto solemni est denuntiatus.

Alterum insigne argumentum juris, quo appellandi ad Sedem Apostolicam fas, usumque Africanis jugiter fuisse liquet, S. Augustinus suppeditat in litteris ad S. Cælestinum P.M., de quo egregie, copioseque agit Cl. Orsius hist. Eccles. lib. 27. n. 15, & seq. Ecclesiæ Fussalensi Antonium Episcopi nomine præfici S. Augustinus curaverat, cujus tamen spem ille fefellerat, siquidem characterem, dignitatemque turpissimis moribus adeo dehonestavit, ut in Synodo capitalium etiam criminum accusatus, tametsi gradus ei integer remanserit, Ecclesiæ administratione fuerit interdictus: quatenus in spem erigebatur Synodus fore, ut ad meliorem frugem ille regrederetur. At is Synodi sententiæ non adquiescens ad S. Bonifacium I P.M. appellavit, cujus in gratiam ut facilius irreperet, a Valentino Bajanensi Episcopo, Numidiæque Primate litteras impetravit; quarum utique respectu habito Pontifex sua Antonio integra manere jura, Ecclesiæque suæ administrationi denuo admoveri jussit, ea tamen cautæ adjecta conditione, teste S. Augustino: *Si ordinem rerum Nobis fideliter indicavit*. Interea loci defuncto Bonifacio, apud S. Cælestinum, qui ejus in Cathedram successerat, de Antonii sceleribus, & tyrannide expostularunt tum Fussalensis populus obsecrans, & obtestans, ut hujus genus homo ab se procul abigeretur; tum Valentinus Numidiæ Primas eumdem de rerum veritate certiorem faciens; tum S. Augustinus Pontifici pariter ingerens & quæ Antonius inique peccasset, & quæ contra Antonium ipsum in Africana Synodo peracta fuerant, & apud ipsum pœnitentiam agens, quod Juvenem nec ætate idoneum, nec moribus

ribus satis probatum Ecclesiæ illi præfecisset. En S. Doctoris verba doloris, & humilitatis differtissima: *Me sane*, inquit in epist. 209, alias 261. ad S. Cælestinum, *in isto utrorumque* (Antonii scilicet, Populique Fussalensis) *periculo tantus timor, & mæror excruciat, ut ab officio cogitem gerendi Episcopatum abscedere, & me lamentis errori meo convenientibus dedere &c.* Ad hæc quum quereretur Antonius, quod dignitate servata, sibi Ecclesiæ administratio fuisset adempta, in eadem epistola occurrit S. Augustinus plerosque alios in Africa Episcopos, ac nominatim Priscum, Victorem, & Laurentium in Provincia Cæsareensi Præsules, simili fuisse sententiæ suppositos respondens, quam Apostolica Sedes, etsi appellata ab eisdem, integram manere jussit. Ex quibus constantissimum fit ab Africana Ecclesia certissime agnitum, & assertum jus appellandi a Synodis ad Pontificem, summumque Pontificis jus Synodorum sententias aut ratas habendi, aut rescindendi. Porro quid demum de Antonio decreverit S. Cælestinus, ignoratur: in eum tamen Synodi comprobatam fuisse sententiam, nec eidem Ecclesiæ redditam administrationem in nova S. Augustini editione observatum est, ac conjicere licet ex eodem S. Augustino in epist. 224, ubi Fussalenses curæ suæ commissos commemorat. Confer Clariss. Lupum in dissert. 2. de Afric. Eccles. appell. cap. 21, & seqq., ubi tum hoc exemplum late prosequitur; tum Critices intemperantioris nonneminem profligat, qui de laudatæ epistolæ legitimis natalibus dubium movere præsumpsit; tum ejusdem epistolæ scholiastem nonnullius erroris perstringit. De Appiarii Presbyteri appellatione, ex qua tam acris S. Zosimum inter, & Africanos emersit contentio, dicam copiose §. seq.

Ad celeberrimam illam Celidonii appellationem, quæ cum S. Leone M. S. Hilarium Arelatensem commisit, unaque ex celebratissimis in Ecclesia Gallicana censenda est, nunc accedendo, principio operæ pretium duco observare saltem obiter cujas esset Celidonius, cujusque Provinciæ Episcopus, non certum esse, nec Eruditos inter convenire. Pertinuisse ad Viennensem Provinciam opinati sunt Baronius, & Quesnellus in dissert. 5. ad opera S. Leonis M., eo præsertim momento, nec utique contemnendo

temnendo ducti, quod S. Hilarii Metropoliticæ jurisdictioni esset obnoxius; veluti exinde liquet, quod S. Leo ea dumtaxat ratione S. Hilarii sententiam in Celidonium irritam dixerit, quod objectorum veritas non constitisset; non etiam quod in alienæ Provinciæ jura irrepsisset. Arelatensi vero Antistiti Metropoliticum jus in Provinciam Viennensem ab antiquo competivisse argumento sunt Concilia Arelatense I, in quo Marinus Arelatensis solus subsciptus legitur; Taurinenense can. 2, quo controversiæ finiendæ gratia Episcopos Arelatensem inter, & Viennensem statuitur, ut is Metropolita habeatur, qui propriam Urbem Metropolim probaret, quod Arelatensi plane facile accidit; S. Zosimus in epist. 1, & 5. ad Episcopos Galliar., quas Johannes Morinus Eccl. Exercit. 24. a Scaligeri intemperanti censura defendit, justisque suis natalibus ab illo infamatis vindicat, & restituit; S. Leo M. in epist. 89. edit. vet., nunc 10. ad Episcopos Provinciæ Vienn., qua S. Hilarium Metropolitico jure in Provinciam Viennensem privavit; Synodi Rejensis, & Arausicana I, in quibus S. Hilarius primo loco subscriptus legitur. De quibus adeundi, si libet, SanMarthani tom. 1. Gall. Christ.; Petrus Saxius in Pontificio Arelat.; Mabillonius in Diptycho Arelat. tom. 3. Analect.; Ægidius du Port in hist. Eccl. Arelat.; Cointius tom. 1. Annal. pag. 262. &c. Celidonium e contra Episcopum fuisse Vesontionensem, sive Bisuntinum affirmant Johannes Jacobus Chifletius in Vesontione par. 2; Petrus de Marca in dissert. de Primatu Lugd.; Baluzius; Sirmondus tom. 1. Concil. Gall.; Harduinus in notis ad Synodum Vienn. anni 444; Pagius uterque, Senior ad annum 445. n. 9, & seqq.; Junior in Breviar. hist. Crit. in S. Leone M., aliique vulgo quamplures ea potissimum moti ratione, quod in vita S. Romani Abbatis Jurensis apud Bollandum ad diem 28. Februarii Celidonius explicate Vesontionensis Episcopus denominatur: quam quidem vitam a Monacho Jurensi Anonymo scriptam interpolationis, & suppositionis arguunt Quesnellus dissert. 5. par. 1. cap. 2, & Papebrochius tom. 7. SS. in addendis, & corrigendis ad diem 5. Maii; vindicat tamen Pagius, eorumque omnes moras convellit, momentique alicujus conjecturas evertit.

Ut ut

Ut ut hæc se habeant, Celidonius certe in Concilio aut Viennensi ann. 444. celebrato, ut adnotat Harduinus; aut Arelatensi, ut minus vere existimat Gerbasius anno 440. habito; vel in loco haud procul ab Urbe Vesontionensi, uti SanMarthanis verisimilius est visum; vel in loco incerto, velut rectius scribit Sirmondus, Celidonius, inquam, in Concilio, cui præerat S. Hilarius, bigamiæ, & lenitatis defectu accusatus, videlicet quod viduæ maritus fuisset, ac Judicis officio dum fungeretur, sententiam mortis in reum dixisset, ac nihilominus Episcopali dignitati se obtrudere non abstinuisset, eo nomine, quod contra leges Ecclesiæ id esset, loco dimotus est ab Hilario, Episcopatuque dejectus. Apostolicam Sedem appellavit propterea Celidonius, Romamque profectus, una secum adductis testibus, coram S. Leone ab objectis se purgavit, immunemque probavit. Quare Pontifex caussa accurate perpensa Celidonium absolutum a Synodi, & Hilarii sententia in suam redintegravit sedem, Viennensis Provinciæ Episcopis per litteras certioribus factis. Sed & S. HilariusRomam & ipse progressus judicium suum prosecuturus defensurusque, quum Celidonium victurum caussam prænosceret, clanculum Roma se surripiens, ad locum suum regressus est. Ad hæc eadem in Synodo anno 445. Romæ habita Projectus Episcopus alienæ Provinciæ, cui ægrotanti alterum Episcopum superordinaverat S. Hilarius, contra Hilarium litteris in querelas effusus est exauditus: superordinatum enim contra leges Ecclesiæ S. Leo submoveri decrevit, & Projectum in gradu suo permanere: Hilarium autem in violatorum Canonum vindictam Episcoporum ordinationibus, Synodorum indictione, omnique jure Metropolitico in Provinciam Viennensem exercendo, quod transtulit in Viennensem Antistitem, interdixit. De quibus omnibus ab se definitis prælaudatam epist. 89, nunc 10. in edit. Quesnelli dedit ad Episcopos Vienn. Provinciæ: ubi disertis verbis summam Apostolicæ Sedis auctoritatem caussas appellantium discutiendi, ac dirimendi ex divino jure adstruit, atque vel ex antiqua Ecclesiæ Gallicanæ consuetudine appellandi confirmat. *Nobiscum*, inquiens, *vestra Fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem, pro sui reverentia, a vestra etiam Pro-*

Provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, *&* *per diversarum*, *quemadmodum vetus consuetudo poscebat*, *appellationem caussarum*, *aut retractata*, *aut confirmata fuisse judicia*. S. Leonis litteris accessit Valentiniani III. Imperatoris Rescriptum anno 445. datum ad Aetium Arelate Præfectum, quod extat in Cod. Theod. tit. 24. *de Ord. Episcop.*, ubi hæc observatu sunt digna. *Decernimus*, *ne quid tam Episcopis Gallicanis*, *quam aliarum Provinciarum contra veterem consuetudinem liceat sine Viri venerabilis Papæ Urbis æternæ auctoritate tentare*, *sed illi*, *omnibusque pro lege sit*, *quidquid sanxit*, *sanxeritque Apostolicæ Sedis auctoritas*. *Ita ut quisquis Episcoporum ad judicium Romani Antistitis evocatus venire neglexerit*, *per Moderatorem ejusdem Provinciæ adesse cogatur*. Nempe S. Leo Imperatorem interpellaverat, ut ad refractariorum inobedientiam retundendam Pontificiæ Principalem auctoritatem accumulans, lata lege caveret, & curaret, ne quispiam imposterum Romani Pontificis sententiæ aut fuga se substraheret, aut præfracta fronte refragaretur. Quam Pontificis sententiam alioqui sine Imperiali sanctione valituram idem Valentinianus perspectum habens, persuasumque subjungit. *Quamvis sine Imperiali sanctione valitura esset*. *Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesias non liceret*? Confer, qui laudatissimam hancce legem ab Johannis Gerbasii obtrectationibus, quibus illam lacessere, invidiaque livide incendere non est veritus, egregie defendit, ulcisciturque, doctiss. Christianum Lupum præcit. dissert. cap.4.

Quæ de hac celeberrima S. Leonem inter, & S. Hilarium controversia referuntur utrinque a S. Leone in præl. litteris ad Episcopos Provinc. Vienn., & a S. Honorato Episcopo Massiliensi in vita S. Hilarii apud Surium ad diem 5. Maii; Vincentium Barralim in Chronolog. SS. Lirinens.; & Henschenium tom.2. Maii, (si tamen revera is est auctor, sicuti pugnant Quesnellus, & Pagius ad annum 490. n. 18, & seq.; nam S. Honorato illam abjudicant San Marthani, & Papebrochius tom. 7. in append. ad diem 5. Maii; Reverentio cuidam, sive Ravennio ejusdem successori attribuunt Aubertus Miræus, & Petrus Saxius in Pontificio Arelat.) magnopere inter se discrepant, in-
que

que partes diversas, pro unius cujusque ingenio, quo erga Romanos Pontifices diversimode afficiuntur, Eruditos distrahunt. Quesnellus in præcit. dissert. 5. & Tillemontius tom. 15. Monum. hist. Eccles. art. 15, post Franciscum Bivarium in Notis ad Chronicon Ψευδεπίγραφόν Marci Maximi ad annum 449, quod commentis ipse adauxit, & consarcinavit, in ea præpostera opinione versantur, quod præ S. Leone S. Honorato potius facilis, pronaque abhibenda sit fides, eoque referente credendum approbe S.Hilarium in Celidonii caussa per omnia optime, S. Leonem è contra per omnia perperam egisse. Papebrochius vero loco prælaudato, (adeundusque, si placet, in respons. ad exhibitionem errorum Sebastiani a S. Paulo Carmelitæ art.13. §.4.); Pagius ad annum 445. n. 13, & seqq.; Lupus in præcit. dissert. capp.1,15, & seqq.; Orsius hist. Eccles. lib.31. n.51, & seqq., & alii longe verius, & rectius in hujus caussæ narratione potiorem esse S. Leonis, quam S. Honorati auctoritatem, ideoque illius fidei præ isto credendum, deferendumque affirmant. Profecto qui a præjudiciis absolutum applicuerit animum ad ea, quæ utriusque relationem circonstant, facilem in partem S. Leonis inflectendum nullus utique dubito. Nam S. Honoratus quæ Romæ gesta fuerant, post annos fere triginta non nisi ex auditu, & relatu Arelatensis Cleri descripsit, cui nec magna irrogaretur, opinor, injuria, si ex nimio amore, ac studio in S.Antistitem suum, sua in narratione excessisse non nihil existimaretur. Quam maxima vero injuria fieret S. Leoni, si falsitatis in referendo argueretur: quippe eorum, quæ refert, præsens & testis, & actor, & Judex interfuit; ideoque mera ex industria falsa referre voluisse foret dicendus. Quod de Pontifice tam sancto, ut mentiri voluerit, tamque prudenti, ut Provinciæ Vienn. Episcopis recens gestorum falsam relationem ingerere non fuerit veritus, dicere nedum, sed vel fingere cogitatione abhorret quammaxime animus: licet enim S.Leonem permitteremus adversus S. Hilarium fuisse paullo commotiorem, quominus tamen mendacii insimuletur, prohibent eximia ejusdem cum sanctitas, tum prudentia. Quid autem quod de S. Leonis fide dubitare ne leviter quidem permittunt sive Valentinianus Imperator, qui in suo Res-

cripto eadem regerit, quæ suis in litteris S. Leo descripserat; sive Projecto Episcopo subjectus Populus, qui communi suffragio ad S. Leonem epistolam dederat querelis invidiosissimis adversus S. Hilarium refertissimam? Excessisse igitur aliquantum S. Antistitem fatendum utique est; in quem etsi plus justo severiorem præbuisse se se S. Leonem fateremur, id falsis delationibus, quibus Pontifici aliqua ex parte fuerit obreptum, procul dubio foret tribuendum: quemadmodum in hac, & simili S. Mamerti Viennensis Episcopi caussa a Baronio, Pagio, Natali, & Orsio est observatum. Cæterum ob id carpendus quammaxime Quesnellus est, quod S. Hilarium propositi sui tenacissimum nequiter effecerit, semper æqualem sibi Ecclesiæ suæ jura ad extremum usque spiritum viriliter defendisse, nec unquam passum, ut ad parendum Romano Pontifici adduceretur. Quis enim boni, æquique æstimator ingentem in contumeliam ista vergi non videat? Atqui S. Honoratus profitetur S. Hilarium, postquam Arelatem fuisset regressus, inclyta humilitate totum se convertisse ad placandum S. Leonem, hujusque rei gratia Romam primo Ravennium Presbyterum, ac deinde duos Episcopos probatissimæ vitæ, SS. Nectarium scilicet, & Constantium ad eumdem Pontificem promerendum misisse. Præterea S. Hilario consilio suo auctorem se dedisse refert Auxiliarem Urbis Romæ Præfectum, ut à proposito decedens se in Pontificis obsequium inflecteret. *Aures Romanorum*, inquit in frag. epistolæ, quod S. Honoratus regerit, *quadam teneritudine plus trahuntur, in quam si se Sanctitas tua dimittat, plurimum tu, nihil perditurus, acquiris*. Denique S. Hilarium post obitum pro viro Sancto, sibique probato habitum a S. Leone liquet ex epist. 36. ad Episcopos Provinciæ Vienn. Sed de his jam nimium.

Hanc Celidonii in Comitatu Burgundiæ insignis altera excepit Lupicini in Cæsareensi Mauritania Episcopi ad eumdem S. Leonem M. appellatio: quem proinde Pontifex sacris interdici, aut sede moveri, aut alium ipsi superordinari Episcopum, caussa coram Apostolica Sede, quam appellaverat, pendente, districte prohibuit. *Caussam*, ita loquitur in epist. 87. ad Episcopos Afric. Provinc. Cæsar. Maurit., *Lupicini Episcopi illic* (scilicet

licet in Provinciæ Synodo) *jubemus audiri: cui multum, & sæpius postulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam quum ad nostrum judicium provocasset, immerito eum, quem, pendente negotio, a communione videbamus fuisse suspensum. Adjectum etiam illud est, quod huic temere superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari, antequam Lupicinus in præsenti positus, aut confutatus, aut certe confessus justæ posset subjacere sententiæ, ut vacantem locum, quemadmodum disciplina Ecclesiastica exigit, is, qui consecrabatur, exciperet.* Hanc partem epistolæ Lupicini caussam spectantem Quesnellus pannum esse assutum ad demonstrandum ex Africa, quod ipse pro insito ingenio detrahendi Pontificiis juribus passim inficiatur, Romanum Pontificem appellatum quam præfidenter, tam perperam affirmat. Quam suam conjecturam, quæ Natali pariter arrisit, eo maxime suffulcit momento, quod pars illa epistolæ in plerisque venerandæ antiquitatis, ac probatæ fidei Mss. desideretur. Postquæ pestilentissimo calamo ita concludit. *Certe valde Leonis nostri solertiæ, ac ingenio consentaneum mihi videtur, ut temporis opportunitatem captaverit ad confirmandam Sedis suæ auctoritatem in Africanas Ecclesias. Nemo est, qui nesciat, quoties, quantisque conatibus id tentaverint Leonis Prædecessores, quamtumque Leonis ipsius ætate Bonifacius, & Cælestinus in eam rem laboraverint, Africanis consuetudinem suarum Ecclesiarum invicte propugnantibus. Expectanda tum illis fuerat opportunior occasio, quæ ut se se Leoni obtulit, eam vir cordatissimus elabi non est passus.* Quibus quam improbe, tam impune vir impudens S.Leoni eam labem inurere non veretur, quod ex studio sui tutandi juris, ambitione quin imo plus justo amplificandi, nec ab alieno invadendo sibi temperaverit. Atque leviter attactum ecce tibi specimen ejus temeritatis, qua sub obtentu novæ ab se adornatæ editionis, S. Leoni obtrectandi licentiam arripuit!

Atqui non tam refutanda hæc,(quod abunde præstavit alioqui Clarifs. Lupus de Afric. Eccles. Appell. dissert. 2. cap.25.), quam contemnenda, non secus ac Anonymi ejusdem amici temeritas, qui, velut refert Vignolius Marvillius, sive Bonaven-

tura Argonnensis Carthusianus tom. 1. Miscell. historico-Critic. pag. 75, in epistola ad Quesnellum dicam, quæ Romæ Quesnelli huicce operi fuerat conscripta, contemptui habens, scribere in hæc non erubuit: *La Censure de Rome ne gatera pas votre livre*: Ad ejusdem magis levissimas conjecturas de Lupicini commentitia appellatione eluendas me converto: atque principio, quam abs vero immaniter absit commentum illud, quo ab appellationibus Romanis, velut a re disciplinæ Ecclesiasticæ parum consentanea, Africanos summopere semper abhorruisse confingit, ea omnia evidenter demonstrant exempla, quibus argumentum hoc spatiosum agitur, ut agere speciatim non sit opus. Quod autem cum temporibus illis Africana in Ecclesia turbatissimis hæc Lupicini appellatio vix, ac ne vix quidem compati potuisse visa Quesnello, hominum perspicacissimo, sit, id tanti profecto nec est, nec potest æstimari, ut propterea eam Leoninæ epistolæ partem fore abjiciendam putemus: nam etsi armis desæviret Gensericus, ac Provincias undique in Africa Romano ab Imperio abstrahere adniteretur, Cæsareensis tamen Mauritania, Victore Vitensi teste, adhuc Romano obtemperabat Imperio; ideoque Episcopis haud difficile obtingebat se se ad Synodum coadunare; in ea de Lupicini causa sententiam dicere; ab eaque Lupicino appellationem ad Pontificem interponere. Esto vero turbatissima essent tempora: eamdem ob rem, ob bellorum idest tumultus, ideoque quod vix omnes ubique essent infestæ, neque Lupicino commeare Romam, neque Legatis transmeare in Africam facile daretur, S. Leo juxta Canonem 7. Sardicensem Lupicini causam Synodo Provinciæ commisit, sicuti laudata in epistola legitur. Quod denique ea pars epistolæ in nonnullis Mss. Codicibus desideretur, id invictissimum non est: nam eadem habetur integra in omnibus editis; legitur etiam in Mss. exemplaribus Biblioth. Vaticanæ, & Augustinianæ; & laudatur demum a Dionysio exiguo in sua Canonum collectione: atque de hac controversia hactenus.

Quesnellum, qui posteaquam ab Africana procul Ecclesia Romanas appellationes propellere fuisset adnixus, in id perinde totus intento nervo incubuit, ut easdem quoque ab Ecclesia Galli-

Gallicana quam longissime profligaret, erroris manifestissimi arguit, præter ea quamplurima ejusdem genus, quæ jam attacta sunt, eruntque attingenda, exemplum Contumeliosi Rejensis in secunda Narbonensi Episcopi. Is in Synodo Provinciæ probri accusatus, propriaque confessione convictus, a S. Cæsario Arelatensi gradu fuerat deturbatus: quinimo gestorum relatione missa ad Johannem II. P. M., ab eodem Synodi confirmata sententia, litterisque anno 534. ad Galliarum Episcopos datis Contumeliosus dignitate exspoliatus, in Monasterium ad agendam pœnitentiam detrudi fuerat jussus. Nihilosecius quum Johannes vivendi finem fecisset, Contumeliosus pœnitentiæ, clausuræque pertæsus, ad S. Agapetum appellavit, qui appellatione indulgenter admissa, (nam alioqui prior sententia a Johanne confirmata transierat in rem judicatam, velut loquuntur, nec proinde appellationi supererat locus), caussæ ejus examen instaurari præcepit, ac Judicibus delegatis judicium in Provincia institui: Contumelioso interea ab Ecclesiasticorum bonorum administratione suspensum manere jusso, eique sola Missarum celebratione indulta. Arguit autem, & carpit S. Cæsarium, quod post appellationem interjectam prius judicium contra Contumeliosum latum executioni ex parte demandari permisisset: *Melius autem*, inquiens, *fecerat Fraternitas tua, si posteaquam Sedis Apostolicæ appellatione interposita desideravit examen, circa personam ejus, a tempore sententiæ, nihil permisisset imminui; ut esset integrum negotium, quod interposita provocatione quæreretur*. Eadem in epistola innuit Canonum syllogem ibidem subnexam dirigi, ad exemplum sui decessoris, qui eadem in caussa ad calcem epistolæ ad S. Cæsarium Canones nonnullos adjecerat, quos equidem ex Mss. Codic. Remen., Lirin., Pithe., Corbej., aliisque primus edidit Sirmondus, ex eoque Harduinus Tom. 2. pag. 1155: sed missi a S. Agapeto desiderantur; quos tamen inter alios locum Sardicenses habuisse nullus dubito.

Posthoc se offert ex Gallia pariter exemplum Salonii Ebredunensis, & Sagittarii Vappincensis. Hi Fratres erant a S. Nicetio Lugdunensi Episcopo educati, atque tandem ad Episcopatus culmen ascenderant. Quo in loco constituti ingenio fræna laxan-

laxantes adulteriis se dehonestare, homicidiis, & cædibus desævire, diversisque in flagitiis insano, indomitoque furore grassari cœperunt: ita ut ab injiciendis in Victorem Tricassinum Episcopum scelestis manibus, direque ad eumdem divexandum mille nefariis modis ab immittenda cohorte non abstinuerint. Quibus graviter commotus Gunthramnus Rex Lugduni anno 577. indici Synodum quam Baronius primam vocat, sed vocandam secundam advertit, Pagius, jussit, in qua S. Nicetio Præside Episcopatus honore privati sunt. Damnati illi, ac depositi Regem adeuntes de injuria sibi inlata, sententiaque injusta conquesti sunt, atque ad Romanum Pontificem appellantes, ut Romam se conferre per Regem liceret, ibidem suam prosequuturos appellationem, postularunt. Eorumdem precibus a Rege exauditis, Romam accessere, ubi a Johanne III. P.M. liberaliter accepti, libenterque auditi, datis ad Regem litteris suis locis redintegrari jussi sunt. Narratio isthæc accepta integra debetur S. Gregorio Turonensi lib. 5. hist. Francor. cap. 21, quo loci de mandato Romani Pontificis a Rege recepto subjungit: *Quod Rex sine mora, castigatis prius illis verbis multis, implevit*. Equidem nuperi Editores operum S. Gregorii Turon. admonent historiæ hocce caput deesse in Codicibus Mss. Bellovacensi, & Colbertino; extare tamen in Cassinensi, & aliis advertunt: quibus adjungere licet tum editos in Bibliot. PP., tum Mss., quos vidit Guilelmus Parvus; S. Martini Turonensis, quem consuluit Guillelmus Morelius; S. Nazarii Laurishemensis, quem contulit Mathias Flacius; Palatinum, quem inspexit Freherus; quinque, quibus usus est Du-Chesnius; aliosque, ad quos se direxerunt Laurentius de la Bare, Laurentius Bochellus &c.; de quibus confer prætetea, que in partem utramque de variis capitibus hujusce Gregorianæ historiæ interpolatis, aut suppositis disputant viri doctissimi Hadrianus Vallesius in prolegom. ad Annal., Cointius tom. 1. pag. 45, & tom. 2. ad annum 595. num. 42, & seq.; & Ruinartius in Prolegom. ad horum argumenta respondens. Postea tamen præfatos Episcopos in pejus mutatos, quin insuper Patriæ proditores effectos, atque Majestatis læsæ reos convictos, ejusdem Regis jussu anno 579. in Syno-

Synodo Cabilonensi dignitate fuisse dejectos, atque in custodiam detrusos, aliis in eorumdem vacantes Sedes Episcopis subrogatis, auctor est idem S. Gregorius eodem libro cap. 28. Confer Sirmondum in notis ad utramque hanc Synodum: siquidem dicere amplius non suppetit.

Nec defuisse ex Hispania, etsi hinc frequentiora haud fuerint, Episcopos, quibus ad Apostolicam Sedem appellandi usus interdum venerit, præter eorum, quæ superius jam attigi, exempla, documento proxime esse possunt Januarius Malacitanus, & Stephanus ignoti mihi loci in Hispania Episcopi; nam uterque in Synodo Provinciæ depositus fuerat; uterque ad Apostolicam Sedem appellationem interposuit. Sedebat sub id temporis in S. Petri Cathedra S. Gregorius M., qui ea de re Johannem Romanæ Ecclesiæ Presbyterum in Hispaniam direxit in amborum Episcoporum caussam diligenter inquisiturum, reique veritate comperta, illos absoluturum, aut damnaturum: fecit & illi facultatem, ut Episcopos, qui in depositorum locum alios ordinaverant, si de injuria depositis irrogata constaret, sex mensibus christiana Communione interdiceret, inque Monasterium ad agendam pœnitentiam detruderet. Constat id omne ex S. Gregorio lib. 11. epist. 40, & 52, nunc lib. 13. epist. 33, & 45. Observatu illud obiter dignum, quod eo loci non alteram judiciorum Ecclesiasticorum formam S. Pontifex præscribit, quam quæ præfinita legibus Principum fuerat; inter quas laudat Gratiani Legem ad preces Synodorum Romanæ, & Aquilejensis latam; Novellam 123. Justiniani; & Modestinum in Pandectas lib. 48. ad Legem Juliam L. *Famosi*. Pleraque alia Episcoporum judicia ex transmarinis Ecclesiis appellatione ad eumdem S. Gregorium transmissa passim leguntur, quæ ob bellorum tumultum, ac tempestatem aliis cognoscenda remisit. Inter hæc ex Africa Argentii Lamigiæ, & Maximiniani Pudentiæ in Numidia Episcoporum, quos Clerici accusarant, quod accepto præmio Donatistas Ecclesiis præposuissent, caussas in Provinciæ Synodo coram Hilaro Diacono dirimendas commisit lib. 1. epist. vet. edit. 82; & lib. 2. epist. 33. Paulini Regiensis in Numidia Episcopi simoniæ delati, & Clementii Provinciæ Byzace-

zacenæ Primatis gravium criminum conscii judicia Synodo Provinciæ definienda dimisit lib. 10. epist. 32, & 35. Ex Illyrico Pauli Diocliæ in Albania Episcopi loco dejecti caussam Johanni primæ Justinianæ Metropolitæ; & Johannis Euriæ in Epiro Episcopi alienam Sedem invadentis judicium Bonifacio Diacono demandavit lib. 10. epist. 34, & lib. 12. epist. 2, & 3.

Ne vero intactam reliquisse nobilem aliquando Ecclesiam Anglicanam videar, refert modo, & maximopere congruit, ut ex ea nonnullum exemplum depromam, quo ibidem, non secus ac alibi, invaluisse appellandi jus ad Apostolicam Sedem demonstretur. S. Wilfridus Eboracensis Archiepiscopus diversam, & adversam fortunam ad obitum usque expertus, anno 677. juxta Pagium n.9, & seqq., aut 678. juxta Mabillonium ab Egfrido Northumbriæ Rege ob privatus Ermemburgæ Reginæ simultates Episcopatu pulsus Apostolicam Sedem appellavit, & sequenti anno Romam profectus, apud S. Agathonem P. M. appellationem suam prosequutus est. Pontifex Synodo habita anno 679, (veluti adversus Pagium hanc ad annum 678. retrahentem propugnat vir doctiss. Cennius in Not. Chronolog. ad S. Agathonem tom. 4. Anastasii edit. Cl. Blanchinii), & Wilfridi caussa diligenter exagitata, dignum existimavit, qui suæ restitueretur Ecclesiæ, missoque in Angliam Abbate S. Martini ad ei inlatam redimendam injuriam suam ei reddi Sedem injunxit: in qua perinde a S. Benedicto II. est confirmatus. Effectu tamen caruit Pontificis jussio usque ad annum 887, quo demum Aldfridi, quem Egfridus a Pictis interfectus in Regno successorem exceperat, permissu executioni est demandata. Verumtamen quinquennio post ejusdem Regis, cui in invidiam immerito venerat, opera Episcopatu iterum ejectum, iterumque Pontificis opem invocantem S. Sergius I. in pristinum redintegrari gradum pariter decreverat: quod decretum quidem maximi, uti par erat, fecit Æthelredus Merciæ Rex, ac Wilfridum, sicuti verè dignus erat, magni honoris loco habuit; sed non ita Aldfridus Rex Northumbriæ, & Britualdus Cantuariensis Antistes, qui moras nectendo Pontificium mandatum suspenderunt non modo, quinimo Synodo indicta virum sanctum fraude circumvenire, blanditiis

tiis inflectere, apertaque vi ad suæmet abdicationi subscribendum pertrahere studuerunt. Quare S. Wilfridus iterata appellatione ad Pontificem provocavit, Romamque anno 703, perrexit ad Johannem VI, (uti observat Pagius ad annum 704. n.12, non autem ad Johannem VII, sicuti opinantur Baronius, Binius, Labbeus, Harduinus, Natalis &c.), cujus ad pedes suppliciter provolutus se ad Apostolicam Sedem, *Quasi ad Matris gremium* confugisse professus est. Pontifex itaque Synodo habita anno 704, quemamodum contra Alfordum hancce Synodum inficiatum ostendit Pagius n. cit., in eaque cum Wilfridi, dignitate se abdicare alioqui paratissimi, accurate discussa causa, tum Britualdi Archiepiscopi Cantuariensis auditis Oratoribus, Decessorum suorum SS. Agathonis, Benedicti, & Sergii confirmata sententia, S.Antistitem omnino innoxium pronunciavit, suamque regredi ad Ecclesiam præcepit, litterisque datis ad Æthelredum, & Aldfridum Reges, quas sub Johannis VII. nomine describit Harduinus tom. 3. Concil. pag. 1825, eosdem de absoluto Wilfrido, ac pristinæ dignitati restituendo admonuit, atque ut Romam accederent jussit causam dicturi Boza Eboracensis in locum Wilfridi intrusus, & Johannes Episcopus Hagustaldensis, qui a Wilfrido Monasterii administrationem abstraxerat. Aldfridus improborum hominum dolis circumventus se parum æquum S. Antistiti præbuit aliquandiu, donec infirmitate correptus spopondit, si convalesceret, Pontificio mandato facturum se satis; sin autem, in Successorem id oneris ab se transferri. Itaque Osredus id operis explere suarum partium existimans, indicta Synodo Niddensi anno 705. Pontificis sententiam executioni mandari præcepit. Quamquam vir humilis ultro citroque Eboracensi Sede Johanni Hagustaldensi Bozæ successori cedens, hacce deinceps Ecclesia Johannis translatione vacua, suisque Monasteriis quadriennio, quoad vixit, contentus fuit. Paucis hæc omnia complexus sum, quæ fusiori sermone persequuntur V.Beda lib. 5. hist. Anglor. cap. 20, & seqq.; Guilellmus Malmesburiensis lib. 3. de gestis Anglor. Pontif.; & Eddius in vita ejusdem S. Wilfridi cap. 23, & seqq. apud Mabillonium Sæculo IV. Bened.

Antequam ad eam celebrem deveniam epocham, qua de Appellationibus litem movere Romanis Pontificibus ex Gallicana Ecclesia nonnulli Episcopi ausu hactenus inaudito cæperunt, attingenda saltem obiter est, quæ observatu ob id digna evadit, quod sub eadem tempestate contigerit, qua parum æque de obedientia Pontifici Romano impendenda cogitabatur, S. Aldrici Cenomanensis Episcopi appellatio. Is anno 840. a seditiosis Civibus loco depulsus Gregorium IV. P.M., cui ob egregia merita apprime erat acceptus, injuriæ sibi inlatæ vindicem depostulavit; qui protinus epistola conscripta ad Episcopos universos Galliæ, Germaniæ, & Europæ relata a Gratiano *Cap. Decreto* 11.q. *6*, a Baronio ad annum 83*9*. n. 2, a Sirmondo tom. 2. Concil. pag. *569*; ab Harduino tom. 4. pag. 12*69*, aliisque, (quam adversus Cointium ad annum 83*9*. n. 3*6*. eamdem suppositionis arguentem vindicat Pagius ad eumdem annum n. 2, nihil esse ostendens, quo epistola hæc suspecta haberi, & ad pseudepigrapha amandari possit, & debeat), diserte, ac liquido declaravit Aldrico fas fuisse Apostolicam Sedem appellare; nec alibi, quam apud eamdem Sedem illum fuisse accusandum, deque Pontificis potestate ipsius caussam dignoscendam, ac dirimendam: quandoquidem inter majores causas sint computanda Episcoporum judicia. *Si quid*, inquiens, *grave ei objectum fuerit, nostra erit expectanda censura, ut nihil prius de eo, qui ad sinum S. Romanæ Ecclesiæ confugit, ejusque implorat auxilium, decernatur, quam ab ejusdem Ecclesiæ auctoritate fuerit præceptum, quæ sic vices suas aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*. Digna est, quæ integra percurratur, epistola, ex qua fiet perspicuum tam vere, quam probe dictum a Cl. Thomassino vet., & novæ discipl.par.1. lib.1.cap.*6*, postquam diligenter, sepositoque a præjudicatis opinionibus animo perpendisset omnem, quam erga Galliarum Episcopos tum æquitatis,magnanimitatis,œconomiæque cumulatissimam tenuerat agendi rationem, dictum, inquam, quod uno, puroque quidem pacis amore se inflammatum prodidit Pontifex, nihil tamen eorum interea prætermisit, quæ sustentandæ auctoritati suæ prodessent: indubiumque plane esse Pon-

Pontificem libera, & immediata in omnibus Ecclesiæ tractibus uti jurisdictione posse. Ea ergo de re a Carolo Calvo suæ Aldricus restitutus est Ecclesiæ: a Gregorio vero ipso tum suomet Pallio, tum Pedo, sive baculo Pastorali donatus, uti legitur in ejus vita apud Baluzium tom. 3. Miscell. cap. 44.

Jam vero in ea incidimus tristia, & difficilia tempora, quibus ob nimium amorem, obnixumque studium propriæ defendendæ plus justo, æquoque juridictionis, Galliarum nonnulli Episcopi, Hincmaro Remensi duce, obedientiæ Pontifici Romano debitæ visi sunt defuisse, extraque limites juris excurrisse, intra quos tamen a Pontificibus constringi demum iidem tum libenter passi sunt, quum ad Pontificia jura divina institutione in totum, qua late patet, Orbem exercenda, oculos a præceptis opinionibus abstractos intendere valuerunt. Primam, uti videtur, dissidiorum, quæ Gallicanos Præsules concitatiores, ac paullo audaciores erga Summos Pontifices egerunt, originem fecit Wlfadi, & sociorum caussa. Pro cujus pleniori intelligentia adipiscenda prænoscere interest, quod Ebbo Remensis Antistes, tanquam conjurationis in Ludovicum Pium conscius, & particeps, & incentor præcipuus anno 853. loco dimotus, nec eidem restitutus a Gregorio IV., sicuti præfert ejusdem epistola ad Episcopos, & Orthodoxos fideles, quam ex Cod. S.Mariæ Laudunensis descriptam in collect. Conciliorum pseudo-epigraphis dubio procul adcensendam exinde potissimum ostendunt Sirmondus, Harduinus &c., quod Ludovicus sub Gregorio ab Imperio dejectus est, Ebbo vero post ipsius Ludovici regressum in locum suum dignitate Episcopali fuit detrusus, & a Sergio II. Gregorii successore laica dumtaxat communione donatus, Ebbo, inquam, gradu dejectus Wlfadum, Clericosque alios nihilosecius ordinare post dejectionem præsumpserat. Quamobrem Hincmarus ejus in eadem Remensi Sede successor, in Synodo Suessionensi II. anno 853. Wlfadum, sociosque Clericos gradibus suis deturbavit: quibus gestis, Synodi confirmationem efflagitavit a S.Leone IV., quam ideo, quod Wlfadus, sociique Apostolicam Sedem appellassent, denegavit Pontifex, jubens quinimo cum Hincmarum, tum ab ipso provocantes Clericos ad Synodum occurrere,

ad quam suum ipse Legatum, vice sua judicium retractandi gratia, direxerat, a qua si rursus Clerici illi appellarent, tum ipsis Romam accedendi facultas non interciperetur, ne Apostolicæ Sedis juri summo injuria ulla irrogaretur. Apud S. Leonem IV. subire certamen, judicioque experiri refugit vafri ingenii vir; atque Benedicto III. ejus successori obrepens, ab eodem Synodi confirmationem dolo, fraudeque obtinuit: quam tamen largiendo, eam cautionem prudens adnexuit Pontifex: *Si ita est, nostro ut scriptis Præsulatui intimasti, & gestorum serie demonstrasti, ratas eas quidem definitiones Apostolica fore auctoritate promulgamus*. Legendum prostat hoc Pontificis Rescriptum apud Sirmondum tom. 3. Concil. Galliæ, & Harduinum tom. 5. pag. 101. Sed & Synodi ejusdem Suessionensis II. decreta confirmari a S. Nicolao I. Hincmarus denuo obtinuit, sicuti liquet ex epistola ad Hincmarum, quam referunt Baronius ad ann. 863, & Harduinus præcit. tom. 5. pag. 326.

Verumtamen a Wlfado, ac sociis appellatione iterata pulsatus S.Nicolaus, Synodi Suessionensis actis diligenter expensis, robur omne detraxit; Hincmaro ingenii versatilis, & ad fallendum affabre compositi comperto, dira cuncta est comminatus, ac tertio Synodum Suessione congregari jussit, cui Hincmarus, & Wlfadus cum Sociis judicio se sisterent, ac siquidem ab Ebbone bona fide ad Ordines fuissent promoti, ut ad eorumdem functionem regredi permitterentur, rerumque gestarum accurata relatio Romam ad se transmitteretur. Habita est Synodus anno 866. ex septem Provinciarum Episcopis, quam nihil non sategit Hincmarus, ut Wlfado, sociisque infensam ageret, & & infestam. Sed Synodo ea salubrior, & satior agendi ratio visa est, ut Pontifici integrum causæ judicium reservaret, siquidem ad Pontificium Tribunal appellatione pertracta causa jam fuisset, ibique inchoata; ac significare interea hoc loco sibi propositum quam sollicitissime exsequi, quam ex ore Pontificis sententiam excepissent: quocirca in Synodica ad S. Nicolaum hisce reverentia, obsequioque refertissimis scripserunt verbis: *Quod pium, justumque sentitis, sentimus; quod decernitis, exsequimur; & quod deliberaveritis, eorum in omnibus congratulantes*

lantes restitutioni, efficaciter nos amplectendum fatemur. Et quia de recuperatione eorum a vestræ sapientiæ medela sumpsit exordium, oportet omnino, & aequum fore claret, totius ejusdem negotii summam præstantiæ vestræ consumari decretis. Quibus postquam se animo paratos, & comparatos ad Pontificis implenda præcepta egregie exhibuissent, sic pergunt. *Præterea præceptionibus vestris ex æquo operam dantes, sicut nobis de præsignatis fratribus apex sanctitudinis vestræ edocuit, sine contradictione perficere, eosque in suis Ordinibus restituere maturaremus, nisi privilegiis S. Romanæ Sedis... debita reverentia exhiberetur: quorum summa perfecta, & integra firmitas, ut claret, & justum est, in Apostolicæ Sedis reservata est arbitrio potestatis.* Huc provoco, ad hæc præclara animum a præconceptis opinionibus absolutum ii volo intendant, quibus in Provincialis Synodi potestate Ecclesiasticarum caussarum summam reponere tantopere arridet, quin insuper ad eamdem demum a Pontificio ipso tribunali caussarum ejusmodi definitiones regredi debere contendunt. Ad S. Nicolaum scripsit etiam Hincmarus, adimpleturum se, qua par esset, obedientia, pollicitus, quidquid hacce de caussa demum Pontifici decernere allubuisset. Rescribens vero Pontifex cum ad Synodi Episcopos, tum ad Hincmarum, utrisque culpæ vertit, huic quidem, quod Benedicti III decessoris sui Rescriptum fœde interpolare, intercidereque non fuisset veritus; quod fluxam gereret fidem, parumque æquum præferret erga Apostolicam Sedem animum, cui fraudem inferre quinimo cogitasset: illis autem, quod gestorum accuratam, ut oportebat, rationem, ac instrumentis probatam non reddidissent; atque Wlfadum, (cui pristinum gradum restituendum quidem affirmat, non ampliori tamen adaugendum), haud expectato Apostolicæ Sedis placito, Bituricensi Ecclesiæ præfecissent. Mandatis; & monitis Pontificiis morem gerendi gratia, Trecis in Synodum anno 867 iterum convenientes Episcopi accuratam gestorum in caussa Wlfadi, & sociorum relationem misere, rogantes, eorumque preces adjuvante Carolo Calvo, ut Wulfado locum, Pallii collatione, confirmare dignaretur. Quo vita functo, Hadrianus II eorum votis benigne adnuens,

nuens,

nuens, Wlfadum Pallii honore exornavit: exindeque nullum impofterum Wlfado, ac fociis negotium eft faceffitum.

Brevior ero nunc in retexenda hiftoria Rothadi Sueffionenfis Antiftitis, in quem commota ab eodem Hincmaro tempeftas, diffidia, quæ jam ei cum Pontifice intercedebant, magis, magisque incendit, inque caufsa fuit, cur exafperatiorem in fe Pontificis animum experiretur. Presbyterum quemdam impudicitiæ flagitio inquinatum Rothadus e gradu dejecerat; in quo manendi tamen ab Hincmaro Metropolitano, ad quem dejectus querelam detulerat, facta eft facultas. Tam irregulari judicio refragatus Rothadus Hincmari animum jam fibi averfum,& occafionem omnem avide venantem negotium eidem facefsendi, in fe concitavit adeo, ut coacta in Suburbio Sueffionenfi, (ficuti adnotarunt Natalis, & Pagius, non autem Silvanectenfi, ut vifum Baronio eft, & Sirmondo), Synodo anno 861, dignitate ipfe fuerit abdicatus; atque fubinde Piftenfi Synodo anno fequenti habitæ quominus intereffet, impeditus, ad incitas appellandi Romanum Pontificem fit redactus. Ad hæc Synodo altera in eodem Suburbio, eodemque anno indicta, ab Hincmaro in judicium bis, ac ter accerfitus refpondit mactus animo Rothadus poft appellatum Pontificem M. integrum fibi non efse judicium fubire Synodi: *Ad illam*, repetens, *fummam auctoritatem fine intermiffione appello, cui nullus poteft contradicere, quæ a D. N. Jefu Chrifto per Beatum Petrum Apoftolum tantum meruit Principatum*. Quibus Hincmarus magis in tranfverfum, rabiemque actus, appellatione flocci, naucique facta, defæviendi in Rothadum amplius induit animum, dignitateque deturbafse haud contentus, nifi & multam in eum crearet invidiam, multis eum afficeret injuriis, incommodifque affligeret, & ad malorum cumulum in carcerem eum conjiceret. Inflammatus his Pontificis indignatione commixtus zelus Hincmaro, verbis duriffimis ob violata Apoftolicæ Sedis jura objurgato, diftrictiffime injunxit, ut dies intra 30 Rothadum loco reftitueret, aut Romam adductum cum eo caufsam dicturus accederet: fin minus, fciret certiffime fe, non fecus ac Epifcopos ceteros eodem injuftitiæ, & inobedientiæ crimine involutos, fevera excommunicationis pœna plectendos. Minis

itaque

Itaque repetitis impetravit, ut quæ imperaverat, opere compa- rerent, ideft ut Rothadus carcere relaxatus Vermerienfis Synodi decreto ad Romanam fe compararet profectionem, in Romani confpectum Pontificis veniret, & poft eum pervenirent, qui eum accufaturi efsent. Retractata ergo Romana in Synodo Rothadi caufsa, Synodique Sueffionenfis actis refciffis, abfolutus eft Rothadus, dignufque pronunciatus, qui priftinam recuperaret Ecclefiam, quam reapfe recuperatam tranquillitate fumma ad obitum ufque retinuit, & rexit, ac Epifcopi nomine fubinde duabus interfuit Synodis Sueffionenfi III. anno 866, & Tricaffinæ anno 867, haud abfimilem ob Wlfadi, fociorumque caufsam celebratis. Qui de his edoceri uberius defideret, adeat S. Nicolaum I. in ferm. ex ambone habito ad Synodum Roman. anno 865, nec non in epiftolis roboris invictiffimi refertiffimis 39. ad Clerum, & Populum Roman., 40. ad Carolum Calvum Regem Francor.; 41. ad Hincmarum Remen.; 42. ad Epifcopos Galliar.; 43. ad Clerum, & Plebem Suefs.; & 44. ad Rothadum ipfum apud Harduinum tom. 5. Concil. pag. 583, & feqq., quibus hæc Rothadi cauffa digefta, conclufa, & definita eft. Præterea adiri poterunt, fi lubet, Annalifta Bertinianus Auctor coævus ad annum 861, qui de his luculenter egit; nec non Natalis Alexander hift. Ecclef. ad Sæcul. IX, & X. par. 2. differt. 6, a quo jure, & merito dignis, multifque vapulat præfatus Bertinianus Annalifta in Rothadum parum æquus nedum, fed qui erga optimum Pontificem animum præjudiciis occupatum prodit.

Experimento proprio edoctus Hincmarus didiciffet abftinere deinceps caute ab ingeminanda cum Pontifice pugna, cujus poteftatis graviffimo pondere femel, ac bis preffum fenferat fe fe, & comprefsum, fed ad illum potius, uti par erat, obedientia, & obfequio demerendum fe totum convertifset, neque enim, poftquam S. Nicolaum I. infenfum expertus fuifset, in offenfionem perinde Hadriani II. incurriffet. Age vero novi, quod Hincmaro cum Hadriano interceffit, negotii originem, procefsum, exitumque aperiamus. Hincmarus Laudunenfis cognominis Remenfis ex Sorore Nepos homo præceps, levis, ac imprudens, poftquam Caroli Calvi indignationem ob fimoniæ, & avaritiæ crimina in

fe

se concitasset, eaque propter multis probris, & conviciis primum a Rege proscissus, ac postmodum bonorum proscriptione fuisset mulctatus; atque ad hanc redimendam mulctam schedula Regi, & Episcopis oblata in Conventu Pistensi ad Apostolicam Sedem appellasset, Hincmari demum avunculi opera Regi reconciliatus est, oblato ei satisfactionis libello, quo suæ imprudentiæ petita venia Regem, ut se in gratiam reciperet, deprecabatur. Verum homo inconstans, & inconsultus paullopost de Regis injuriis conquestus apud Hadrianum II. P. M. Caroli Regis iram acrius in incendium accendit, indigne, acerbissimeque ferentem ad Apostolicam Sedem tamquam bonorum Ecclesiasticorum pervasorem traductum ignominiose se videre. Secundum Regis iracundiæ adjecit argumentum: nam Pauliacam Villam juris quidem Laudunensis Ecclesiæ, quam tamen Regis desiderio libenti animo permiserat, Nortmanno Comiti in beneficium concedendam, repetere voluit, eumdem veluti rerum Ecclesiasticarum usurpatorem apud Pontificem accusans, atque Rescriptum impetrans, quo sub pœna excommunicationis Pauliaca Villa se exuere deberet Nortmannus, eamque Ecclesiæ transdedere: quibus nec contentus, armatorum hominum manu Nortmannum aggressus a Villæ possessione depulit, bonis ejusdem omnibus desuper devastatis. Addidit & alia facinora: nam qua violentiis desæviens, qua censuras distringens, ex Clericis alios bonis exspoliavit, alios Ecclesiastico officio interdixit; nec modo diœcesi suæ obnoxios, sed etiam diœcesis alienæ: quos proinde suis in gradibus permanere Hincmarus Remensis decrevit.

Quæ quum ita se haberent, Vermeriensis Synodus anno 869. indicta est, in qua quum difficilem sibi exitum fore prænosceret Hincmarus Laudunesis, eò fraudulenter se recepit, ut ad Pontificem iterata appellatione provocaret; ad quem tamen accedendi facultas cum a Rege, tum a Synodo est denegata. Sequenti anno 870. in Synodo altera ex decem Provinciis Attiniaci congregata de rebellione in Regem, de contumacia in Metropolitam, de vi manifesta in Nortmannum Comitem, de injusta excommunicatione in Clericos delatus, dato libello supplici incumbentem sibi tempestatem nonnihil amovit. Verum paullo

post

poſt vir animo inconſtans fuga ſe Synodi judicio ſurripiens ab Electis Judicibus Eccleſiaſticis ad ſæculares provocavit, quos a Rege haud difficulter impetravit: id facinoris eo prætextu excuſans, quod ab Eccleſiaſticis non jure, & ratione, ſed vi, ac injuria ſecum ageretur; neque ſuæ ad Apoſtolicam Sedem appellationis ratio ulla haberetur. Ut ut eſſet vituperatione dignus, quique multo vapularet nomine Laudunenſis Antiſtes, honore & loco haberi nihiloſerius debebat ab eo appellata Sedes Apoſtolica: hinc Hadrianus II. acerbioribus litteris Carolum Calvum, & Hincmarum Remenſem perſtrinxit, quod Romam proficiſci appellantem Epiſcopum prohiberent: cui litteris immodeſtis, ſtiloque acerbiſſimo reſcribentes Rex, & Remenſis Antiſtes, etſi dubitationem movere de jure appellandi Apoſtolicam Sedem non auderenr, affirmabant tamen primam cauſsæ cognitionem ad Synodum Provinciæ de jure pertinere: affirmabant Regem haud teneri Epiſcopum licet appellantem libere Romam dimittere, ſi læſæ Majeſtatis crimine detineretur: affirmabant a conſenſu partium electis Judicibus provocari non licere; ac ſi appellationi locus eſset, a Romano Pontifice Judices delegari in partibus debere. Quum eo itaque loco res eſsent, indicta Duziacenſi Synodo anno 871, in ea Carolus Rex, & Hincmarus Remenſis adverſus homonymum Laudunenſem actores ſe præbuerunt, quem multorum, graviumque criminum convictum, ac Synodi judicium recuſantem, ſed Apoſtolicam Sedem iterum appellantem Synodus dignitate ſubmovit, ea tamen adjecta cautione: *Ut ſalvum eſſet per omnia Apoſtolicæ Sedis judicium*. Poſthæc Synodica ad Pontificem ſcripta eſt, totius negotii ſummam exhibens, obnixis precibus exporrectis, ut Pontifex a Synodo adverſus Hincmarum Laudunenſem decretis auctoritatis ſuæ robur adjicere, & Actardum Nannetenſem a Britonibus ab Eccleſia ſua ejectum Turonenſi admovere dignaretur. Poſtremum iſtud libenter indulſit Pontifex: at prius illud quam maxime improbavit, præcipiens quinimo depoſitum Epiſcopum Romam dimitti, & cum eo accuſatorem idoneum, cum cauſsæ inſtrumentis; prohibens inſuper, quouſque definita cauſsa eſset, alterum Eccleſiæ Laudunenſi præponi Epiſcopum. Hiſce Hadriani

lectis litteris, Episcopi, qui Duziacensi Synodo adfuerant, rescribentes auctores se fide sua dederunt ab Apostolicæ Sedi debita reverentia se non decessisse, appellationi Laudunensis Antistitis deferendo, modo illa frustratoria non fuisset, sacrisque Canonibus Sardicensis Concilii derogatoria, scilicet ad Synodi Provincialis judicium in prima instantia declinandum interjecta: ac proinde a Synodo prolatam sententiam, ea clausula fuisse consulto, bonaque fide communitam: *Reservato per omnia juris privilegio Domini, & Patris nostri Hadriani Apostolicæ, ac primæ Sedis Papæ: sicut Sardicenses Canones decreverunt, & ejusdem Apostolicæ Sedis Pontifices Innocentius, Bonifacius, Leo ex eisdem sacris Canonibus promulgarunt.*

Hæc illis sententia insita: id unum interea negabant primam caussæ cognitionem Metropolitano posse subtrahi, ac Provinciali Synodo, & desultoria appellatione Romanam ad Curiam evocari & devolvi: probatumque id iri putabant ex Canone 7. Sardicensi; ex S. Gregorio M. lib.5. epist.36, & lib.12. epist.13; atque ex Africanis Episcopis in Synodica ad S. Cælestinum I. Post hæc, quem Hadrianus loco excepit, Johannes VIII. cum ex actis Synodi, tum ex relatione Regis, (nam tum anno 875. Carolus Calvus Romam se contulerat Imperiali Diademate a Pontifice redimiendus), probe comperta sententiæ a Synodo latæ in Hincmarum æquitate, animoque advertens, quod Hincmarus plena licet Romam adeundi libertate tandem donatus, appellationem tamen interpositam prosequi neglexisset, quia scilicet conscientia scelerum certum ipsum condemnationis faciebat, Synodi confirmata sententia, Ecclesiæ Laudunensi alterum præfici Episcopum præcepit. Postremo ad conspectum Pontificis tum in Galliis agentis, & Synodum Tricassinam II. anno 878. celebrantis adductus infelix Antistes oblato libello calamitatum, quas fuisset perpessus, historiam exposuit, adjunctisque Episcoporum precibus, Pontificis animum ad misericordiam inflexit, qui a Censuris illum absolvit, Missæ celebrandæ licentiam indulsit, ad vitæ sustentationem insuper congiarium ex redditibus Ecclesiæ Laudunensis attribuit, dignitati tamen non redintegravit. Constant hæc omnia, quæ in summam heic contraxi, ex actis

actis Synodorum Vermeriensis, Attiniacensis, Duziacensis I, & Tricassinæ II. apud Sirmondum tom. 3. Concil. Gall., & Harduinum tom. 5. pag. 1211, & seqq., & tom. 6. pag. 199.; ex Hadriano II. in epist. 12. edit. Hard. ad Hincmarum Remen.; 28. ad Episcopos Synodi Duziac.; 13, 29, & 30. ad Carolum Calvum; ex Johanne VIII. in epist. 135. ad Hincmarum Remen.; ex Hincmaro Remensi in opusculo capit. 55, & in epistolis ad homonymum Laudun.; ex Flodoardo hist. Remens. lib. 3. cap. 21; ex Aimoini Contin. Monacho SanGerman. lib. 5. cap. 37; & Annalista Bertiniano ad annos 868, & seqq. Legendi etiam, si libet, Baronius ad eosdem annos, inter alia epistolam inhonestiorem ad Hadrianum II. Caroli Regis nomine ab Hincmaro exaratam, quæ ejus inter epistolas ordine 42. extat, multis exagitans; Ludovicus Cellotius in vita Hincmari Laudunensis a severiori Baronii censura Caroli Regis religionem erga Pontificem defendens; Christianus Lupus de Appellat. cap. 34; Natalis Alexander hist. Eccles. ad Sæcul. IX, & X. dissert. 8; & Pagius uterque, Senior in Crit. ad cit. annos; & Junior Brev. hist. crit. in Hadriano II. Hincmarum Remensem ceterum, quod interest, dum pacatum animum, atque a præceptis opinionibus abstractum circumferret, egregia de Pontificis Romani privilegiis sensisse, dixisse, scripsisse multis ex eo testimoniis allatis ostendit doctiss. Thomassinus vet., & nov. discipl. par. 1. lib. 1. cap. 4; quorum ego multa quoque congessi par. 1. tom. 2. art. 8. §. 1. pag. 335, & seqq. Huisce Hincmari appellationi finitima, affinisque fuit ea, quam Theutboldus Lingoniensis Episcopus ab Aureliano Lugdunensi Archiepiscopo sibi manus imponere renuente ad Stephanum V. interposuit: quatenus auctoritate summa sua Aurelianum cogeret ad inlatam sibi resarciendam injuriam: quamquam ex sententia, sicut optaverat, sibi res non successerit. De Gerberto Remensi Antistite, qui postea in Pontificatu dictus est Silvester II, quam ob caussam appellationis nomine Apostolicæ Sedis Tribunal & ipse adierit, legenda ejusdem epistola 23. ad Johannem XV. P. M. apud Duchesnium tom. 2. hist. Francor.; hæc enim obiter attigisse sufficit.

Gravissimum hocce, quod versavi hactenus argumentum,

concludam, definiamque celeberrima ex Anglia evocata S. Thomæ Cantuariensis appellatione, cui loco coronidis aliatum plurium indiculum subtexere habebo satius. Ergo S. Episcopus cum Henrico II. Angliæ Rege diuturnas, multasque simultates gessit, hisce de caussis cum eo commissus: 1, quod Cancellarii munere ultro citroque se abdicaverit: 2. quod injustam tributi exactionem interdixerit: 3. quod Episcoporum electiones protrahi, multoque ideo minus, ut vacantium Ecclesiarum redditibus diutius Rex frueretur, æquo perferre animo nequiret: 4. quod jurisdictionem Ecclesiasticam, cui vim inferre Rex moliebatur, pro virili parte defendere, locoque integram custodire non desineret, ac proinde Consuetudines Regias in Conventu Clarendunensi anno 1164. recensitas, & statutas observare invicta animi magnitudine detrectaret. Quibus de caussis quum Regis offensionem quammaximam incurrisset, sibi, Ecclesiæque ingentem imminere tempestatem prænoscens, ad eam, potiori, quo valeret modo, procul avertendam, ad Summum Pontificem Alexandrum III. datis gravissimis litteris anno 1163. appellavit. Præterea quum in generali Conventu Northamptonæ anno sequenti 1164. ab Henrico indicto Episcopi fere omnes ipsum ad Regis voluntatem inflectere studerent, & ad Consuetudines Clarendunenses ultro citroque recipiendas urgere non desisterent, minitantes alioqui ferendam in ipsum sententiam, iterata appellatione ad Sedem Apostolicam S. Præsul provocavit: *Vos*, inquiens, *Fratres, & Coepiscopi mei, quia magis homini, quam Deo obeditis, ad Domini Papæ audientiam, & judicium voco, & sic Catholicæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis auctoritate munitus hinc recedo*. Recessit reapse, indeque apud Ludovicum VII. Galliæ Regem se recepit: cujus Regis laude certe digna vox illa, in quam Henrici Angliæ Regis litteras legens, quibus ille petebat, ut Thomæ se infensum præberet, exiit: *Certe sicut Rex Anglorum, ita & ego Rex sum. Verumtamen minimum de Clericis Regni mei deponere ego non auderem*. S. Thomæ epistola incipiente *Ad audientiam tuam*, inter ejus epistolas lib. 1. n. 30, qua Sedis Apostolicæ in sui adjutorium judicium, opemque invocabat, accepta, Alexander III. præsentissimus accurrit, exertoque districtionis Ecclesiasticæ

siasticæ gladio sententiam in Conventu Northamptonensi adversus S. Antistitem ejaculatam robore omni vacuam edixit: petentibus vero Regis Oratoribus, ut Legatos vice sua in Angliam mitteret, & illuc etiam remitteret Archiepiscopum Cantuariensem ab ipsis ibidem judicandum, respondit Legatos ab se quidem mittendos, Antistitem vero non remittendum utique ab inimicis judicandum, sed eum non alibi, nisi apud Apostolicam Sedem, judicio experiturum. Interea loci S. Præsul Senonas, ubi tum degebat Pontifex, se conferens, ibique Pontifice coram postquam consuetudines Clarendunæ conscriptas exposuisset, paratumque se dignitate abdicare exhibuisset, passus id nequaquam est Pontifex, sed imo pravis illis consuetudinibus in perniciem Ecclesiasticæ libertatis vergentibus dica infamiæ conscripta, ac præsertim Articulo 8, quo in caussis appellationum perversus hic ordo statuebatur, ut ab Archidiacono procederetur ad Episcopum, ab Episcopo ad Archiepiscopum; postremo vero ab hoc ad Regem perveniretur, neque ulterius provocaretur absque Regis assensu: quo pacto appellationes ad Sedem Apostolicam prohibebantur; Articulo hoc, inquam, diris cunctis devoto, S. Præsulem in gradu suo permanere jussit, eumque quin etiam legatione Apostolica per totam Angliam induit, & adauxit: qui actutum Apostolica auctoritate communitus consuetudines Clarendunenses damnavit, inque omnes earumdem sive observatores, sive exactores anathema distrinxit.

Quo anathemate territus, magisque incitatus ad iram Henricus Rex apud Chinonium Provinciæ Turonensis Oppidum, indicto anno 1167. Episcoporum Conventu, rogatoque consilio de modo occurrendi censurarum ictibus a S. Thoma incumbentibus, in eam unanimiter itum sententiam est: *Ad summum Pontificem esse appellandum*. Appellatum est ergo, atque ita Rex, qui ab appellationibus quammaxime abhorrebat, quasque antiquare, latisque legibus abrogare tentabat, appellare ipsemet indiguit. Quamquam autem hujusmodi appellationem jure nullam, & inanem, nec Regi suffragari ea ratione, quod frustra Ecclesiæ patrocinium quærit, qui Ecclesiæ jura, & libertatem infringit, & lacessit, litteris ad universum Angliæ Clerum datis S. An-

S. Antistes denuntiaverit; nihilosecius acceptis Regiis appellationis litteris, ejusque Oratoribus auditis Alexander III. Legatos in Angliam pacis Regem inter, & S. Archipræsulem componendæ gratia direxit, qui S. Thomæ prohiberent, quo minus censuras in Regem, aut in Regnum distringeret, donec Apostolica Sedes adiretur. Pacis re infecta Romam Legatis regressis, Romam novos Legatos misit Henricus petituros, ut S. Thomas ad alteram transferretur Ecclesiam: qua petitione explosa, Legatos alios perinde in Angliam remisit Pontifex anno 1169. viam pacis iterum tentandam, Gratianum nempe Eugenii III. Nepotem, & Vivianum S. Romanæ Ecclesiæ Advocatum; apud quos in querelas adversus Pontificem extemplo Henricus effusus, immodestas imo in minas egressus a Gratiano Legatorum altero honestum quidem, sed intrepidum hoc accepit responsum. *Domine noli minari: Nos enim nullas minas timemus; quia de tali Curia sumus, quæ consuevit imperare Imperatoribus, & Regibus*. Sed pace infecta pariter, ideo quod pacis conditionibus hinc Rex hancce apponi clausulam vellet: *Salva dignitate Regni*; illinc Legati, & S. Thomas illam potius apponendam mallent: *Salvo honore Dei*: aut *Salva libertate Ecclesiæ*, in viam suam regressi Legati sunt; Rex vero in furorem actus Edictum Ecclesiæ libertati, ac juribus injuriosum æque, atque incommodum emisit. Posthæc, quum Filium cognominem Regem inaugurari a Rogero Archiepiscopo Eboracensi jussisset; idque officii præstare tum Eboracensi, tum Episcopis ceteris sub ordinis, & officii periculo Pontifex prohibuisset, tunc Henricus subditos omnes jurisjurandi religione obstrinxit ad obedientiam Romani Pontificis ejurandam: quo sacramento Eboracensem, aliosque Episcopos demum adegit in sententiam, votumque suum de Filio in Regem inaugurando. Horum facinorum adeo in potestatis Ecclesiasticæ dedecus vergentium certior factus Pontifex, gravibusque litteris cum a Ludovico Francorum Rege, tum a Clero Gallicano excitatus ad Petri gladium de vagina tandem educendum, Episcopos illos equidem lata sententia loco detrusit, ad Henricum autem litteris comminatoriis datis indixit, ut ad pacis consilia se componeret, sin autem, eamdem ab Apostolica Sede

Sede expectaret sententiam, quam Fridericus Imperator fuerat expertus. Quibus perterritus Rex, & ad pacis exhortationem inflexus, acceptis conditionibus a Legatis propositis, bonis omnibus Ecclesiæ restitutis, nulla consuetudinum Clerendunensium ratione habita, S.Thomæ reconciliatus est: qui in Angliam reversus non multo post, idest anno 1170. illustri Martirio affectus est. S. Archiepiscopi neci nec mandato, nec consilio, nec assensu cooperatum se fuisse Henricus in frequenti Episcoporum Cœtu apud Abrincas in Normannia coram Legatis Alexandri III, ac præsente Filio Henrico III. sub jurisjurandi sacramento affirmavit: confessus tamen verbis nonnullis iracundiæ, & doloris se occasionem dedisse facinori, propterea se paratum exhibuit ad pœnitentiam omnem, quæ sibi a Legatis imponeretur, humiliter implendam. Hæc vero illi imposita. Ut Consuetudines Clarendunenses penitus aboleret, proculque abigeret: Ut Milites ducentos in Palæstina per integrum annum suis aleret sumptibus: Ut Ecclesiæ Cantuariensi ablata bona omnia restitueret: Ut Exercitum in Hispaniam adversus Infideles deduceret ad Pontificis nutum. Ad hæc jejunia, eleemosynæ, preces, aliaque pietatis opera injuncta: quæ ad unum omnia se adimpleturum pollicitus, habitu pœnitentis indutus, veniamque præ foribus Ecclesiæ postulans, a Legatis tandem est absolutus.

Hæc omnia constant ex Codice Vaticano in caussa S. Thomæ Cantuar. a Baronio relato ad annum 1172; ex historia quaripartita, idest ex vita S. Thomæ a quatuor Scriptoribus descripta Johanne Sarisberiensi, Heriberto de Bosaham, Willelmo Cantuariensi, & Alano Abbate Deobesberiensi apud Christianum Lupum tom.10. operum edit. Venetæ 1727; ex Matthæo Parisio; ex Rogerio Hovedeno ad cit. annos; ex Rodulfo de Diceto in Imagin. histor. auctore coævo; & Gervasio Dorobernensi in Chron. ad eosdem annos. Præter hos autem, pluresque alios nuperos Baronium, & Pagium ad præcit. annos; Christianum Lupum de Appellat. cap. 5, & seqq., atque in vita, & epistolis S. Thomæ; Natalem Alex. hist.Eccles. ad Sæcul. XI, & XII. dissert. 10; Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1603, & seqq.; Ludovicum Du-Mesnil doctr., & discipl. Eccles. lib. 50. n. 5, & seqq. &c.,

&c., adeundi, qui hujus dissidii occasione accepta egregie de Pontificis Romani potestate, divinisque prærogativis egere, disseruere, scripsere, Alexander III. P. M. imprimis apud Harduinum tom. 6. par. 2. a pag. 1380. in epist. ad S. Thomam post Conventum Northamptonensem, aliisque pluribus, veluti 5, 7, 8, 9, 11, 14, 15, 16, 18, 23, 25, 31, 37, & 40. ad eumdem Antistitem; 10, 19, 26, 27, 29, 30, & 41. ad Henricum II. Angliæ Regem; 6, 17, 28, & in append. 2. epist. 19. ad Angliæ Episcopos; 12, 13, & 35. ad Gilbertum Londoniensem; 20, & in append. 2. epist. 70. ad Ludovicum VII. Francor. Regem; 21, 22, 24, 36, & in append. 3. epist. 19. ad. Willelmum, & Odonem Legatos suos; 33, 34, & 38. ad Rogerium Eboracensem; 39. ad Episcopos Senon., & Rotomag.; & 42. ad Archiep. Bitiricensem, & Episcop. Nivernensem: quibus jungendæ epistolæ 1, & 2. Episcoporum Suffraganeorum ad S. Thomam, & Alexandrum III. apud Harduinum tom. eodem pag. 1619, & seqq., nec non epistola Alberti, & Theodini Legatorum Alexandri III ad Gillebertum Ravennatensem Archiep., cum adjecta charta absolutionis Henrici; adnexisque decretis 13. apud Abrincas a Legatis editis ibidem pag. 1632, & seqq. S. Thomas ipsemet in epistolis a Cl. Lupo editis, ac potissimum lib. 1. epist. 30; lib. 2. epist. 30, 43, & 47; lib. 3. epist. 75; & lib. 5. epist. 45, 52, & 73. ad Alexandrum III. P. M.; lib. 1. epist. 97, & 98. ad Episcopos Angliæ; 122. ad Gilbertum London.; & 127. ad Clerum omnem Angliæ; lib. 3. epist. 61. ad. Willelmum Senon., & 79. ad Humbaldum Hostiensem; lib. 4. epist. 47. ad omnes Fideles Angliæ; & lib. 5. epist. 51. ad Hyacinthum Cardinalem. Philippus Flandriæ Comes lib. 3. epist. 96. ad Alexandrum III. in eadem edit. Lupi; Ludovicus VII. Galliar. Rex lib. 2. epist. 59. ad eumdem Pontificem; Mathildis Imperatrix lib. 2. epist. 42. ad S. Thomam. Anonymus amicus lib. 3. epist. 6. ad S. Thomam. Johannes Sarisberiensis lib. 1. epist. 24. ad S. Thomam; 140, & lib. 2. epist. 63. ad Bartholomæum Exoniensem; lib. 2. epist. 60, & 103. ad Alexandrum III; & 89. ad Willelmum Suppriorem Cantiæ; & lib. 3. epist. 19. ad Conventum Cantuariensem. Arnulphus Lexoviensis lib. 1. epist. 85. ad S. Thomam. Willelmus Magister lib. 3. epist.

epist. 41. ad eumdem. Johannes Pictaviensis lib. 1. epist. 25. ad eumdem S. Præsulem. Willelmus Senonensis lib. 3. epist. 78, & 88, & lib. 5. epist. 82. ad Alexandrum P. M. Petrus Abbas S. Remigii lib. 2. epist. 100. ad eumdem Pontificem. Rothrodus Rotomag. lib. 5. epist. 16. ad S. Thomam. Willelmus Carnotensis lib. 2. epist. 74. ad Alexandrum III. Mauritius Parisiensis lib. 3. epist. 28, & 86, & lib. 4. epist. 37. ad prælaud. Pontificem. Plerosque alios prætermitto, ne præter modum prolixior sim. Confert postremo ad hæc confirmanda quammaxime S. Anselmi in Ecclesia Cantuariensi decessoris eximia magnanimitas, qua Willelmo II. Regi Angliæ imperanti, quatenus jurejurando sponderet ab se nunqum pro quavis caussa Apostolicam Sedem appellatione pulsandam, respondit in hæc. *Dico hujusmodi jussionem tuam, qui Christianus es, omnimodis esse non debere: hoc enim jurare, B. Petrum est abjurare: qui autem B. Petrum abjurat, Christum, qui eum super Ecclesiam suam Principem fecit, indubitanter abjurat.*

Præter hactenus enumerata, horum similium appellationum exempla longe plura ex historia Ecclesiastica suppeterent, quæ velle omnia prorsus oratione complecti nec facile factu, nec si fieret, potius quam ad saporem faceret, provocaret fastidium. Quo circa satius habeam brevem velut elenchum heic subtexere eorum, quæ præ aliis illustriori loco haberi debeant: in quibus speciali observatu dignæ evadunt appellationes S. Heimeramni incerti loci in Aquitania Episcopi, & Avarorum in Pannonia Apostoli, qui probro falso accusatus ad Pontificem, qui tum S. Martinus I. audiebat, provocavit, cujusque in Ecclesia Primatum egregiis laudibus prædicavit apud Surium ad diem 22. Septembris tom. 5, & Baronium Tom. 8. ad annum 702. n. 4, & seqq., & in append. ad Tom. 6. Petri Gradensis, qui adversus conatus Dominici Olivolensis Episcopi Johannis VIII. opem, appellatione interposita, implorare compulsus est: de qua legenda Johannis epistola 7. ad Ursum Ducem Venetiarum apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 6. Ratherii Veronensis, qui injuriis appetitus ad Johannem XIII. appellans, ipsius comperta innocentia, absolutus est: de eo abunde jam dictum par. 1. Vind. Art. VIII.

§. 1. pag. 338, & seq. Theobaldi Ambianensis Ecclesiæ invasoris, qui Apostolicam Sedem appellaverat, sed conscientia impeditus adire pertimuerat; atque in Synodis Trevirensi anno 949, & Remensi anno 975, Legatis Apostolicis Præsidentibus, anathemate perculsus est. Lamberti Ecclesiæ Tervanensis in Gallia pervasoris, qui ab Hugone Lugdunensi in Meldensi Synodo gradu depulsus, Romam profectus, jurejurando interposito a S. Gregorio VII. absolutionem elicuit: a quo tamen deinde lata a suo Legato in illum depositionis sententia confirmata est. Legendæ lib. 9. epist. 30, 32, & 34. Ivonis Carnotensis, qui a Richerio Senonensi Metropolita in Synodo Stampensi anno 1091. injuriam passus, quatenus fuerat gradu detrusus, ad Urbanum II. provocavit, a quo suo in loco perinde est confirmatus. Legenda ejusdem epistola 12. ad prælaudatum Pontificem, qua rei totius seriem texit, significatque ab animo quidem sibi infenso non decedisse Richerium, Synodique Stampensis Episcopos, audito tamen appellationis nomine, ab intentanda, noveque urgenda injuria, ulteriorique inferenda noxa destitisse. Qui Ivoni in Ecclesia Carnotensi præcesserat, Gotfridus simoniæ postulatus, & ab Hugone Diensi in Galliis Legato dignitate exspoliatus, ad S. Gregorium VII. appellans, & apud eumdem sacramento se expurgans, ad suam regredi Ecclesiam a Pontifice fuerat benigne permissus: sed flagitiis, quæ S. Gregorium præterierant, factus ubique infamis, damnatus fuit subinde, suæque damnationi ipsemet adquiescens, dignitate se ultro abdicavit. Adeundus, qui uberius hæc persequitur, Christianus Lupus de Appellat. cap. 41. Norigaudi Æduensis Episcopi, quem simoniæ convictum in Synodo Valentina anno 1100, ac Legatis Pontificiis Præsidentibus, condemnatum ad Pontificem appellasse; sed in Synodo Pictaviensi eodem anno Legatis permittentibus, instaurato examine, & judicio, confirmata sententia dignitate fuisse depositum refert Hugo Flaviniacensis in Chronico, & ex ipso Harduinus Tom. 6. par. 2. pag. 1854, & seqq.

Indicandæ insuper, obiterque saltem succurrunt appellationes Godifredi Florentini Antistitis a Clericis nonnullis calumniis appetiti, cujus ad consulendum famæ, quietique præsentissimum

ſimum invocatus ſe dedit Paſchalis II, litteris inſcriptis ad Clerum, & Populum Florent. legendis apud Ughellum tom.3. Italiæ ſacræ, & Harduinum tom. 6. par. 2. pag.1837. Daimberti Hieroſolymorum Antiſtitis, Balduini Regis opera gradu dejecti, a quo de injuria pulſatus legitur idem Paſchalis II. apud Guillelmum Tyrium Belli ſacri lib. 11. cap.14. S. Godefridi Ambianenſis, quem a Monachis S. Uvalerici ab eo ſe immunes jactantibus ad Paſchalis II. judicium provocatum, eidem præſentiſſimum ſe dediſſe, potioremque cauſsa apud Pontificem evaſiſſe perhibet Nicolaus Monachus Sueſſionenſis in ejus vita apud Surium ad diem 8. Novembris. S. Hildeberti Cenomanenſis a Willelmo II. Angliæ Rege dire vexati, ipſomet teſte in epiſtola 20 ad Paſchalem II. deſcripta ab Alfordo ad annum 1097. n.30, a quo ad atroces redimendas injurias Pontificem invocaturo Romanam profectionem adornatam refert Anonymus ſcriptor de geſt. Epiſcop. Cenoman., atque probavit Ivo Carnot. epiſt. 74. Huberti Silvanectenſis de ſimonia a Clericis ſuis ad Remenſem Metropolitam delati, ab eoque depoſiti, cujus propterea ad ſe appellantis cauſsam a Paſchali II. Richardo Albanenſi ſuo in Galliis Legato commiſſam, & in Synodo Trecenſi anno 1104. diſcuſſam, nec definitam, ut Pontifex ad ſuum Tribunal retraheret, ac perſemet finiret, uti reapſe fecit, obnixe ab Ivone Carnot. rogatus fuit. Willelmi, & Henrici de jure in Eccleſiam Eboracenſem aquiſito contendentium, quorum per appellationem ad ſe devolutam cauſsam diremit tandem Eugenius III, Henrico eamdem adjudicans. S.Willelmo tamen falſa eorum, qui apud ſe fide haud laborarent, inſinuatione deceptum S. Bernardum parum æquum ſe præbuiſſe, quod liquet ex ipſius epiſtolis 234. ad Cæleſtinum II, & 235. ad Cardinales, adnotarunt Baronius in append. ad annum 1140, & Alfordus in Annal. Anglican. ad annum 1145. Septennio poſt fatis functo Henrico, S. Willelmum Apoſtolica Sede adita, ab Anaſtaſio IV. Pallio inſigniri, Eccleſiæque Eboracenſi reſtitui promeruiſſe refert Guillelmus Litle Neubrigenſis auctor æqualis lib. 1. rerum Anglic. cap. 26.

Illuſtri loco perinde haberi poſſunt appellationes Adalberti Saltzburgenſis, qui in Comitiis Ratiſponenſibus anno 1174.

 gradu

gradu depulsus, propterea quod Alexandri III. partibus addictissimus esset, Pontificis, quem de injuria postulaverat, decreto suam dignitatem recuperavit, a qua subinde remotus anno 1177, in eamdem denuo anno 1183. est restitutus. Alexandri litteras hac de re datas ad Adalbertum, ad Conradum Mogunt., & Capitulum Saltzburg. refert Chronographus Reicherspergensis adeundus ad cit. annos. Johannis cognomento Scoti, & Hugonis, qui de Archiepiscopatu SantAndreano in Scotia utrinque contendentes, utrinquesecus ad Alexandrum III, & subinde ad Lucium III. appellarunt: utrique vero dignitas est abdicata : sed deinde Hugoni a Lucio confirmatus est locus; & Johannes Duncheldensis Episcopus creatus. Confer Baronium ad annos 1180. n. 4, 1182. n. 3, & 1183. n. 1. S. Alberti Leodiensis, quem ad se appellantem, & accedentem benigne complexus Cælestinus III, Ecclesiæ suæ, unde fuerat expulsus, quam tamen adire nequivit, Remis martyrio affectus, de quo Martyrologium Romanum die 21. Novembris. Hugonis Dunelmensis, quem una cum aliis a Gaufrido Eboracensi excommunicatione devinctum, & ab Episcopatu dejectum, atque ad se appellantem Cælestinus III. absolvit, & dignitati restituit; uti liquet ex ejusdem litteris ad Episcopos Lincolniensem, & Roffensem apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1912. In Eboracensem e contra districtissime idem Pontifex animadvertit, ideo quod appellatæ Sedis Apostolicæ nullam rationem habuisset, ideoque quod insuper, postquam ipsemet ad Pontificem a Judicibus delegatis provocasset, Pontificio tamen Tribunali condicta die non se stitisset. Legendæ ejusdem epistolæ 5, & 13. ad Episcopum Lincolniensem, 6. ad Decanum, & Archidiaconos Lincoln. Ecclesiæ, 11, & 12. ad Decanum, & Clericos Eborac. apud Harduinum præcit. tom. pag. 1915, & seqq., quibus jungenda acta Concilii Eboracensis apud Rogerium Hovedenum ad annum 1195. Germani Græcorum in Cypro Archiepiscopi adversus Nicosiensem Latinis eodem nomine præpositum apud Alexandrum IV. postulantis, de quo legenda ejusdem Pontificis constitutio Cypria. Denique Hugonem Geraldum Cadurcensem Episcopum Romanas appellationes contemptui habentem a Johanne XXII. gradu propterea deturbatum pluribus refert Ray-

Raynaldus ad annum 1317. n. 54. Qui horum similium pleraque alia prosequuntur exempla, legito, si placet, Christianum Lupum, Angelum Petricam, & Michaelem Rousellum hist. Pontif. jurisd. lib. 2. cap. 3.

Ex jure appellandi ad Romanum Pontificem etiam Cleri inferioris, etiam in prima instantia.

§. II.

PRincipii, & fundamenti loco, quem posui, ut Episcoporum subinde appellationes eidem secure superstruerem, Pontificis Romani Primatui incumbere peræque, & inniti Cleri inferioris appellandi jus ad eumdem Pontificem, omnique prorsus omisso medio; quæque pro Episcopis operæ pretium fecerunt, eadem pro Clericis argumento perinde, & documento esse posse ad ostendendum parem utrorumque hac in re conditionem juris esse, & rationis, probe nemo non perspicit. Nisi quod non desunt, qui pro ingenio præpostero metiendi res non ex ratiocinatione, ut oportet, sed ex suggestione, etsi Episcoporum appellationes valere ad Apostolicam Sedem non admodum inviti ferant, non ita valere Clericorum faciles concedunt: contra quos propterea juvabit procedere, non quidem ratione, & auctoritate, quod jam desuper, & abunde, opinor, abs me præstitum est, sed facto, & exemplo; demonstrare idest præstabit ex perenni in Ecclesia usu recepto, retentoque, quem ex divina institutione descendere, & in Patrum traditione locum habere nemo ambiget, qui ad hactenus disputata sincero animo, expeditoque intenderit, demonstrare, inquam, appellandi ad Pontificem istiusmodi facultatem non tam Episcoporum propriam esse, & peculiarem, quam Clericis factam communem, & vulgarem. Atque quidem facultatis hujusmodi quid, obsecro, sunt, quam species expressa, & pulcherrima, frequentissima appellantium Clericorum exempla in Ecclesia sive Orientali, sive Occidentali, ut Marcionis, & Eutychetis; ut Felicissimi, & Fortunati; ut Pelagii, & Cælestii; ut Wulfadi, & Sociorum, de quibus ut §. super. dicerem, rerum,

ac

ac temporum ratio deposcebat? Post quæ nunc per me jam primum sibi vindicabit locum celeberrimum illud Appiarii Presbyteri Africani, de quo tanta Africanos Præsules inter, ac Romanos Pontifices exarsit controversia, tantoque invicem contendentium animorum æstu ab Eruditis in utramque disputatur partem, quamque præ aliis in gratiam Pontificum egregie, ut par erat, juxta morem persolvit Clariss. Orsius Hist. Eccles. lib. 27. num. 35., & seqq.

Is itaque ex flagitiis multis fœdissimus, quæ in litteris ad S. Bonifacium I. ab Episcopis Africanis fuse exponuntur, ab Urbano Siccensi Episcopo gradu, & communione submotus ad Apostolicam Sedem provocaverat, impetraveratque a S. Zosimo P. M., apud quem vice repensa multo nomine Urbanum accusaverat, tum litteras, quibus in pristinum officii gradum, sacrorumque consortium reponi jubebatur, tum Legatum, a quo Pontificis jussio executioni demandaretur, atque in Urbani mores, vitamque districta inquisitio institueretur. Actum in Synodo VI. Africana ad id Carthagine ex 217. Episcopis anno 419. coadunata de Appellationibus ad Sedem Apostolicam: vexatus contrarius usus Africanæ Ecclesiæ ab appellationibus maximopere abhorrentis: disceptatum de Canonibus Sardicensibus, quos Nicænorum nomine Pontifex recensuerat, Nicænis vero adnumerandos Africani abnuebant, siquidem in Codice Africanæ Ecclesiæ descriptos inter Nicænos non deprehendissent. Restitutus interea loco suo Appiarius, donec ex Oriente, quò de veritate Canonum sciscitandos miserant Alexandrinum, Constantinopolitanum, & Antiochenum Antistites, controversiæ lux affulgeret, ea tamen adjecta lege, ut e Siccensi, vitandi scandali caussa, ad Thabracensem Ecclesiam commigraret: quorum omnium ab se factum certiorem Pontificem referunt in Synodica præcit. ad S. Bonifacium. Atqui & istam Appiarius scandalis adeo affecit, ut iterato anathemate confodiendum, exindeque amovendum duxerint Africani Præsules. Cujusmodi sententiæ ut se subduceret, ad Apostolicam Sedem appellationem instauravit. Itaque apud S. Cælestinum, quem loco exceperat S. Zosimus, tantopere dixit, egitque, donec Ecclesiastica communione

ne ceu innocens cohonestaretur non modo, sed litteras, & Legatum impetraret ad Africanos, quibus imperabatur, ut suus ei locus, cujus veniam Pontifex fecerat, integer remaneret. At quamvis Appiarii restitutionem vehementer urgeret Faustinus Legatus, obfirmata fronte ipsum restituere detrectarunt Africani, qui imo numero 18, aut forte 23. in Synodo VII. anno 419, quæ Baronio, & Perronio visa est non utique Synodus distincta, sed ejusdem Synodi VI. actio dumtaxat altera, congregati, (cuique Synodo desideratus est cum SS. Alipio, & Possidio S. Augustinus, iccirco ab ea consulto se abstinens, ne, veluti conjicit doctiss. Orsius, ejusmodi cum Apostolica Sede concertationi se se committeret, commisceretque), Synodica, ad S. Cælestinum conscripta obtestati sunt, & obsecrarunt, ne ab se excommunicatos in communionem ipse reciperet: ne Clericis appellantibus faciles, pronasque præberet aures: neve de latere suo Legatos in Africam latas Romæ sententias exequuturos dirigeret: quia videlicet hisce de rebus Nicæna Synodus nihil haberet.

Hæc celeberrimæ controversiæ summa, cujus veritas luce clarius liquet ex prælaudatis litteris Synodicis ad SS. Bonifacium, & Cælestinum, atque ex actis Synodi VI, & VII Carthaginensis, in ordine Synodorum sub Aurelio habitarum XVII, & XVIII., ex quibus duo concludi, & definiri licet. 1. Africanos Præsules principio necessitati incumbenti parendi Romano Pontifici se demisisse, moremque gessisse: ut adparet ex Synodo VI, & Synodica ad S. Bonifacium, ex quibus disputans adversus Zachariam Chalcedonensem in Synodo VIII. act. 6. hinc ansam creandi Pontificibus invidiam arripientem Metrophanes Smyrnensis recte in rem suam, & nostram arguebat: *Invenitur igitur Africana Synodus paruisse potius judicio Zosimi Papæ Romani; ac per hoc propriam reprobasse sententiam, & justificasse Appiarium, non restitisse voto Romanorum Pontificum*. Hinc viris doctissimis Baronio, Perronio, Norisio, Sommierio, Thomassino &c. certum, constansque evasit ab Africanis jus appellandi ad Pontificem nunquam fuisse denegatum, sed de modo ejusdem prosequendi juris dumtaxat, exercendique disputatum: unde

unde Aurelius Carthag. Faustino pro eodem Pontificis jure, tanquam pro aris focisque, pugnanti in hæc officii refertissima legitur respondisse verba, responsumque Synodi VI. totius calculo comprobatum cap. 5. *Præter ista, quæ promisimus actis, necesse est, ut etiam nostræ parvitatis litteris Sancto Fratri, & Consacerdoti nostro Bonifacio singula, quæ tractamus, plenissime intimemus.* Quibus lux accedet non modica ex dictis super. §., ubi quæ Africanæ Ecclesiæ intima inhæreret de Romani Pontificis summa potestate, sententia luculenter exposita est. 2. Africanos Episcopos, postquam a S. Cyrillo Alexandrino, & Attico Constantinoplit. Nicænorum Canonum exemplaria recepissent, nec Canones a S. Zosimo recensitos in eis reperissent, exinde occasionem arripuisse insurgendi audacius in Pontificem, jusque prætensum appellationum impetendi: quo pacto duplicem prolapsos in errorem turpiter se se prodiderunt; tum quod minori erga Sardicenses, quam Nicænos Canones, quorum attamen par auctoritas erat, se affectos reverentia, seu verius Canonum Sardicensium fœda laborare ignorantia commonstrarunt, quinimo aut rectam Nicænorum intelligentiam se minime assequutos, aut eosdem aliorsum, sinistrumque prorsus in sensum fuisse de industria ab se inflexos, dum scilicet in Synodica ad S. Cælestinum affirmare non dubitarunt sancitum in Nicæna Synodo, ne vel a Pontifice cujuslibet aut laici, aut Clerici, aut Episcopi admittatur appellatio, aut ab Episcopis excommunicatus suam in communionem introduceretur: at enim ibidem ne γρυ quidem, aut leve vestigium legitur, oppositum quinimo ex Nicæno, ut alibi ostendimus, eruere fas erat, & facile: turbato igitur per iracondiam mentis oculo Aurelius, & cum eo assidentes Præsules alii in Nicænis Canonibus, quæ revera extabant, videre non poterant, videre vero, quorum non extabat nequidem vola, putaverant: tum quod ullo absque respectu ad Nicænos Canones habito, traditione in Ecclesia religiose retenta edocti Pontificem Romanum ratione Primatus appellandi fas affore ignorare nequibant, ideoque Pontifici assurgere, seque obedientia demittere debebant: ob idque jure, ac merito a Faustino Legato duris sunt objurgati, quod Pontificis obsequio, ut par erat, defuissent,

ſent, neque ab Appiarii reparatione a SS. Zoſimo, & Bonifacio procurata retractanda abſtinuiſſent. Pejus peccaverunt Romano Pontifici ſubducere ſe tentando, cui ratione generali Primatis nedum, ſed ſpeciali ſaltem Patriarchæ Africa erat obnoxia; ad quem proinde appellandi facultas gravi abſque injuria nemini prætextu nullo poterat interdici. Quibus de cauſſis multiplicem in errorem lapſos Africanos luculenter vexat, & exagitat Marcus Antonius Capellus Ord.Minor. in opuſc. de Roman. Afror. appellat., oppoſitam deſuper oſtendens S. Auguſtini doctrinam, veterem quoque Africanæ Eccleſiæ traditionem, idque ipſum perſuaſum imo Donatiſtis.

Quamquam ego difficilis haud repugnabo, ſi quis hanc Africanorum Præſulum agendi rationem æqui, bonique facere malit, exiſtimareque præpoſteras dumtaxat, feſtinatas, indebitas, deſultorias, fraude, doloque factas, inque Eccleſiæ perniciem vergentes apppellationes, tantumque ad judicia Epiſcoporum illudenda, evadendaque adinventas ab ejſdem exploſas. Atque ita quidem putare ſit pronum exinde, quod quandoquidem S. Innocentius I., ad eorumdem frequentiora itinera cohibenda, quibus ad Imperatoris quammaxime aulam immigrare arridebat, Africanis Epiſcopis, quominus itineri tranſmarino ſe facile committerent, diſtricte interdixerat, facile proinde fieri potuit, ut hinc iidem Antiſtites animum induerint profectiones, appellationeſque ad tranſmarina Tribunalia inferioribus ſaltem Clericis non permittendi; uti conjecturam capere licet ex Codice Afric. Eccleſ. Canon. 28, & 125, & Conciliis Carthag.V. Can.*66*. relato Cap. *Clericus* 11. q.3, & Carthaginenſi anno 418. celebrato, ac tributo Milevitano II. Can. 22, recenſitoque Cap. *Placuit* 2. q. *6*; nempe ne inferioribus Clericis ea facile, ac frequens libido ſuccurreret ſe ſe longioribus ultra modum, & neceſſitatem committendi itineribus. Ut ut autem iſta ſe habeant, Marcus Antonius Capellus loco indic. difficultatis omnis nodum uno ictu decidere cogitavit, dicendo tum Synodum VI. Carthaginenſem, tum Synodicas ad SS. Bonifacium, & Cæleſtinum, nec non acta omnia, quæ circa Appiarii cauſsam circumferuntur, pura, putaque eſse figmenta. Vim facit in eo 1., quod acta Sy-

nodi VI. inducant Legatos Pontificis instantes apud Africanos, quatenus Clericos ab Episcopo proprio damnatos adire propinquos Episcopos permitterent, antequam ad Provinciæ Synodum appellerent: quando hoc ipsum, inquit, in Synodo Milevitana II. Can.22. decretum jam fuerat. 2. Quod in Codice Africanæ Ecclef. lecto in Synodo VII, sive actione 2. Synodi VI, nulla omnino mentio occurrat actorum in Synodo VI, sive actione 1, sive actorum cum S. Zosimo circa Appiarium. 3. Quod acta ista Synodi VI, ac epistolæ illæ ad SS. Bonifacium, & Cælestinum directo pugnent cum doctrina Africanæ Ecclesiæ catholica, cujus assertorem, & vindicem acerrimum tum temporis se dabat S.Augustinus, temerarium, ac sacrilegum reputans inficiari Pontificis Romani jus revidendi judicia Ecclesiæ Africanæ; utpote quæ auferrent Pontifici eam potestatem, quam eodemmet tempore, & quidem ante Nicænam Synodum, denegare vel ipsi Donatistæ non audebant. Addit S. Augustinum, cui id totum perspectum erat, approbeque persuasum, nec tam prodigum verecundiæ, nec tam inopem prudentiæ fuisse præsumendum, qui Africanis Collegis recta, & proba de isto tam insigni Pontificis jure insinuare destitisset.

Ut vero ista ingeniose sint excogitata, tanti esse tamen ego non existimo, ut in animum inducere meum propterea queam de istius Synodi VI, deque illius Synodicæ utriusque dubitare veritate, utque pseudo-epigraphis adnumerandas putem: quandoquidem easdem videam extare in Codice Dionysii exigui; in Cod. Afric. Ecclesiæ; in Codice Isidori; in Codice Vaticano a Schelestratio consulto; in Parisiensi inspecto ab Harduino; in Colbertino vetustissimo memorato a Coutantio; earumque mentio fiat a Synodo Trullana; a Synodo VIII; a Synodo Duziacensi I. in Synodica ad Hadrianum II., & ab Hincmaro: cui tamen haud assentio tom. 2. opusc. 33. cap. 34. Codicem Canon. Africanæ Eccles. Sedi Apostolicæ fuisse probatum affirmanti; sed potius Perronio libenter accedo in lib. adversus Regem Angliæ cap.48. dicenti *Centonem esse insulsi Rhapsodi*. Nec vero urget 1, in quo pedem figit vir eruditus: nam a Concilio Milevitano II, ut jam innuisse me memini, nullus adornatus est Canon, quique eidem

eidem tribuuntur, priori Synodo Carthaginensi anno 418. post receptam S. Zosimi tractoriam adversus Cælestium habitæ accepti sunt referendi. Nec major vis inest 2: nam etsi in Codice Afric. Ecclesiæ ista Synodus VI. non extet, extant attamen cap. 134. epistola ad S. Bonifacium, & ad Cod. calcem epistola ad S. Cælestinum. Nec enim Codex ille Canonum a Concilio aliquo exornatus est; neque Dionysio exiguo confectum in eadem Synodo VI. dicenti credo, sed potius incerti auctoris est opus, qui eadem ratione hujusce Synodi VI. gesta describere prætermisit, qua ab se prætermissa alterius Synodi acta in subnotatione ad Canonem 107. affirmat, quod scilicet Synodus ista haud universalis, sed Provincialis fuisset. Neque demum me 3. movet: nam propterea, quod approbe S. Augustino jus istud Pontificio Primatui adnexum esset persuasum, una cum SS. Alipio, Possidio, aliisque doctioribus Præsulibus Synodo VII. Carthaginensi, aut, si mavis, actioni 2. ejusdem Synodi VI, interesse renuit, & ab istius litigii tabula, Synodicæque ad S. Cælestinum subscriptione manum caute retraxit. Confer Cl. Lupum de Afric. Eccl. Appell. dissert.2. cap.30, ubi diffuse argumentum istud divexat.

Vetus est vero calumnia de invaso a Pontificibus jure alieno, jus appellationum ad se retrahentibus, ex facto Appiarii primum objecta S. Zosimo, & obtrusa jampridem a Zacharia Chalcedonensi Photianis adjecto partibus homine in Synodo VIII. act. 6, & a Schismaticis Theodoro Balsamone in comment. ad Can. 3. Cod. Afric.; Meletio Alexandrino in litteris ad Ruthenos; Johanne Zonara in Comment. ad Canon. Sardicenses; & Marco Ephesino in disput. habita in Synodo Florentina: quam postea recoctam a Johanne Calvino lib. 4. Instit. cap. 7, & Marco Antonio de Dominis lib. 1. de Republ. Eccles. cap. 3, ac Protestantibus aliis passim, refingere non erubuere Petrus de Marca, Dupinius, Boileau, Quesnellus, Gerbasius, Anonymus Gallus auctor tract. de Libertate Ecclesiastica adversus Paulum V.; alterque Scriptor libelli Gallici de potestate Pontificis edit. Parisiens. anni 1756.; atque Franciscus le Courajer in histor. Gallice adornata Pontificum a S. Petro ad Benedictum XIII. tom. 4. in S. Zosimo, & tom. 1. in epistola adver-

ſus Auctorem epiſtol. feſtivar. edit. Hagæ Comit. anni 1734; quam ideo hiſtoriam, quod plus ceteris, ſcommatibus, & conviciis in Pontifices Romanos redundet, pro ingenio Proteſtantibus inſito, ceteris omnibus hactenus elucubratis longe prætulit Gotthelfius Struvius, ſive Chriſtianus Gottlieb Buder Bibliothec. hiſtor. ſelectæ tom. 2. cap. 27 de Scriptor. rerum Italicar. pag. mihi 1379, refingere, inquam, non erubuere, ante Zoſimi attentata appellationes in Africa non apparuiſſe: Zoſimum, ut id juris, cui vehementer inhiabat, tandem ad ſe traheret, Nicænos Sardicenſium loco ſupponere Canones non eſſe veritum: Zoſimo tamen ex voto rem non ſucceſſiſſe, invictiſſime contra obnitentibus Africanis Epiſcopis, proque Epiſcopali jure exertiſſime pugnantibus. Atroci calumniæ jampridem a Metrophane Smyrnenſi in Synodo VIII, & Johanne de Montenigro in Synodo Florent., ac poſtea a Theologis noſtratibus toties convulſæ, iterum convellendæ operam non conferam, eoque magis, quod ex hactenus dictis facile concidat, quibus id unum adnectam, contentionem quidem Africanorum cum S.Zoſimo nequaquam exortam ſive hinc ex uſurpatione Pontificis, alienique juris in ſuum tranſcriptione, ſiquidem id Pontificii juris, de quo diſceptabatur, divinæ inſtitutioni demonſtretur innixum; ſive illinc ex conſpiratione Africanorum, qua in Pontificis jura invidiam quærerent, ſed potius ex hallucinatione, ac ſtupenda hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, divini quin imo juris, ac Paternæ traditionis ignoratione.

Quod ſi nihiloſecius contentionem utrinde culpa, fraudeque non caruiſſe pugnetur, in Africanos potius, quam in Pontificem refundendam eſſe propugno. Non in Pontificem, a quo ideo Canones Sardicenſes Nicænorum nomine prolati fuere, quod Nicænæ Synodi velut appendix Sardicenſis vulgariter haberetur, & in Codice Romanæ Eccleſiæ ſub uno, eodemque titulo cum Nicænis proſtarent: quo etiam nomine legi in antiquiſſimis Codicibus Mſs. Morbacenſi, Foſſatenſi, & Colbertino obſervavit Doctiſs. vir Petrus Coutantius in Notis ad epiſt. 15. S. Zoſimi, toto in hoc negotio tam Pontificem, quam Afros bona fide egiſſe probe, intimeque perſuaſus: quomodo æque

a S.Gre-

a S. Gregorio Turon. Canones Gangrenses alicubi pro Nicænis laudatos animadvertit præterea Cl. Thomassinus vet., & novæ discipl. par.1. lib.2. cap.117. n.11. Neque vero erat cæteroqui, cur S. Zosimus ex industria Nicænos præ Sardicensibus produceret, quum parem facerent per se ambo auctoritatem; quin insuper divinæ institutioni Pontificum jus subnixum demonstraverit. Bene vero in Africanos disceptationis æstu facile abreptos, si quæ intervenit culpa, refundi debet. Atque eos quidem a fraude patrata circa Canonem 28. Codicis Afric. Eccl. quis liberet, nisi fraudem malit in Codicis descriptorem refundere? Clausulam equidem, nempe hanc: *Sicut & de Episcopis sæpe constitutum est*, profectam pariter ex ingenio, animoque Africanorum ab appellationibus Romanis quammaxime abhorrente opinatus est Petrus Coutantius in Notis ad Synodicam ad S. Cælestinum: at longe verius de industria Canoni illi assutam, delendamque ideo autumant Baronius, Perronius, Harduinus, & Orsius: nec abnuit Petrus de Marca, in eo deceptus tamen, quod Canones 27. Concilio Milevitano II. attributos, (in quorum genuino 22, non secus atque in 125. Codicis Afric. ea clausula desideratur, quæ pariter a Cresconio tit. 285. prætermittitur), ab eodem revera editos existimavit. Porro additamentum illud postea factum fuisse, ex eo dilucide evincitur, quod Africani Episcopi SS. Zosimo, Bonifacio, & Cælestino litem tam acriter intendentes de appellationibus, nullumque lapidem non moventes, ut Pontifices ab his admittendis procul amoverent, quoad appellationes Clericorum protulerunt quidem in medium constituta Ecclesiæ Africanæ, quod autem ad appellationes Episcoporum attingebat, non nisi Canonem 5. Concilii Nicæni objecerunt, quo nempe cavetur, ut qui rejiciuntur, ab aliis non recipiantur: quem propterea appellationibus Romanis obstare perperam arbitrabantur. Putas ne vero prætermissuros fuisse illos Carthaginensem hunc 28. adeo explicitum, si jam tum cum adnexa clausula extasset? Patet itaque plane Canonem illum fuisse postea interpolatum, aut ab Aurelio, uti suspicatus Harduinus est, aut a descriptore Codicis, ut veri mihi similior sententia videtur.

Hinc

Hinc haud procul, aut prope absunt Tillemontius, Natalis, & Bossuetius, atque ex hujusmodi controversiæ serie argumentum se eruisse autumant evidentissimum ad patefaciendum Romani Pontificis auctoritatem sacris Canonibus coarctari, & a Conciliis veluti intra cancellos juris constringi. Quam vero longe abs veritate aberrant, & quam leviter exsufflatur, quod palmare vocant, invictissimumque momentum! At enim, amabo, si Africani de appellatione Appiarii contendebant, eaque ratione conquerebantur, quod eam crederent Nicænis Canonibus adversam, ideoque, uti adversarii volunt, credebant Pontificis auctoritatem Canones intra Nicænos conclusam, jam id esset consequens, quod non jure Divino, sed jure dumtaxat Ecclesiastico id Pontifici Romano accessisset privilegii; quod nefas est opinari. Præterea si istiusmodi appellationum jus Pontifici a Nicænis Canonibus non asserebatur, a Sardicensibus proculdubio erat assertum: neque vero dumtaxat ex Nicænis vim fecerant Africani, sed & Africanos Canones appellationibus obstare plus vice simplici affirmarant: ergo ne Africanis Canonibus affici, & ita angustos intra confines potuisse constringi Pontificis amplissimam potestatem a Chisto D. in S.Petro consesecutam, Africani cogitatione finxisse, ac fingendo affirmasse dicentur? Dicantur autem, per me licet, quid tamen dixerit de Nicæno Canone 5, in quo velut in pulvere Africani pedem fixerant, S. Innocentium I. audire interest in epist. ad Victricium Rotomag., ubi eum sic interpretatur, ut nulla exinde noxa summo Apostolicæ Sedis juri immineat. *Si quæ*, inquit ibidem, *caussæ, vel contentiones inter Clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundum Synodum Nicænam congregatis ejusdem Provinciæ Episcopis jurgium terminetur. Nec alicui liceat sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ*, (Viden, ut recta Canonem Nicænum dirigat!), *cui in omnibus caussis debet reverentia custodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare Provincias*. Eadem post erat SS. Zosimi, Bonifacii, & Cælestini intima persuasio Nicænum Canonem, ullumque præterea alium proprio juri nihil potuisse nocere: qui-

quibus affirmantibus, quis non credat potius, quam Africanis ſtudio partium abreptis pernegantibus! Sed his plus juſto me immoratum jam pudet.

Ex Africana nunc ad Græcam trajiciendo Eccleſiam, in cauſſis inferioris Cleri, Provincialium Synodorum pertranſito medio, aut Patriarcharum ſententiis ad ſe pertractis, Romanos Pontifices vice plus ſimplici Judices ſe dediſſe, ſummoque jure eas definiviſſe nullus ignorat, qui Eccleſiaſticam hiſtoriam vel a primo limine ſalutaverit. Certe Paulum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyterum ad S. Damaſum provocaſſe haud obſcure indicant Epiſcopi Italiæ in Synodica S. Ambroſii manu exarata ad Theodoſium Imperatorem. Ejuſdem Eccleſiæ Clericos quam plures a Neſtorio, quod ejus hæreſim execrarentur, gradu dejectos, Sacriſque chriſtianis interdictos, ad S. Cæleſtinum provocantes communioni, & priſtino loco reſtitutos fuiſſe liquet ex ipſius epiſtola 14. edit. Cout. Ut nihil vero retexam nunc de Eutychete, ad S. Leonem M. Eccleſiæ Alexandrinæ Clerici plerique a Dioſcoro pſeudo-Patriarcha dire,ac peſſime divexati provocaſse, in quibus Athanaſius Presbyter, Theodorus, & Iſchyrion Diaconi appellationis obtulere libellos, leguntur act.3. Concilii Chalcedonenſis. Sed & ad eumdem Pontificem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ plurimos Clericos appellaſſe perſpectum eſt, quibus paſſim jus dictum a S.Leone ejus in litteris habetur. In his, qui celebriores evaſerunt, Baſilius, & Johannes, ambo Presbyteri hæreſis poſtulati,ad hujuſmodi infamiæ notam diluendam Romam ad S.Leonem advenerunt, in cujus admiſſi conſpectum, profeſſione fidei ſe ſe purgarunt, acceptaque a Pontifice abſolutione, litteras pariter ad Anatolium acceperunt, quibus a quopiam ſuper hæreſi ipſis faciundo negotio abſterrebatur. Præterea Aetii Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Archidiaconi cauſſam ad ſuum traxit Tribunal, ubi honeſtiſſimum hominem, ſibique ſtudentiſſimum, ab Anatolio injuſte dignitate dejectum reſtituit, Anatolii actis reſciſſis, & Andrea illius in locum intruſo rejecto; qua de re legendæ ejus litteræ 56. ad Julianum Coenſem, 57. ad Marcianum Imperatorem, 58. ad Pulcheriam Auguſtam, & 71. ad Anatolium. Alterum ejuſdem

dem Ecclesiæ Presbyterum Atticum nomine, in eadem navi cum Andrea commorantem, eademque Eutychianæ hæresis labe insigniter laborantem, qui Imperatore impellente professionem fidei ad Pontificem utique miserat, sed implexam, obscuram, magisque ad fallendum compositam, ordine, officioque exspoliavit. Legesis S. Leonis epistolas hacce de re exornatas 126, 128, & 132. edit. Cacciari. Duos alios Presbyteros Sabinianum, & Leonem e Gallia ad se delatos Rustico Narbonensi dijudicandos, mitius cum eis agendi modo indicto, dimisit idem S. Leo, uti liquet ex epist. 92. vet. edit. Juxta hæc porro in ea, quæ ad S. Agapetum I. contra Acephalos ab Orientalis Diœcesis 47. Episcopis interposita fuit, appellatione præclaram, magnamque partem egisse Clericos etiam, ac Monachos sit manifestum ex eorumdem libellis, quorum prostat exemplar apud Harduinum tom. 2. pag. 1203, & 1218. Ad veterem etiam Gallicanæ Ecclesiæ disciplinam illustrandam confert quamplurimum exemplum Clericorum Ecclesiæ Arelatensis, qui a Sapaudi Episcopi in se prolata sententia ad Pelagium I. provocantes, ab eo, tametsi molestissime id ferret Sapaudus, integri, & liberi ab illa sententia abire jussi sunt.

Neque minus frequenter Clericorum appellationibus pulsatus undique legitur S. Gregorius M.; qui pro summa, quam animo induerat, sollicitudine, præsentissimum cunctis ulla absque cunctatione se præbuit. Illustris in his habetur appellatio duorum Patriarchatus Constantinopolitani Presbyterorum Athanasii Isauriensis, & Johannis Chalcedonensis: ambo in hæresis suspicionem Johanni Constantinopolit. venerant, ille quidem Manichææ; iste vero Marcionitæ; ideoque ambo gradu a Johanne detrusi, pessimeque habiti ad S. Gregorium M. provocaverunt, a quo fidei professione probati absoluti sunt, suosque ad gradus regredi permissi, quibus ne impedimento esset, prohibitus Johannes est lib. 2. ep. 52, & lib. 5. epist. 15, & 24. Ex Illyrico ad eumdem S. Gregorium anno 592. delata est caussa Honorati Archidiaconi Salonitani in Dalmatia, qui a Natali Episcopo non alia ratione loco fuerat submotus, altero in ejus officium substituto, nisi quia Natali vasa sacra parentibus suis tradi præcipienti obedire noluerat.

Quare

Quare S. Gregorius data epist. 14. lib. 2. Natali injunxit, ut Honoratum pristino restitueret gradui, nisi obtemperaret, Pallii usu se interdictum intelligeret, ac si moras adhuc necteret, in excommunicationem se incidisse sciret. Natalem Pontifici fecisse satis patet ex epist. 32. ad Johannem Ravenn., & 37. ad eumdem Natalem. Nec defuere sæpius ex Africa Clerici, qui ad S. Grerium appellantes, paratissimum invenerint ad sibi inlatas reparandas injurias, exerendumque jus in Episcopos, a quibus injuriæ fuisent inlatæ. Certe Felicissimum, & Vincentium Diaconos Ecclesiæ Lamiggiensis contra Argentium Episcopum, qui ipsis Juniores Clericos sibi gratos antepostuerat, querelas ad suum detulisse Tribunal auctor est idem Pontifex lib. 1. epist. 82. ad Hilarium Monachum. Constantium, & Mustellum Diaconos Ecclesiæ Pudentianensis a Maximiano Episcopo pariter ad se appellasse perhibet lib. 2. in epist. 33. ad Columbum in Numidia Præsulem. Donadeus in Numidia Diaconus in Synodo Provinciæ anno 603. a Victore Primate gradu injuste dejectus ad eumdem S. Gregorium appellationem interposuit, a quo Victoris rescissa sententia, honori suo est restitutus, sicuti liquet ex lib. 10. epist. 8. Ad hæc Presbyteri cujusdam Hispani cum Januario, & Stephano Episcopis injuste depositi, ideoque ad Apostolicam Sedem appellantis causa a S. Gregorio Johanni defensori dirimenda demandata est lib. 11. epist. 40, & 52. Ex Italia, ut obiter unum, vel alterum specimen exhibeam, Magno Presbytero Mediolanensi communionis, & pristini gradus, quibus a proprio Antistite prohibitus fuerat, copiam, veniamque fecisse S. Gregorius legitur lib. 2. epist. 3. Adeodati Presbyteri a Quintiano Episcopo e Clericorum Canone expuncti caussam ad se appellatione delatam Maximiano Syracusano suo in Sicilia Vicario data epistola 13. lib. 3. definiendam dimisit. Claudium Abbatem ab injuria, quam Johannes Ravennas irrogarat, nec Marinianus ejusdem successor amoverat, redimere, suoque juri restituere e re sua esse scripsit lib. 5. epist. 24. Operæ non est pretium congerere plura, quæ adhuc suppeterent, ne præter modum prolixior evadat oratio.

Potius ad alios præterea excurram Pontifices, carptim ta-

men, & strictim istiusmodi ab eis exerciti juris in Clericos exempla delibando, summisque velut attingendo digitis. Atque quidem, quia sublestæ fidei homines illi, qui fraude, & dolo agere delectantur, quibusque prava inhæret libido jus Pontificum istud lacessendi, & proscindendi, ut honesto prætextu impunissime lascessant, & proscindant, ad Gallicanæ Ecclesiæ disciplinam provocare non desinunt, cujusce hanc proculdubio esse particulam contendunt, ejus inter libertates potissimo loco computandam, ac veteribus in Ecclesia sacris Canonibus non tam conformem, quam eisdem confirmatam, juxta quam idest Clericorum inferiorum caussæ, quo incipiunt Synodico agitari judicio, eodem tanquam supremo dirimi, & concludi debeant, recursu omni ad ulterius tribunal penitus interdicto, proinde intra ejusdem Gallicanæ Ecclesiæ confines disputationem modo constringam, & quamvis ire nolim inficias aliter nunc in Gallias inductæ, non absque Pontificum assensu profecto, Ecclesiasticæ disciplinæ se habere rationem, ad morum, & temporum nempe ingenium exactam, demonstratu tamen haud difficile mihi continget in Galliis veteri fuisse frequentatum usu, quem usu probe in utroque Pontificis jure supremo, qua Primatis in Orbem, & qua Patriarchæ in Occidentem, fundatum nemo non percipiet, videlicet ut Clerici cujusque gradus a Judicibus inferioribus prægravati, aut injuriam passi, appellatione intejecta Pontificis Tribunal adire ultro possint. Non repetam heic, quæ superius, prout dicendi ordo poscebat, exempla produxi: nec producam omnia, quæ adhuc suppeterent, sed potius, qui plura desideret, ad Cl. Lupum dimittam, qui præ aliis provinciam istam exornavit, & exhausit: sed illustriora dumtaxat indicabo, ex quibus cetera dentur intelligi. Atque ut exordium capiam ab illo tempore, quo ab Hincmaro lis ista moveri, intendique cæpit, Benedictus III. epist. 2. edit. Sirmondi tom. 3. pag. 107, & seq., & Harduini tom. 5. pag. 103. ad Episcopos in Regno Caroli Calvi constitutos exarata Hubertum Clericum flagitiis omnis genus infamem, sive proprii Episcopi, sive Provincialis Synodi prætermisso medio, ut dies infra 30. se in judicio sisteret ab ipso Pontifice subeundo, sub pœna excommunicationis præ-

præcepit; quin interea Episcoporum ullus exauditus sit, qui de labefactata Ecclesiæ Gallicanæ libertate reclamaverit. S. Nicolaus I. in frag. epistolæ ad Herardum Turonensem apud Gratianum Cap. *Notum sit* 11. q. 1, & Harduinum tom. 5. pag. 351. Christophorum Turonensis Ecclesiæ Presbyterum falsis criminibus appetitum, & inique propria ab Ecclesia expulsum, ad se appellantem, judicioque expertum, criminis purum declaravit, projectoque, qui ipsius locum impleverat, pristinum in gradum reposuit. Ad eumdem Pontificem etiam provocavit Gothescalcus, cujus partes apud S. Nicolaum ut prosequeretur, Romanam profectionem a Guntberto Monacho fuisse adornatam ex relatu acceptum regerit Hincmarus in opusc. 24, & 25, hinc sollicitudinem induens Egiloni Senonensi ad Romanum iter se comparanti insinuandi, quæ Pontifici circa personam, erroresque Gothescalci, quæque gesta adversus eumdem fuisent in Synodo, suggerenda essent. Porro quem exitum sortita sit Gothescalci caussa, quidque Guntberto successerit, in obscuro latet, nec multo post infelix Gothescalcus mortalitatem explevit. Perperam tamen hanc Gothescalci appellationem primam fuisse, quæ ex Gallicana Ecclesia ad Romanum Pontificem fuerit interposita, affirmarunt D. Fauchet Curiæ Monetarum Præfectus in antiquit. Gallic. lib. 4. cap. 12., & D. Gilbertus Maguinus in differt. de Gothescalci caussa, uti liquido ex hactenus dictis adparet.

Hadrianus II. epist. 14. Carolum Calvum illustri mactat elogio, idcirco quod Herlefridum Presbyterum Silvanectensem ab Erpuino Episcopo beneficio injuste spoliatum ad Apostolicam, quam appellaverat, Sedem appellere fuisset passus: laude ampliori ab se exornandum Regem subjungens, si quam defert optionem, demandari executioni curet, nempe aut perperam gesta adversus Herlefridum in Provinciæ Synodo reprobari, proprioque illum gradui restitui: aut Erpuinum ipsum gestorum rationem accuratam redditurum ad se Romam accedere, reportaturum pro caussæ meritis plenam justitiæ sententiam. Ad Johannis VIII. Legatos Pontigonensi Synodo Præsidentes Presbyteros quamplures ex diversis Parochiis adversus Diœcesanos Episco-

pos de injuriis reclamasse refert Annalista Bertinianus ad annum 876. In his Adalgaudus propriam Ecclesiam recuperasse legitur in actis ejusdem Synodi ex Codice S. Remigii ab Harduino descriptis tom. 6. par.1. pag.177. Ecclesiæ Tervanensis Clericos a Lamberto pseudo Episcopo, cujus adjuvabat partes Robertus Flandriæ Comes, dira perpessos, S. Gregorii VII. implorata ope, rebus suis eumdem habuisse propitium intelligimus ex lib.9. epist. 34. Ad eumdem Pontificem Walterus Duacensis, Azo Canonicus S. Amati, Robertus, & Lambertus Monachi S. Remigii ab Archiepiscopo Remensi excommunicatione injuste perculsi, interposita appellatione, impetrarunt, ut diligenti præmissa inquisitione, perspectaque dilucide ipsorum innocentia, a Josfredo Parisiensi Episcopo absolverentur, uti liquet ex lib.4. epist.20. Clericum quemdam Ecclesiæ Carnotensis a Gaufredo decessore suo ad Præpositura n quampiam promotum, Ivo gradu submoverat: quem ad se provocantem Urbanus II. P. M. pristino loco restituit: qua de re legenda Ivonis epist. 25. Fossatenses Monachi, Urbano II. in Synodo Turonensi fuisse subreptum, seque lata ab eo sententia haud parum læsos conquesti, obnixisque precibus efflagitasse per Ivonem Carnot. a Paschali II, ut ipsorum caussa ad incudem revocaretur, leguntur in epistola 159. ejusdem Ivonis. Ad Alexandrum III. supplices appellationis litteræ, quas querelarum in Episcopum Aurelianensem refertissimas dederunt ejusdem Ecclesiæ Canonici, referuntur ab Harduino post epist. 106. tom. 6. par. 2. pag. 1535: qui pariter Pontifex a Clericis Eboracensis Ecclesiæ postulatus de injuria, quam a Richardo Cantuariensi passi fuerant, legitur in actis Synodi Londoniensis anno 1175. habitæ apud Harduinum pag.1639. Prætermitto alia pleraque, ne multus sim præter modum. Quid tamen, quod a Synodorum, Episcoporum, aut Laicorum sententiis ad Pontificem Romanum provocasse Laici ipsi passim leguntur? Ex quibus Balduinus Flandriæ Comes ab indignatione Caroli Calvi in se concitata ad S. Nicolaum I. epist. 20, & 21. Carolomannus ejusdem Caroli Calvi filius adversus paternas violentias ad Hadrianum II. epist. 25, 26, & 27. Deusdedit vir illustris a Romano Archiepiscopo Ravennate ad Johannem VIII. epist. 117, & 121.

& 121. Saxones, & Suevi cum ad Alexandrum II., tum ad S.Gregorium VII. adversus Henrici IV. Imperat. vexationes, testibus Mariano Scoto in chron. ad annum 1075, & Paulo Bernriedensi in vita S. Gregorii cap. 6. Henricus II. Angliæ Rex a violentiis filii, fratrumque ad Alexandrum III. epistola Petri Blesensis manu exarata, quæ ordine 136. recitatur a Baronio, & Alfordo ad annum 1173. Confer S. Aviti Vienn. epist. 49. ad Ansemondum, ubi tum in Gallia viguisse Laicorum etiam ad Pontificem Romanum ab Episcoporum judiciis haud obscure indicat: sed de hisce, supremo Numine auspice, opportuniori in loco copiosius.

Operæ nunc pretium ostendere his, quæ ullo absque delectu adversus hactenus disputata Pontificii in hac parte juris obtrectatores obtrudunt. Atque principio in eo præsertim velut in pulvere gradum figunt, vimque potissimam faciunt, ac urgent ad ravim usque, quod a prisca ætate in Synodis Provinciæ dumtaxat Episcopi judicari deberent, & solerent; ideoque usurpati juris videri incusandos Romanos Pontifices, qui hujusmodi judicia ad suum trahere deinceps tribunal non desivere. Enim vero Episcoporum, inquiunt, caussas in Provinciarum Conciliis definiri, & concludi debere, ibidemque illos, si caussa subsit canonica, dumtaxat deponi vetus est in Ecclesia disciplina, Conciliorum decretis plus vice simplici comprobata, & stabilita, Antiocheni can. 12, 14, & 15: Sardicensis can. 3, 4, & 7: Constantinopolit. I. can. 2, & 6. collect. græcæ: Chalcedonensis can. 9, & 17: Codicis Ecclesiæ Africanæ can. 12, 15, 19, 28, 87, 88, 97, 104, & 125: Lugdunensis II. anno 567. can. 1.: Codicis Capitulorum 80 ab Hadriano I. Ingilramno Metensi traditorum capit. 5, 9, 10, 12, 19, 20, 27, 28, 29, & 46: Francofordiensis can. 6, 10, & 29: Constantinopolitani IV. can. 26: & Compendiensis anno 1329. can. 5. Hac disciplina antiquius nihil habuisse Africanam Ecclesiam testis, & auctor est locuples S. Cyprianus cum in epist. 55. ad S. Cornelium, qua subiratus Pontificem deterrere studet a Fortunati, & Felicissimi caussa retractanda, id judicii ad Episcopos integrum remittendum affirmans, ut ibi caussa audiatur, ubi crimen esset admissum: cum in epist. 68. ad Plebes Hispaniæ, qua ab Hispanis Episcopis consultus de Basilide, & Martiali in Synodo Provinciæ

vinciæ loco dejectis, sed a S. Stephano P. M., veritatis tacitae ignaro, gradui redintegratis, respondet eos in sententia tutos manere debere, nec latum unguem ab intorto in Synodo judicio decedere. Quod haud leve est indicium eamdem in Ecclesia Hispana disciplinam invaluisse. Huicce disciplinæ inhæsisse tenaciter Ecclesiam Germanicam, & Gallicanam exempla multa confirmant. Euphratæ Episcopi Coloniensis, qui in Synodo Agrippinensi anno 346. ob hæresim gradu detrusus est. S. Paulini Treviren-sis, in quem Arelatensis Synodus anno 353. iniquam tulisse depositionis sententiam dicitur. S. Hilarii Pictaviensis, qui a Synodo Biterrensi anno 356. exilii sententiam tulit. Saturnini Arelatensis, quem Parisiensis Synodus anno 362. ab Ecclesia ejecit. Promoti Castrodunensis, qui in Parisiensi IV. anno 573. ideo loco depulsus fuit, quod contra jura Episcopi Carnotensis fuisset constitutus, teste S. Gegorio Turonen. lib. 7. cap. 17. S. Prætextati Rotomagensis, quem anno 577. à Parisiensi V. dignitate fuisse diminutum refert S. Gregorius Turonen. lib. 5. cap. 19. Ægidii Remensis, cui a Concilio Metensi anno 590. sedem ablatam testatur idem Auctor lib. 10. cap. 19. S. Desiderii Viennensis in Concilio Cabilonensi anno 603; Saffaraci Parisiensis anno 555. in Parisiensi; Agappii, & Bobonis Diniensium in Cabilonensi anno 650, qui haud absimilem pœnam subiverunt, quin ulla subiret tamen vel levis cogitatio de Synodorum sententiis per appellationem ad Romanum Pontificem deferendis. Pleraque multa prætermitto, quorum par ratio.

Palmarem hunc vero suum errorem comprobare 2. non verentur explicatissimis, uti jactant, Pontificum Romanorum testimoniis, ex quibus illud desuper elicere confidunt ab hujusmodi disciplina nec Romanam Ecclesiam admodum abhorruisse. Ita enim, inquiunt, S. Damasus Maximi Constantinopolitani Episcopi caussam per se aggredi non attentavit, sed ejus rei gratia Synodum Romæ indixit: sed nec Romana Synodus absentibus Orientalibus Episcopis hanc sibi licentiam adscripsit, nefas arbitrata, in alienum jus immigrare. S. Siricius ad Anysium Thessal., & ceteros Illyrici Episcopos scribens, quæ inter epistolas S. Ambrosii est ordine 5, nec recte S. Damaso tribuitur a Nicolao Cusano,

ſano, Almaino, Cajetano, & Baronio, Synodi eſſe indubitanter de Bonoſi cauſſa decernere; ad quam cognoſcendam deputati ii fuerant a Synodo Capuenſi, liquido aſſeruit. *Primum eſt*, inquiens, *ut ii judicent, quibus judicandi facultas eſt data. Vos enim totius Synodi vice decernitis: Nos quaſi ex Synodi auctoritate judicare non convenit*. S. Innocentius I. in epiſt. ad Victricium Rotomag. cap. 3. Cleri univerſi cauſſas in Provinciæ Synodo concludi, & definiri tam conſueviſſe, quam debere ſatis innuit: *Si quæ*, ſcribens, *cauſſæ, vel contentiones inter Clericos tam ſuperioris, quam inferioris ordinis fuerint exortæ, ut ſecundum Nicænam Synodum congregatis ejuſdem Provinciæ Epiſcopis jurgium terminetur*. Juxta hæc, quum Bubalii, & Tauriani in Synodo Macedoniæ damnatorum cauſſam idem Pontifex ad Tribunal ſuum traxiſſet, inque acerbas propterea querelas Macedoniæ Epiſcopi effudiſſent ſe ſe, ipſis reſcribens Innocentius epiſt. 7. non Divinam utique inſtitutionem, nec Canonicam auctoritatem objectavit, ſed ſolam juris, ac rei æquitatem: *Quia veritas*, inquiens, *exagitata ſæpius magis ſplendeſcit, & pernices revocata in judicium gravius . . . condemnatur*. Quod documento pariter eſſe poteſt hanc diſciplinam in Illyrico olim obtinuiſſe. S. Sixtus III. in epiſt. 9. ad Proclum Coſtantinopol. cauſſæ Idduæ a Proclo jam judicatæ nolle ſe immiſcere ſcribit, nec de ea cognoſcere denuo: ita nempe ab alieno jure uſurpando religioſe ſibi abſtinendum ducens. Cætera, quæ ex aliis Pontificibus congeri teſtimonia ſolent, quia eodem collineant, libenter, ne ſim longior, dimitto.

Huc ad hæc confirmanda revocant 3. ſacras Principum Sanctiones, quas uſu in Eccleſia veniſſe nemo jam neſcit, quibuſque de Epiſcoporum cauſſis ſupremum judicium Synodis ſartum, & tectum ſervatur. In his Conſtantius in epiſt. ad Epiſcopos Italos, qui in Concilio Ariminenſi convenerant apud S. Hilarium in frag. 2, nihil ab illis decerni de Orientalibus oportere denuntiavit: *Non enim de Orientalibus Epiſcopis*, inquiens, *in Concilio veſtro patitur ratio aliquid definiri*. Juſtinianus per gradus jurisdictionis in cauſſis Eccleſiaſticis ſæpe diſcurrens, de Romano Pontifice ubique alte ſilet nedum, ſed imo Novella 123. cap. 22.

Epi-

Episcoporum caussas in Synodo Provinciæ pertractari, ac definiri debere decernit. Gratianus ad preces Synodi Romanæ anno 378. Constitutione generali edita sancivit, ut Episcoporum caussæ a Romano Pontifice, nonnisi adhibito Episcoporum 5, aut 7. Concilio dirimerentur: quæ vero remotis in Provinciis exagitarentur, eas definire ad Metropolitani partes attinere declaravit; a quo si appellari contingeret, tum demum ad Pontificem dirimendæ in Synodo devolverentur. Hanc Gratiani legem executioni demandatam asserit Petrus de Marca anno 381. in caussa Priscilliani, Instantii, & Salviani, qui a Synodo Cæsaraugustana damnati, ad S. Damasum provocantes ideo ab ipso repulsam passi sunt, teste Severo Sulpitio lib. 2. Hist. Sacræ: sed postea Gratiani rescripto altero elicito, Synodi Cæsaraugustanæ sententia abolita est, illique ad Ecclesias suas regredi permissi. Gratiano interfecto Ithacius, qui primum adversus Priscillianum judicium obtinuerat, a Maximo in Galliis, Hispaniis, & Britannia Imperii summa potiente adito, obtinuit, ut Synodus altera Burdigalæ cogeretur, in qua e loco dejectus Instantius: Priscillianus vero Synodi judicium declinans, quum ad Imperatorem appellasset, istius jussu Treviris a Prætorio Præfecto capitis est condemnatus. Ex quibus concludit profecto constantissimum fieri postremum caussarum Ecclesiasticarum finem in Synodi Provincialis reponendum fore judicio. Quid autem ad hæc, quod Urbanus II., dum Salerni demoraretur, nihil officere vidit, quominus Rogerium Calabriæ, & Siciliæ Comitem illo privilegio insigniret, ex quo Monarchiæ Siculæ, veluti vocant, initium deductum est, cujusque non exigua pars erat appellationibus Romanis aditum intercludere: quod privilegium perinde in gratiam Guillelmi cognomento Mali nuper illustri Regis utriusque Siciliæ titulo insigniti, confirmasse Hadrianus IV. legitur, ne videlicet Siculis absque Regis assensu Romanum Pontificem appellandi fas, & jus esset?

His autem, hujusque genus aliis, quorum multam partem super. §§. jam dispunxi, nunc sic offendo, atque ad id, quod primo loco objectum est, ita respondeo. Equidem veterem in Ecclesia disciplinam viguisse, ut Episcoporum caussæ in Synodis definiantur, loquen-

loquendo de medio ordinario, non etiam de extraordinario: ut definiantur hoc est sub hac lege subintellecta, nisi per appellationem ad Pontificis superius Tribunal devolvantur. Neque interpretationem hancce infringunt in contrarium objecti Canones, ut mox ostendo, postquam in diversas, & adversas sententias animadverterim, quæ circa Canones speciatim Antiochenos, & Sardicenses circumferri solent. Antiochenis Canonibus allegatis non multum plus nihilo fore deferendum autumat Aristenus. Atque sane Canones Antiochenos a S. Johanne Chrysostomo flocci, naucique factos, tanquam ab Arianis prævalentibus confictos, perhibent Socrates lib. 6. cap. 16, & Sozomenus lib. 8. cap. 20. Quod intelligendum de Canone ab Eusebianis refecto ex Canonibus 4, & 12. Antiochenis, refertoque a Palladio, Georgio Alexandrino, & Metaphraste in Vita S. Crysostomi super. §. observatum est. Quinimmo Quesnellus in dissert. 12. de veter. codic. Rom. Eccles. ante Pontificatum S. Gelasii, scilicet ante Sæculum VI, admissos ab Ecclesia Romana Antiochenos Canones constanter abnegat: & Christianus Lupus ideo, quod appellationibus ad Pontificem interceptus hisce Canonibus videatur locus, Canones cum Concilio abdicat de Appellat. cap. 27, & de appellat. Eccl. Gallic. capp. 12, & 22. Præiverant ei vero in opinione Emin. Baronius, Bellarminus, Perronius &c., quorum post partes adversus Schelestratium defendit doctiss. Franciscus Antonius de Simeonibus de Rom. Pontif. judic. potest. cap. 20. Contra vero Canones cum Synodo in Ecclesia probatissimos evasisse, nec ex eis Pontificis Romani privilegiis quidquam periculi imminere, contendunt Schelestratius, Natalis, Pagius &c. Balsamon Canonem illum 15. Antiochenum sublatum fuisse a Canone 4. Sardicensi existimat. Eo Canone e contra supremum ita Synodi Provincialis stabilitum fuisse judicium, ut exinde nullus amplius, neu ad Pontificem, futurus sit appellationis locus, affirmat Petrus de Marca lib. 7. cap. 2; eó progressus quinimo, ut Provincialis Synodi inappellabilem auctoritatem ex Canone Nicæno 5. adstruendam assumeret. Inter Antiochenos Canones attamen introspexisse se aliquam contradictionis speciem subjungit, eorumque conciliationem pendere existimat a praxi illorum temporum ab interpretibus

Græcis, & Latinis ignorata: juxta quam Imperatoribus solemne erat rescripta concedere pro revisione sententiarum, sive illæ Civiles essent, sive Ecclesiasticæ. Cui consuetudini modum adhibitum fuisse ab Antiocheno Canone 12. censet, quatenus nempe damnatis a Synodo spes restitutionis adimitur, non etiam revisionis, sive retractationis. Quam perinde interpretationem suam Canonibus Sardicensibus accomodat, quod his nempe in gratiam Romani Pontificis supremam Provincialis Synodi auctoritatem permiserint non per appellationes circumduci, sed circumscribi dumtaxat per revisiones. At ita ludere verbis, & illudere est utique: appellationis siquidem finis quum sit restitutionis spes, & res, proinde qui restitutionis aditum intercludit, haud dubie appellationem quoque prohibet, permittitque e converso, qui revisionis, sive retractationis facit facultatem.

Vir doctiss. Sebastianus Berardi in suo Gratiano emendato par. 1. cap. 9. in ea opinione versatur, quod quandoquidem apud Græcos, teste Platone in Dialogo 6. de Legibus, ea jampridem viguerat jurisprudentia, ut tertium judicium concordum Judicum pro supremo haberetur, adeo ut post tertium hujusmodi judicium appellandi potestas denegaretur: quæ jurisprudentiæ proba lex ad Occidentem postea producta a Justiniano est L. un. Cod. *Ne liceat in una, eademque caussa tertio provocare*. Auth. *Si quis litigantium*. *De Episcopali audientia*: probata denique Romanis Pontificibus habetur in Cap. 65. *De Appellationibus*, in conspectu hujusce Græcanicæ jurisprudentiæ Antiocheni Patres statuerint nullum esse alteri, post unanimem Episcoporum in Concilio Provinciali sententiam, judicio locum. Probari mihi, aut persuadere tamen nequeo sapientissimis Patribus Sardicensibus ignotam fuisse hancce Græcanicæ jurisprudentiæ partem, ideoque sequentibus morem patriæ suæ fuisse statuendum, ut perpetuo gressu, & regressu usque ad superiorem maximum appellatio concederetur. Est enim putare pronius totum id peractum potius ex intuitu divini juris non modo, quo proculdubio Romano Pontifici, ceu Primatum in Ecclesia gerenti, in Ecclesiasticis caussis primæ, ac postremæ erant tribuendæ; sed imo ex conspectu juris humani: si enim recta Rei cujusque publicæ sive Civilis, sive Eccle-

Ecclesiasticæ administratio exigit, ut Inferiorum judicia iniq ue prolata Superiorum sententia emendentur, aut infringantur, adeo ut iis in casibus appellatio juris naturæ sit, quis inficias eat a Provinciali Synodo ad Pontificem interponi licite provocationem posse; idque juris Pontifici inesse Primatus ratione Patres Sardicenses ignorare potuisse quis recte inferat? Quin etiam Patres Antiochenos longe quam maxime abfuisse a cogitatione, qua istiusmodi Pontificio juri vulnus, ac vim inferre voluerint, quis non concludat, probeque definiat? Hinc mihi valde arridet ea, quam Canoni illi Antiocheno Gratianus adhibuit, exceptio, nempe: *Nisi ad judicium majoris auctoritatis fuerit appellatum*. Ista enim interpretatione intimum attigisse sensum Antiocheni can. 15. non modo, sed Nicæni 5. etiam autumo, atque vadem, auctoremque voco S. Nicolaum I. P. M., qui in epist. 4, veluti eam regessit in append. 1. Harduinus tom. 5. pag. 325, ad Adventium Metensem canonis Antiocheni 15. nedum, sed & Nicæni 5. sensum exponens, affirmat illis quidem Metropolitarum ambitioni frænum fuisse statutum, eorumdem sententias Provinciali Synodo submittendo, non etiam amplissimam Pontificis auctoritatem angustiores intra terminos coarctatam, ac Synodorum judiciis subjugatam. *Ergo*, ita concludit, *quia totius Nos Ecclesiæ maxima cura præstolatur, nostrum præcipue debet Ecclesia tota proculdubio judicium promereri*. Quibus consentanea scripsisse epist. 20. ad Alexandrum Antiochenum, (junge & epist. ad Eusebianos ab eodem exaratam), S. Innocentium I; & epist. 88. ad Anastasium Thessalon. S. Leonem M. eodem loci admonet.

Mirari vero valde multo magis subit, quod ad facessendum Pontificio juri negotium, ex Canonibus Sardicensibus argumentum extorquere adversarii non erubuerint: inter quos, ut de Græcis nunc taceam, veluti de Balsamone, & Zonara, qui apud Beveregium tom. 1. pag. 489. Sardicensem Synodum, ubi ad Pontificem Romanum appellandi tribuit facultatem, loquutam de Episcopis Patriarchatui Romano obnoxiis dumtaxat affirmant, ex Latinis Sardicenses Canones verbis illis: *Si vestræ dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus*: manifestam notam præferre nuperæ ab iis inductæ disciplinæ, formæque recens procusæ

judiciorum in foro Ecclesiastico deinceps finiendorum, antequam propterea ætatem Romani Pontifices jure isto potiti nondum fuerint, pugnant Petrus de Marca lib.7. cap. 3; Baluzius; Launojus tom.2 epist. 3; Gerbasius de Causs. major.; Boileau de antiquis, & major. Causs.; Quesnellus dissert. 5. in S. Leonem; Tillemontius tom. 7. pag. 281, & tom. 8. pag. 110; Fleurius disc. 4. in histor. Eccles.; Dupinius dissert. hist. pag. 110., de potest. Eccles.; & temp. pag. 505; Auctores Notarum in Concil.Trident. pag. 175; D. Hericourt in opere gallico de Legibus Eccles. pag.49.; Auctor Gallus de auctor. Pontif. lib.3. par.1. pag. 240., aliique hujus generis homines prurigine mordendi Pontificis jura affecti: quos quam immaniter abs æquo, & justo aberrent ex hactenus dictis liquido adparet: invitas quoque, perque vim intrusas, quas iisdem Canonibus adhibent interpretationes. Quia vero Quesnellus Canone 2.Constantinopolit.I. confirmari Canonem 5. Nicænum contendit, etsi ex utriusque collatione evidenter eluceat confirmatum potius fuisse Nicænum *6.* in versione Dionysii, hoc accipiat responsum: Canones illos de Papali nequaquam, sed de Patriarchali dumtaxat loqui potestate. Cur de Papali loquuti non fuerint Nicæni, rationem reddunt S.Bonifacius I.in epist.14.ad Episcopos Thessal., & post ipsum S. Nicolaus I. in epist. 42. ad Episcopos Galliar. *Nicæna Synodus*, inquientes, *supra Romanam Ecclesiam nihil ausa est constituere, quod omnia huic noverat Domini sermone concessa.* Si loquutum vero Constantinopolitanum 2. de Pontifice velit, per me licet, quin suffragatorem habebit S. Nicolaum I., modo amplecti, quam in epist. 8. ad Michaelem Imper. Canonis *9.* Chalcedonensis interpretationem exponit, & ipse non dedignetur. Canonem itaque Chalcedonensem *9*, quo procedi jubetur ab Episcopo ad Provinciæ Synodum, aut ad Metropolitanum, & ab his prius ad Diœceseos Primatem, sic intelligi vult S. Nicolaus, ut Diœcesis Primatis nomine non alter veniat, nisi Pontifex Maximus. Nolo autem verbis contendere: si ab hoc Canone excludi Pontificem velit, tum cum Hincmaro in opusc. contra Nepotem cap.17. credere oportebit ideo Canonem hunc *9*, atque 17. a S. Leone M. fuisse rejectos. Si cum Zonara censere malit Canones

nones istos conditos dumtaxat pro tribus Exarchis Ponti, Asiæ, & Thraciæ, tum nihil periculi imminebit Pontificis juri: si vero Canones extendi debere cum aliis velit ad ceteros etiam Patriarchas, hinc excipiendus erit Pontifex, juxta regulam a S. Innocentio I. statutam in epist. ad Victricium Rotomag., ac relatam mox interpretationem ex SS. Bonifacio, & Nicolao, asserentibus extra Canonum limites Romani Pontifici potestatem collocatam. Itaque perperam agit Petrus de Marca Canone 26. Constantinopolit. IV. Pontificis auctoritatem perinde affici, & constringi putans: nam huicce Canoni nec alter inhæret ab eo, qui mox insinuatus est, sensus.

Quibus animadversis, brevis nunc ad singula objecta responsio aptanda. Ad 1. igitur inquio Canones Conciliorum Antiocheni, Sardicensis, Constantinopolitani I, Chalcedonensis, & Constantinopolitani IV. id unum statuere, ut vel suis limitibus singuli Patriarchæ, Exarchæ, Primates, Metropolitæ, & Episcopi contenti sint, quin in alienas Diœceses jurisdictionem extendant: nullo tamen limite Pontifici Romano præscripto, uti Canones 15. Antiochenus, & 2. Constantinopolit. I: vel ne Episcopi, & Clerici, Synodo Provinciali neglecta, ac insuper habita, ad laica Tribunalia, aut ad generalem Synodum provocent: nullo modo, ne Sedes Apostolica appelletur, prohibere, uti Canones 14. Antioch., 6. Constantinopolit. I., 9. Chalced., & 26. Constantinopolit. IV: vel ut Episcoporum, & Clericorum inferiorum caussæ in alterutro ex his tribus Tribunalibus exagitentur, scilicet aut in Synodo Provinciæ, aut ab Episcopis a Pontifice delegatis in partibus, aut apud Pontificem ipsum, uti Canon. 9, & 17. Chalced. juxta S. Nicolai I. interpretationem, expresse vero Sardicenses 3, 4, & 7. Quod ad Canones Codicis Afric. Ecclesiæ attinet, nihil urgent: nam, ut supra dicebamus, Africani Episcopi vel modum dumtaxat, non rem ipsam improbarunt, hoc est appellationes præposteras, indebitas, & ad Episcoporum, atque Synodorum eludenda judicia interjectas; quæque in caussis etiam profanis fiebant ad Sæculares Magistratus: qua ratione Canones 22, 95, & 105. præsertim interpretandos esse ex Codice Canonum Hadriani I. Carolo M. oblato elici-

elicitur: vel si revera improbarunt, errore facti decepti sunt; quo tum Nicænorum legitimam intelligentiam non erant assecuti, tum Sardicensium turpi ignoratione tenebantur, tum ad jus divinæ institutioni innixum intendere non valebant. Quæ pariter germana Ecclesiæ Gallicanæ inhæsit persuasio de ista Pontificii juris particula, nihil læditur a Conciliis Lugdunensi, Francofordiensi, & Compendiensi, quorum Canones eodem recidunt tantum, quo collineare Canones Antiochenos, Constantinopolitanos &c. mox dicebam, nempe ad formam ordinariam judiciorum in foro Ecclesiastico stabiliendam: extraordinario prætermisso medio ad Pontificem appellandi. Hadrianus I. tantum abest, ut Adversariorum errori suffragetur, ut potius obsit summopere: nam Capit. 9. explicite sartum, & tectum jubet, juxta S. Innocentii I. rescriptum ad Victricium Rotomag., jus supremum, quo ratione Primatis gaudet Romanus Pontifex: Cap. 20. distincte optionem dat adeundi Diœcesis Primatem, aut Romanum Pontificem: Cap. 23. Episcopum Pontificis judicio stare, quem appellasset, omnino præcipit: & Cap. 42, Synodi Provincialis sententias per Vicarios Pontificis, si ipse judicaverit, retractari posse dilucide affirmat. Qua ratione accipi debeant, quæ S. Cyprianus objectatis in litteris exaravit, satis superque declaratum superius est: & quæ germana S. Doctori de suprema Pontificis auctoritate insederit sententia, dictum abunde tom. 2. par. 1. art. 8. in proleg. Itaque laterem lavant, qui S. Cyprianum contrariam in partem rapere, & contrariam Romanis appellationibus disciplinam Africanæ Ecclesiæ ex S. Cypriano agere non verentur: longe etiam procul ab animo S. Cypriani ea absuit in S. Cornelium effusa querela, quam de indebito jure invaso, quod Pontificis Romani proprium ultro citroque cognoverat, ipsi affricuit D. Fleurius hist. Eccles. lib. 7. n. 8. Quid autem, amabo, huc conferunt Episcoporum depositorum exempla? Equis unquam nostrum ivit inficias veteri disciplina Episcopos in Synodis deponi consuevisse? Quorum tamen in potestate semper positum fuit a Synodorum sententiis ad Pontificem provocare; neque vero si plerique non provocarunt, exinde fit consequens provocare nequivisse. Varia autem intervenire caussa potuit, quæ

eos a provocatione absterreret: puta, conscientia scelerum, ac manifesta Synodicæ sententiæ justitia: Principum etiam aliquando jussiones, quibus latæ in Synodis sententiæ executioni demandabantur, appellationibus locum adimebant. Quamquam hoc loci multa turbantur, ut proinde obiter per objecta exempla excurrere juvet.

Euphratam ergo integerrimum Episcopum fuisse ex S. Athanasio in epist. ad Solitarios fas est conjicere, quo loci Euphratam Coloniensem Legationis Comitem Vincentio Capuano injunctæ, ad Constantium Imperatorem decretæ, a Synodo Sardicensi adauctum denarrat: unde Synodi Agrippinensis acta spuria esse nonnulli Eruditi volunt; aut actis illis Euphratæ nomen intrusum, ut Papebrochius in observat. ad vitam S. Servatii Tungrensis Episcopi ad diem 13. Maji. Duos homonymos distinguendos, quorum prior hæresis nomine male habitus in Synodo Agrippinensi fit, posterior cum honore exceptus a Sardicensi, putat Pagius ad ann. 346. n. 6. Euphratam post damnationem resipuisse, & ad legationem fuisse delectum conjicit Sirmondus in Notis ad Concil. Agrippin. Cointius e contra ad annum 345. post expletam legationem Euphratam a fide defecisse, ideoque damnatum contendit. Ab Agrippinensi Synodo demum ad Apostolicam Sedem appellasse, aut ad ejus gratiam supplicem confugisse Euphratam veri haud absimile habet Christianus Lupus de appell. Eccl. Gallic. cap. 7. SS. Paulinum, & Hilarium pseudo-Synodorum Arelatensis, & Biterrensis nulla habita ratione, unius Constantii ab Arianis circumventi violentiæ proprii exilii pœnam acceptam retulisse adparet ex Severo Sulpitio lib. 2. hist. Sacræ, ex S. Hilario ipso in lib. de Synodis, & in lib. adversus Constantium; & S. Hieronymo de Scriptor. Eccles., subjungente S. Hilarium ab exilio revertentem ulla absque cunctatione, quam inferre pseudo-Synodus Biterrensis potuisset, Gallicanam Ecclesiam cum honore fuisse complexam. Cur vero Saturninus a Parisiensi Synodo ad Pontificem appellasset, apud quem odio se laborare, quam maxime ob Arianæ hæresis sibi adhærescentem labem ignorare nequibat? In caussis Promoti, S. Prætextati, & Ægidii potiores egisse partes Sigebertum, Chilpericum, & Childebertum Reges, fit mani-

manifestum ex S. Gregorio Turon. lib.7. cap.17, lib. 5. cap. 19, & lib.10. cap.19.: unde locus ad Pontificem appellandi non patebat. A Parisiensis II. Synodi justissima sententia non erat cur scelerum conscientia impeditus, convictusque propria confessione Saffaracus provocaret. Atqui S. Desiderium instigantibus Aridio Lugdunensi, & Brunichilde Regina injuriam passum a Theodorico Burgundiæ Rege referunt Scriptor æqualis ipsius vitæ apud Henschenium ad diem 23. Maji, Jonas Bobiensis in vita S. Columbani apud Mabillonium Sæcul.II. Bened.; Ado in Chron.; Fredegarius in append. ad S. Gregorium Turon.; & Aimoinus lib. 3. cap. 90. Aridium Lugudun. sanctitatis laude insignem ab invidia liberare studuit, illumque participem flagitii in S. Desiderium perpetrati haud fuisse, persuadere Theophylus Raynaudus in indic. SS. Lugdun. Severtius vero in Catalogo Episcop. Lugdun. Aridium postea flagitium severiori pœnitentia expiasse pugnat. Raynaudo consentiunt Cointius, & Mabillonius: Severtio vero Pagius adhæret ad annum 612. num. 11, & seqq. Denique Agappium, & Bobonem a Synodi Cabilonensis sententia depositionis ideo non appellasse, fas est augurari, quod apertissimis delictis refugium ullum patere desperassent: quemadmodum Theodosius Arelatensis ibidem loco submotus, iccirco quod ob publica peccata, publicam tum pœnitentiam perageret, nequidem obmussitatus legitur; quia nempe in hanc Canonum severitatem conspirare pariter decreta Pontificum eum non præteribat. Facit huc denique Concilii Remensis anni 1148. Canon 1, quo cavetur, ne ab Episcopo excommunicatus ab altero, præter Romanum Pontificem, ac Episcopum proprium, absolveretur.

Ad ea nunc, quæ secundo objecta sunt loco, gradum reflectendo, tantum abest, ut Romani Pontifices juris tam insignis vel levem particulam sibi detrahi passi unquam sint, ut potius exerto marte pro illo vindicando, ponendoque in tuto pugnaverint. Pugnanti, exercentique illud in Orientales S. Damaso Itali Episcopi non obstitere certe, sed imo validam adjunxere manum, in eadem epistola ad Theodosium declarantes ad Pontificis partes pertinuisse de Maximi caussa cognoscere, ac ferre judicium: id SS. Athanasii, & Petri Alexandrini, aliorumque

Præ-

Præsulum Orientalium exemplo comprobantes; quinimo facto ipso, quo in communionem, & gradum Maximus fuit receptus. Quamquam, ut optata tranquillitas Ecclesiæ Constantinopolitanæ schismate turbatæ citius, ac securius restitueretur, peropportunum ad caussas hujus genus, potissimum ex facto pendentes, finiendas Orientalium, & Occidentalium fieri Synodum non diffiteantur, sed imo desiderarent. Illud interea non dissimulandum hanc Italicæ Synodi, & S. Ambrosii nomine ad Theodosium inscriptam epistolam, in appendice Codicis Theodos. primum a Sirmondo editam, emunctioris naris Criticis videri supposititiam: suppositionis vero notas esse stylum implexum, & obscurum, ab Italorum scribendi ratione abhorrentem: errorem manifestum etiam, quo Maximus Cynicus adversus S. Gregorium Nazianzenum in sedem Constantinopolitanam intrusus, dicitur Episcopus Alexandrinæ Ecclesiæ: agendi rationem demum, sive S. Ambrosii, quem proculdubio cum S. Gregorio, ceu legitimo Episcopo Constantinopolitano, communionem fovisse patet ex ipsius prologo in librum de Spiritu Sancto ad Gratianum Augustum; sive S. Damasi plane diversam, qui Maximi Ordinationem expressissime improbavit in epist. ad Acholium Thessalonicensem a Luca Holstenio evulgata. Quamquam inter se ista conciliare ita voluit Coutantius in Notis ad epist. 8. S. Damasi ad Acholium, ut alteram ab ea, quæ S. Damaso adhæserat, de Maximo præconceptam animo opinionem tulisse Italiæ Episcopos putaret: mirum sibi videri subjungens tamen, id Episcopos Italos latere potuisse, quod Pontifici adeo perspectum erat. Baluzius ex adverso in nova collect. pag. 817, & in append. lib. 5. Concord. cap. 21. a S. Damaso improbatam fuisse Maximi ordinationem negat. Veri mihi similior concordia videtur ex distinctione temporum ineunda: ut nempe dicatur alteram S. Damasus induisse animo de Maximo sententiam ex relatione ab Acholio litteris accepta, quæ ipsi propria fuerit aliquando, alteram ex ore ipsius met Maximi Romam appulsi, cujus participes fecerit Italiæ Episcopos. Quod autem ex stylo objicitur, leve est admodum, nec gravius illorum, quæ ad acta Synodi Aquilejensis infringenda obtrusit Chiffletius, dispulit vero Hermantius in vita S. Ambrosii lib. 3. cap. 3: quem a sacro-

rum consortio cum S. Gregorio statuendo ejusdem depositio e sede Constantinopolitana deterrere certe nequibat. Ea vero rationæ Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus denominatus est Maximus, quod a tribus, (non septem, ut Baronius scripsit), Ægyptiis Episcopis a S. Petro Alexandrino Patriarcha delegatis ordinatus fuisset, non quod Alexandrinæ Ecclesiæ præfectum Itali Episcopi reapse reputarint.

Epistolam S. Siricii in edit. Cout. 9. ad Anysium Thessal., aliosque Illyrici Episcopos pseudo-epigraphis equidem adnumerandam putat Johannes Davidius lib. de judic. Canon. Episcop. cap. 10. art. 4. ex eo ductus, quod in ea nulla occurrat mentio damnati jam Joviniani, cujus errori adhærebat Bonosus: neque etiam sacram, solidamque redoleat doctrinam S. Siricio singularem. Alios viros doctos neque defuisse, qui Epistolam S. Damaso adscriberent, superius dixi: sed & S. Ambrosio legitur attributa tum in ejusdem editis, tum in Mss. Codicibus multis, ac cum indubiis S. Ambrosii scriptis affinitatem habere a PP. Maurinis observatum est. Verum ne elabi potius videamur, quam velle pugnam inire, genuina esto epistola, veluti probabilius existimant Holstenius in Collect. Rom., Justellus in Canon. 48. Codic. Eccl. Afric., Courantius in monito ad eamdem epist., Launojus tom. 1. epist. 7. ad Samboeuvium &c., non erat tamen cur exinde Launojus se eruisse jactaret, quibus Emin. Baronio impudenter improperaret non modo, sed Pontificis jus prætensum lacesseret improbe, & proscinderet: siquidem ejus sensum nec conjectura attingere valuit. Enim vero putat ne forzitan Synodo particulari inferiorem auctoritate Pontificem? At Synodi Capuanæ sententia poterant ne adstringi Orientales, atque ab Occidentalibus de Ecclesię Antiochenæ dissidio agi, dirimendumque Theophilo Alexandrino demandari, nisi profecto ex sententia prævalentis omnibus Pontificis? Neque igitur in caussa Bonosi Anysius Thessalonicensis, etsi ab eadem Capuana Synodo delegatus, S. Siricio inconsulto, supremas Judicis partes præstare poterat. Quo itaque sensu S. Ambrosius Theophilum admonuerat de religioso officio referendi ad Pontificem Romanum, quæ de Antiochenæ Ecclesiæ dissidio decrevisset, ut Pontifici probaretur, eodem plane

plane S. Siricius Anysio significabat de Bonosi caussa sibi ex Synodi delegatione cognoscere non esse conveniens, bene vero ex suprema, qua pollebat, auctoritate posse dijudicare: quam dijudicandam nihilo secius Synodo dimittebat ea ratione, quod audiendi essent accusatores, reus, & testes in re facti: quod enim ad rem dogmatis attingebat, supremo jure Bonosi doctrinæ infamem hæresis dicam ibidem conscripsit. Sub Pontificatu S. Innocentii I. quum Bonosi, quamvis damnati, partiarii, ac discipuli in Macedonia turbas excitare non desinerent, Episcopos Macedoniæ ea certissime non invasit ambitio, ut in supremos Judices semet erigere gestirent, quin potius datis ad Pontificem litteris obsequio plenis obsecraverint, ut super controversiis excitatis a Bonosi sectatoribus proferret sententiam, quam reapse protulisse adparet ex epist. 22. in edit. Concil. cap. 5. ad Rufum Thessal., aliosque Macedoniæ Episcopos: quin insuper latum jampridem decretum ab Anysio, & Episcopis Macedoniæ a Synodo Capuensi delegatis in caussa Bonosi, quo decreto recipiendos pro bono pacis sanciverant Clericos a Bonoso ordinatos, abrogasse liquet ex epistola mox laudata; quod decretum tamen antea ab se approbatum, tum ut ita fieret, temporis necessitate exigente, fatetur eodem loci, nec non in epist. 21. ad Marcianum Episc. Naissitanum. Tantum igitur abest, ut S. Innocentius ad se veluti ad supremum Judicem appellari nefas esse putaverit, sed in Synodo Provinciæ dirimi caussas debere. Enim vero in objectata epistola ad Victricium cap. 3. dilucidis adeo verbis, ut dictum non semel est, summum istud jus Sedis Apostolicæ fartum, tectumque jubet, ut Quesnelli non tam temeritatem, qua clausulam illam expungere tentavit, demirari subeat, quam præfidentiam summam, qua contrariam exinde sententiam exculpere studuit. Ideo vero S. Innocentius Macedonibus de retractata Bubalii, & Tauriani caussa conquerentibus non divinum jus, non canonicam auctoritatem objectavit, sed solum æquitatem; quia id necesse non erat, nec enim ipsum supremum Judicem esse inficias iverant, neque fuerant conquesti de usurpata jurisdictione aliena, sed de inaudita Bubalii, & Tauriani audacia, qua Pontificias litteras supponentes, se Pontificis communione perfrui apud plebem ignaram per-

 stre-

strepebant: ac proinde æquum fuisse quammaxime scripsit S. Innocentius, ut illorum caufsa retractata, novo judicio sublesti homines supponerentur; quod grave Episcopis videri non debebat, quum ex novo ejusmodi judicio illorum audacia compescenda, non fovenda foret. Lapsus est tandem, ac turpiter cum Launojo Tillemontius tom. 14. pag.264, si putat S. Sixtum III. ab Idduæ caufsa a Proclo judicata denuo retractanda ideo abstinuisse, quod in illius Patriarchæ jus immigrandi facultatem sibi deesse arbitraretur: nam id ab eo factum dumtaxat tum officii gratia, qua illum obsequio sibi obstringeret, tum æquitatis respectu, quia ad integerrimæ justitiæ leges lata a Proclo in Idduam sententia fuerat exacta, legenti absque livore prælaudatam epistolam 9. in edit. Cout. probe fiet perspectum, atque persuasum: qua epistola quinimo Procli proprii intra terminos juris potestatem constringit, quove minus ad Illyrici Provincias excurrat, districte prohibet.

Quæ postremo opposita loco sunt, in Prolegomeno satis, opinor, superque qua profligata procul fuere, qua probum in sensum, prout patiebantur, inflexa, ut proinde in re conclusa mihi morandum non superesset. Nihilominus ne ullus offensioni locus relinqui videatur, nunc obiter eumdem revolvere lapidem non revereor. Atque quidem quodpiam caufsæ nostræ facessitum iri negotium extimeo ex Constantii Ariani Imperatoris epistola, qua per summum nefas jus sibi arripit Ecclesiæ Canones abrogandi verbis illis quam fastu plenis, tam in falso positis: *Non enim illa vires habere poterit definitio*, (ab Episcopis in Synodo edita), *cui nostra statuta testantur jam nunc robur, & copiam denegari*. Quamquam, ut verum loquar, nec Constantius ab Occidentalibus judicari posse Orientales absolute negavit, sed solummodo judicari absentes: nam tum Orientales Seleuciam ad Concilium convenerant, dum Occidentales Arimini celebrabant. Justiniani Novellam 123. cap. 22. quod attinet, a judicio Patriarcharum appellationem prohibuit quidem in caussis profanis, & civilibus, (quo loci propriæ limites potestatis non est transgressus), non etiam in caussis Ecclesiasticis. Itaque sensu isto a S. Gregorio M. lib. 11. epist. 54. Novella illa 123, quæ totius pene antiqui juris

juris Canonici synopsim complectitur, memorata est: atque ita interpretandum Justinianum conjicere licet ex Novella 137. capp. 4, & 5, quibus explicite jubet caussas Ecclesiasticas juxta Canones in Provinciarum Synodis pertractari, & definiri. Cæteroquin enim ab Justiniano Romanum Pontificem eo loco habitum, e quo Ecclesiasticis ubique rebus prospicere ipsi datum a Deo esset, ac quum opus afforet, Patriarchas ipsos Orientis de gradu deturbare, abunde, opinor, alibi est demonstratum, atque vel ex eo dilucide adparet, quod ipso præsente, & probante S. Agapetus I. P. M. Anthimum, qui Ecclesiam Constantinopolitanam invaserat, dignitate abdicavit, a qua perinde eumdem deinceps abstinere data Novella 42. idem Imperator jussit. Cæterum Imperatorum Constitutiones eum in Ecclesia gradum auctoritatis obtinere, quo a Canonibus sacris collocantur, quatenus nempe iis consentiunt, diserte edixit idem S. Agapetus in epist. 1. ad eumdem Imperatorem, qua ipsius fidei Edictum laudat, non quia ad laicos attineret de fidei rebus publice dicere, sed quia fidei regulis probe congrueret. Gratianus denique Constitutione sua ad Aquilinum Urbis Vicarium Pontificis Romani privilegia non modo ne leviter quidem labefactavit, sed confirmavit quinimo, vindicavitque: idque profecto ea tum temporis ratio postulabat; qui enim Episcopi Ursicini schismati adhærebant, nec Synodi relinquendi erant judicio, in quo actores, rei, & judices essent: nec alioqui Pontificis judicio parere, moremque gerere volebant, malentes imo ad laica passim confugere Tribunalia. E re itaque Ecclesiæ summopere erat, & intererat, ut ad standum Pontificiæ sententiæ adigerentur, & ab alienis, profanisque Tribunalibus absterrerentur: qua de Constitutione proinde gratiarum, laudumque plenas ad Gratianum litteras conscripsere Itali Episcopi. Hanc vero Gratiani legem nequaquam executioni demandatam fuisse in caussa Priscilliani, ejusque partiariorum, veluti autumavit de Marca, exinde satis elucescit, quod posteriori Gratiani indulto Priscillianus, Instantius, & Salvianus, rescissa Synodi Cæsaraugustanæ sententia, suis locis restituti leguntur lib. 2 hist. sac. Sulpitii; priori vero edicto, quo de agimus, schismati Ursicini addicti judicio Ecclesiæ stare jussi sunt: quæ duo quantum invi-

invicem pugnent, nemo probe non videt. Paucioribus demum, quo ad ejus fieri poterit, me expediam molestia ex prætenso jure Monarchiæ Siculæ conflata. Itaque quæ jura sibi vindicet Monarchia illa, quam Hispani *Spiritualem* appellant, sive Magistratus ille Clerico-laicus, quem Siculi *Monarchiæ Spiritualis Judicem* denominant, initio dicendum. Ejus ergo inter partes duo enumerantur præcipua. 1. Ut Siculi nullum stabiliter Legatum a latere inviti accipiant, sed caussæ ordinariæ in Regno exagitentur, & definiantur: ad caussas autem graviores Pontifex aliquos Chartularios, (quos fuisse Archivorum Præfectos, atque a Pontificibus ad speciales Ecclesiarum caussas cognoscendas dirigi consuevisse, explicat Radevicus Frisingensis lib.2. cap.10.), mitteret, qui una cum Regionis Episcopis easdem discuterent, ac dirimerent. 2. Ut nullus, Rege invito, e Regno evocetur Romam Abbas, vel Episcopus, nisi ad caussam dicendam graviorem, ex qua nempe sui gradus periculo subjacerent. Privilegium istud, qua ex parte excipit Legationes, & Appellationes ob caussas graviores, mutilatum fuisse conqueritur Baronius: altera vero parte adauctum observat Brietius, qua nempe Regi veluti Legato nato facultas fit Ecclesiasticas cujusque genus caussas dirimendi, inque Ecclesiasticas cujusque gradus personas censuras distringendi. Jam vero exordium istiusmodi Monarchiæ ab Anacleto pseudo-Papa inchoatum ex Petro Diacono probat Baronius ad annos 1097.n.58, & 1130.n.53. Urbano II. acceptum referendum alii contendunt, cujus hac de re diploma Rogerio datum memorat Gaufredus Malaterra lib. 4. hist. Siculæ cap.29; & lib. 7. de rebus Siculis cap.1. intexuit Thomas Fazellus. Diploma illud mutilatum ostendit Baronius, ac Rogerio, ejusque dumtaxat filiis datum. Privilegium denique istud ab Hadriano IV. in gratiam Guillelmi cognomento Mali confirmatum, adauctumque particulis illis, quas Urbanus II. non indulserat, urgens necessitas, vis, & metus incussus extorsit. Quod privilegium, (iis haud absimile, quæ a Nicolao II. circa electionem Pontificis, & a Paschali II. circa Ecclesiarum Investituras, necessitate cogente, prodierunt), postea, qua divinæ institutioni adversabatur, fuit abrogatum, qua pacis bono ad pacta honestiora redactum, inter quæ duo illa potissimum cauta

quam-

quammaxime, ut Pontifici liberæ hinc essent Legationes in Siciliam, illinc licerent Appellationes Romanæ, (siquidem tum hæ, tum illæ Primatus Pontificii appendices essent, quibus semet propria auctoritate Pontifex exspoliare nequiret), ab Innocentio III; Honorio III; Gregorio IX; Clemente IV; Nicolao IV; Bonifacio VIII; Clemente V; Benedicto XII; Clemente VI; Gregorio XI; Eugenio IV, &c. quibus Pontificibus fidei sacramento se obstringentes, a prætenso jure quoad gemina præfata capita de Legationibus, & Appellationibus se decedere professi utique sunt sequiores Siciliæ Reges Fridericus; Carolus Andegavensis; Carolus II; Fridericus II; Robertus; Johanna; Fridericus III; Alplonsus &c. Qui idipsum profiteri abnegarunt, Petrus, & Jacobus Aragonii, ab Alexandro IV, & Martino IV. anathemate devincti sunt. Consule Clementis XI. Constitutionem 114. *Romanus Pontifex* anno 1714. editam. Adisis Baronium ad annum 1130. n.53, & 1156. n. 8; atque in disquisitione de Monarchia Siciliæ ad annum 1097. n. 18. ad 143, cum Cardinalis Ascanii Columnæ judicio, ac Baronii ad eumdem respons. apologetica, nec non epistola ad Philippum III. Hispaniarum Regem edit. Paris. 1609; Christianum Lupum de Appellat. cap. 10, & seqq., ac inter alios Scriptorem Anonymum libri italice inscripti: *Istoria della pretesa Monarchia di Sicilia* edit. Rom. 1715: nam ab hac disputatione aleæ plena, quæque Baronio haud levem conflavit invidiam, libenter manum retraho meam.

Ex jure interdicto appellandi a Romano Pontifice, etiam ad Generale Concilium.

§. III.

Reliquum nunc est, ut postea quam Apostolicam Sedem appellandi a quocumque, ne Concilio quidem Oecumenico excepto, quibusque Clericis Ordinis sive superioris, sive inferioris facta est facultas, ab Apostolica Sede e converso etiam ad Oecumenicum Concilium appellare nefas esse demonstretur. Quamquam isthæc particula juris sit prioris quædam appendix, ac veluti rivulus

vulus a fonte suo sponte fluens; siquidem eopse, quod ad Sedem Apostolicam, tanquam ad supremum Ecclesiæ Tribunal, appellare licet, jam consequens est ab eadem provocare ad aliud, a Superiori videlicet ad inferius, Tribunal, illicitum esse, & interdictum. Quandoquidem attamen eo quidam in errore obversantur, ut putent a Pontifice quandoque ad Concilium appellari fas esse, non equidem a privatis hominibus, nec in particularibus caussis, sed ab universitate saltem hominum aliqua, aliquaque ex caussa communi, ad errorem teterrimum istum procul e christianorum finibus abigendum, operam aliquam conferre, agereque exemplis aliquibus, & argumentis mea abs re non erit. Principio appellationes a Pontifice ad Concilium abusum esse inauditum olim in Ecclesia, constat ex earumdem epocha. Equidem Julianus Eclanensis una cum octodecim Pelagianæ factionis Episcopis, ac nominatim ex iis Persidio, Floro, Marcellino, Orontio, Fabio &c., qui S. Zosimi Tractoriæ subscribere detrectantes, dignitate, & communione dejecti parem, atque Pelagius, Cælestiusque pœnam dederant, a S. Zosimo ad Concilium generale appellasse feruntur: cui opinioni favere S. Augustinus videtur lib. 2. oper. imperf. contra Julianum respondens ad 103. interrog. *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum est apud Apostolicam Sedem? Damnata ergo hæresis non adhuc ab Episcopis examinanda, sed coercenda est a potestatibus Christianis*: & lib. 4. ad Bonifacium cap. ult. Pelagianis conquerentibus, & causantibus se in Oecumenica Synodo minime auditos, offendens: *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit: quum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit*. Scilicet ad id sciens Pontificis Summi sat esse judicium; sicuti frequentissime factum suo ostendetur loco. Ex quibus interea adparet, quæ S. Augustino de recusatione Apostolici judicii, ac recursu ad alios etiam in Synodo Judices, egregia adhæreret sententia. Quia vero plerisque oppido multis opinandi a Pelagianis utique a S. Zosimo provocatum fuisse ad generale Concilium occasionem præbuit libellus fidei a Juliano suo, ac partiariorum nomine conscriptus, in quo Synodi appellatæ fit mentio, præ-

stat

ſtat obiter animadvertere in libelli illius epigraphen, ex qua fas erit elicere nequaquam a Pontifice interpoſitam fuiſse a Pelagianis appellationem. Ejuſmodi itaque epigraphes eſt: *Sancte Venerabilis Frater, & Pater Auguſtine*: atqui Garnerius, qui libellum huncce ex Ms. Codice Veronenſi primus omnium publici juris fecit, in diſsert. 5. de libellis fidei a Pelagianis editis loco *Auguſtine* legendum jubet *Zoſime*: quare quum eo in libello ab eo, cui offerebatur, interpoſita appellatio legatur, conſequens eſt, ut a S. Zoſimo provocaſse intelligantur Pelagiani. Atqui libellum illum fidei a Juliano oblatum fuiſse non S. Zoſimo, ſed Auguſtino Primati Aquilejenſi, ideoque Auguſtini nomen e loco epigraphes haud movendum oſtendit Emin. Noriſius in Notis ad inſcriptiones epiſtol. Synodalium inter Auguſtinianas 90, & 92. Et certe eodem tempore poſt Chromatium ab anno 414. ad 422. Patriarcham Aquilejenſem exegiſse Auguſtinum tum refert Palladius lib. 10. rerum Forojul., tum legitur in ipſius elogio litteris pluſquam uncialibus in aula Patriarchali Utinenſi deſcriptum. Itaque ab Auguſtino Primate ſuo ad plenariam Synodum appellaſse eo loci Julianus eſt intelligendus.

Illud itaque certum eſt tum ab eo tempore, Concilii nempe Conſtantienſis, quo cæpit præpoſtera opinio de poteſtate Concilii ſupra Pontificem, a Pontifice ad Concilium appellationes frequentari cæpiſse. Quamquam inficias haud ibo ante id temporis non defuiſse aliquando, qui deſperatis rebus ſuis ex nefario iſto medio fruſtra opem quærerent. In quibus Fridericus II., quem primo appellantium loco poſuit Petrus de Marca, a quo non tam ab Innocentio IV., quam a Concilio I. Lugdunenſi ad aliud generale Concilium appellatum eſt, ſed appellatione ſua præter contemptum nihil eſt conſequutus. Clerus Anglicanus, a quo ægerrime ferente exactiones pecuniarum ex mandato Pontificis in Regno fieri, appellatum anno 1256, atque ſeqq. annis 1264, & 1267. inſtauratam appellationem ex Matthæo Pariſio referunt Fleurius, & Boſsuetius, qui poſterior hanc primam auditam in Eccleſia appellationem exiſtimat. Johannes Semeca, qui a Clemente IV. ideo, quod decimas Eccleſiarum bello ſacro in Syria

addixisset, ad generale Concilium appellare non dubitavit: sed a Pontifice excommunicatione perculsus, justas temeritatis pœnas luit. Philippus cognomento Pulcher Galliarum Rex, qui ad quæstiones excindendas potius, quam expediendas, quæ cum Bonifacio VIII. ei gravissimæ erant, & implicatissimæ, hoc pessimum appellationis medium arripuit, quamque ad adjuvandam in partes rapere multos plerosque ex Clero Gallicano non abstinuit. Quam infaustum ei pepererit exitum tam ingens nefas, abunde patet ex Bonifacii Constitutionibus incipientibus: *Rem non novam*: *Super Petri solio*: *& Sedes Apostolica*; præstabitque adire Raynaldum ad annum 1296. n. 22, & seqq.; Spondanum ad eumdem annum n. 4; Thomassinum vet., & novæ discipl. par. 3. lib. 1. cap. 43; & Auctorem tractatus de Schismate edit. Rom. anno 1736; quin ego nunc verbis meis vulnera ista refricem. Ad hanc interea velut ad caput revocat Pithæus originem earum quotquot appellationum, quas postea insana Pontificibus obsistendi licentia invexit: quarum exemplar a Bzovio ad annum 1324, & Baluzio tom. 2. vitar. Roman. Pontif. Avenion. descriptum est, æstimari debet ea, quam deinde a Johanne XXII. e fastigio Imperii deturbatus Ludovicus Bavarus interposuit: successu tamen haud altero, ac meliori ab eo, quem hactenus erant aliæ sortitæ, quas ad unam omnes male cessisse, ac tandem in schisma, ac hæresim etiam devenisse recte observavit Franciscus Victoria Relect. 4. propos. 20, quo loci egregie materiem istam exagitat.

Quamvis, inquam, ante Concilii Constantiensis, ac Basileensis infaustam epocham, eadem, quæ nullo non tempore schismatum, hæresumque monstris ortum dedit, temporum nequitia hujusmodi quoque flagitia enixa fuerit, longe tamen plura dehinc peperit, quæ posthac de Concilii potestate supra Pontificem opinio concepta est. Cui certe accepta referri debet, quæ in Concilio ipso Constantiensi a Paulo Voladinuri e Poloniæ Legatis uno interjecta legitur: quam tamen præfocare ipso in exordio, imposito sub pœna excommunicationis silentio, extemplo non prætermisit is ipse, qui potestate Concilio se longe præstare haud semel monstra-

ftravit, Martinus V; atque ad hujufmodi impofterum præcavendos nefarios aufus Conftitutione anno 1418. evulgata denuntiavit: *Nulli fas eſt a Supremo Judice, videlicet Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice, Jeſu Chriſti Vicario in terris, appellare, aut illius judicium in cauſſis fidei, quæ tanquam majores ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam referendæ ſunt, declinare*. In Concilio Bafileenfi contentione excitata de obedientia Eugenio IV. abdicanda, cogitatum pariter, & conventum eft a partiariis de appellando Concilio. At qui fronte adverfa grandi abfque piaculo legitimo Pontifici obedientiam detrahi nequire pugnabant, pari flagitio fe implicare, qui a Pontifice ad Concilium provocare auderent, abfque dubio concludebant. Horum Pontificii juris defenforum qui facile antefignanum fe dedit, Johannis de Turrecremata infignem tractatum infcriptum: *Contra aviſamenta Baſileenſium: Quod non liceat appellare a Concilio ad Papam*, & è converfo, e tenebris eruit, & ex Mf. Lucenfi defcriptum edidit doctif. Manfius, fuoque inferuit fupplemento Conciliorum tom. 4. una cum aliis ejufdem Auctoris tractatibus ineditis. Ab hac præpoftera Bafileenfium opinione, atque ab illorum præfumptione, qui Martini IV. Conftitutionem parvi, nihilique faciendam fcripturire non deftiterunt, fiduciam accepiffe deinde mihi videtur Academia Parifienfis, Clerufque Provinciæ Rotomagenfis appellandi ad futurum generale Concilium ab exactionibus Decimarum ad bellum Turcicum indictarum a Callifto III. Atqui Pontifex ad confringendos aufus hujufmodi miffo Alano S. R. E. Cardinali Legato viros Academicos, Clerumque illum revocare appellationem compulit, dataque Conftitutione a Raynaldo ad annum 1456. recenfita, iftius generis appellationibus ignominiæ dicam inflixit. Gallicanæ more, & exemplo Natio Germanica eadem licentia, ab eodem Pontifice, eamdem ob caufsam provocavit, caufsata defuper quafi gravem Ecclefiæ Germanicæ inferret injuriam, pecunias extorquens in facram expeditionem non infumendas, fed in ufus fuos: quam atrocem calumniam multis Calliftus depulit litteris anno 1457. ad Fridericum Imperat. datis, quas refert S. Antoninus tit. 22. cap. 14: quin etiam Apologia adornata, infcriptaque ad Martinum Mejerum, quam exhibet Raynaldus ad

 cit.

cit.ann.,Callistum omni ab invidia liberavit Æneas Sylvius,atque Germanorum querelis exsufflatis, quantum irrationabilis, absurda, & delusoria ejusmodi appellatio esset, demonstravit. Fridericus Alphonsi Aragoniæ, & Siciliæ Regis Nothus ad Siciliæ Regnum vehementer inhians, sed a Callisto extremis intentatis minis deterritus, non tam Eugenii IV. arcano quodam suffultus diplomate, quam improba opinione illa animatus ab edicto Pontificis ad futurum Concilium provocavit, uti refert S.Antoninus tit.22. cap. 16. Disputationem ingredi nolo de jure, quo nemo, quoad successionem Regni, spurius respectu Matris reputetur: quod invaluisse apud Græcos refert Luitprandus lib.5.cap.5;& apud Latinos plerosque testatur Glaber Rodulfus lib.4. cap.6.: quod exemplis quoqueConstantini M.,Theodorici Gothi,Clodovæi I.,Caroli Martelli, Guillelmi Conquæstoris &c. facile comprobari potest; quodque perinde in Siciliæ Regnum integrum sibi esse Fridericus, & subinde Petrus Aragonius adstruebant: aliunde enim appellationis ejusmodi injustitia elucescit: Regnum enim Siciliæ fiduciario jure a Sede Apostolica tenuerat Alphonsus, atque in litteris, quibus Regnum Eugenio IV. acceptum retulerat, inter alios in hunc articulum juraverat. *In Regno, & Terra prædictis nullus succedat, qui non fuerit de legitimo Matrimonio procreatus.*

A Pio II. Sigismundum Austriacum, & Gregorium Heimburgium ob Ecclesiasticam libertatem violatam in Nicolao Cardinali Cusano, & Episcopo Brixinensi; nec non Dietherum Moguntinum annatam solvere detrectantem, censuris confixos, appellatione nihilprofecisse, sententia Pontificis prævalente, dictum est alibi. Observatu nunc digna Pii Constitutio *Execrabilis* anno 1460. in Conventu Mantuano communi Episcoporum consilio edita, cui occasionem dederat Johannes Dauvet Caroli VII. Galliarum Regis Orator, ejusdem Regis nomine a Pontifice in Pragmaticam Sanctionem exasperatissimo provocans: ea enim Constitutione tum erroris deturpissimi caput, ex quo deterrimus hic abusus traxit originem, detegit, tum devexiorem, sub qua inolevit, ætatem designat, atque demum exerto gladio abusum in christianæ Reipublicæ exitium tam evidenter vergens, quam in probrum Romani Pontificis, amputat, & profligat. Quod argu-

gumenti genus latissime prosequens in epistola 400. ad Burgi Magistros Oppidi Nurimbergensis, id adeo graviter agit, luculenterque, atque ad eos ab hujusmodi abusu deterrendos momenta adeo invicta in medium producit, ut recolere non pœniteat, nec imo præterire liceat. *Quum*, sic incipit, *nullum Regnum, ut ipsius Domini nostri verbis didicimus, in se divisum stare possit, quonam modo Sacrosanctum stabit Ecclesiæ Regnum, si illi, qui Christi supremo Regis Vicario parere contemnunt, de Regni non valeant sorte depelli. Adversus hoc inquassabile fundamentum, & Ecclesiæ firmam Petram haeresis quædam a parvo tempore citra sensum visa suboriri, pullulavit; quæ sub ovium vestibus lupos rapaces intrinsecus celans, sub appellationis specie, Ecclesiæ satagit unitatem convellere. Nam si quæ Christi unicus Vicarius, Canonibus sacris etiam, & juris scripto inhærendo, decrevit, statuitque, & servari, ut dignum est, præcepit, calumniatores malevoli, & perversi subterfugere justitiam præsumentes, per ludibrium frivolarum appellationum ad futurum Concilium, ceu ad id; quod nusquam est, ac supra Christi Vicarium esse, aut reperiri nequit, obedientiam, quæ est de necessitate Ecclesiæ, & salutis universorum, improbe declinant, ac temere.* Quibus nihilosecius præoccupata de Concilio potiori auctoritate præ Romano Pontifice alte hærebat animo opinio, Theologi Parisienses a litteris Pauli II. Pragmaticam Sanctionem abrogantibus anno 1467. appellandi facultatem sibi arrogarunt. Flocci, naucique factam, uti digna erat, appellationem hancce, rei demonstravit eventus: nam Pragmaticæ abrogatione semel a Pontifice promulgata, & vicissim a Ludovico XI. ultrocitroque amplexata, nunquam illa redintegrata est. Videsis Leonardum Coquæum in Antimornæo tom. 2. ad opposit. 63, & Illust. Johannem Baptistam Braschium de Libertat. Eccles. tom. 2. Sæcul. XVI. cap. 5. Instaurata pugna, accitoque in partes supremo Parisiensi Senatu, a Concordatis Bononiensibus Leonem X. inter, ac Franciscum I., & a Pragmaticæ abrogatione a Parisiensi Academia provocatum est denuo. Atqui vanissimum ausum, quem gravissimis verbis carpsit, & castigavit doctiss. Melchior Canus de loc. Theolog. lib. 5. cap. ultim. ad 9., religioni, legi, ac tempori cedere de-

debuisse, quæ nunc obtinet, Concordatis Bononiensibus consentanea, in Ecclesia Gallicana disciplina liquido ostendit.

Pervulgata est, tritaque plurimorum sermone, quam a Sixto IV. Pontifice M. Florentini, ab eo Christianis sacris ideo interdicti anno 1478, quod violentas in Franciscum Salviatum Pisanum Archiepiscopum manus injecissent, nec a sacrilegis aliis facinoribus abstinuissent, ad Concilium interjecerunt, appellatio: quinimo invidiæ adeo plena, quam ut recolere verbis intersit. Religio mihi est tamen, quominus taceam de egregio responso, quod Oratoribus Gallis Ludovici XI. nomine, qui Florentinorum partes favore suo adjuvabat, Concilium postulantibus, aut ad Concilium provocantibus mactus animo Pontifex reposuit publico in Cardinalium Senatu anno 1479, scilicet: *Non consuevisse Christianissimos Reges facile se committere judicio Dei, & pœnis, quas lex Divina decernit in eos, qui summi Sacerdotis imperio restiterint. Decere, ut Rex Carolum M. imitetur, cujus praclara illa verba sunt*: In memoriam B. Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam Ecclesiam &c. Integrum locum habes descriptum to. 1. Vind. Art. 6. §. 2. pag. 594; post quæ sic pergit. *Romanum Pontificem de judiciis suis nemini rationem reddere teneri; nihilominus se de singulis querelarum capitibus facile purgaturum: Concilio quoque, si facile congregari posset, nihil fore sibi conducibilius; quum Pontificis solius sit, qui Universalis Ecclesiæ Caput est, Concilio praeesse; Concilii vero partes sint libertatem Ecclesiasticam tueri. Florentinis, & Laurentio Medicæo, ut scelerum veniam a Christi Vicario postulent, auctorem potius esse ipsum debuisse, quam talia suis Oratoribus demandare.* Responsum hoc refertur ex Mss. Vaticanis a Bzovio, & Raynaldo ad ann. 1478, atque ex ipsis a Pagio Brev. hist. Crit. in Sixto IV. Excerptum ejusdem Constitutionis incip. *Cum superiori anno*, qua idem Pontifex Venetos ad Concilium provocantes compescuit, ac pro re nata, gravissimam, quæ ex hoc genere abusuum Pontifici inferebatur, injuriam propulsat, egregieque, ac evidentissime demonstrat hanc supremi juris Pontificii detrahi particulam nequire, quin divinæ institutioni derogetur, Patrum traditio parvipendatur, Ecclesiæque universæ ordo susque deque turbetur, & pervertatur, ex Raynaldo, & Bernino

nino exhibui hujusce Tomi 3. art. 1. §. 2. pag. 121, & seq. Porro Sixtum IV. eo in responso Oratoribus Gallis dando Andreæ Dalmatæ Archiepiscopi Cyainensis ingenio, eloquioque usum adnotavit Felinus in additis ad historiam suæ ætatis adhuc ineditam Sigismundi Fulginatis, teste doctiss. Mansio in animad. ad Bibliot. Fabricii mediæ, & infimæ latin. tom. 1. lib. 1. pag. 92. Edit. Patav. 1754. A Sixto IV. Andream huncce, quem perperam Archiepiscopum Craynensem, sive Carnensem in Carinthia nuncupat, appellasse, variisque scriptis, vocatis in testes Warthono, & Hottingero tom. 15. hist. Eccles. pag. 355, & 605, Pontificis Romani auctoritatem oppugnasse affirmat Fabricius.. At Mansius loco mox indicato ex Sigismundo Fulginate in Codice cit. Felini nunc juris facto Eccles. Lucens., & Mathia Decringio continuatore Chronici Engelhusi apud Menkenium Rer. German. tom. 3. pag. 38. observat quidem Andream hunc maledicentissimum hominem carpere publice Sixti vitam non desinentem, atque Principes, & Episcopos ad Concilium contra Pontificem adhortari, & instigare non cessantem, Sixti jussu in Adriani arcem primo, ac deinde Basileæ in carcerem conjectum fuisse, sed de appellato contra Pontificem ab Andrea Concilio ex his locis nihil eidem indicare licuit: quinimo ab illo in carcere detento scripta, ac dicta sua demum adversus Pontificem retexta fuisse, & revocata anno 1483. ex Decringio loco indicato animadvertit.

Quum Innocentius VIII. decimas ad bellum sacrum anno 1491. indixisset, ab eo ad Concilium provocavit Academia Parisiensis, caussata ea indictione decreta Concilii Constantiensis everti, non secus ac Ecclesiasticorum immunitatem imminui. At quis probe non videat, quod si Pontifici Maximo pro bello sacro adversus Christiani nominis hostes gerundo decimas indicere non liceret, nullo id unquam omnino licitum occurreret casu: quod quam absurdum est dicere, tam absona fuit ea Parisiensis Scholæ agendi ratio. Julius II. eo ipso, quo ad vindicandas Romanæ Ecclesiæ res temporales ferebatur animi ingenti ardore, quin etiam majori flagrans defendendi, ut erat dignum, jura spiritualia, quæ sua erant propria, ac suprema, vix acce pit ab Edicto ab se lato anno 1509, quo gravissimis adjectis pœ nis Urbes Romanæ Eccle-

Ecclesiæ a Venetis occupatas restitui absque cunctatione præceperat, Ducem, Senatum, Populumque Venetum provocasse, ut e vestigio, anno eodem 1509. videlicet, Constitutione edita, quæ incipit: *Suscepti Regiminis*, cuique facti pœnitentes Venetos morem gessisse; utque ipsorum religioni decebat, sequenti anno solemni, amplissimaque decreta ad Pontificem legatione, ab appellatione decessisse, pluribus denarrant Raynaldus ad cit. annum, & Pagius in Julio II, præmemorata ea, quam pari ex caussa Pius II. in Conventu Mantuano adornaverat, inter alia declaravit, & decrevit prædictam Pianam Constitutionem tam citra, quam ultra Montes valere; tam contra Ecclesiasticas, quam laicas personas; tam singulares, quam publicas, etiam Regali dignitate illustres, etiam Cardinalatus infulis adspectabiles; quin etiam Capitula, Universitates, & Communitates, Curias item supremas, Collegia, ac insuper Synodos: qui contra oblatrare, & obluctari adhuc auderent, tanquam Schismaticos proculdubio, atque eodem perinde loco haberi, quo tenentur quotquot fide laborant, denuntians. Ex quibus patet fictitiam plane, & arbitrariam esse illorum Parisiensium quorumdam interpretationem, quæ Natali hist. Eccles. ad Sæcul. XV, & XVI. dissert. 4. art. 3., ac Bossuetio defens. declar. part. 2. lib. 15. cap. 28. haud displicuit, qua scilicet Pii II. Constitutionem *Execrabilis* in caussis privatis dumtaxat, non etiam communibus locum habere, deque appellationibus interpositis a personis singularibus, ac privatis, non vero a publica Communitate, accipi debere imaginantur. Scriptorum sermone cunctarum celebratior evasit ea, quam a Leone X. Lutherus libello conscripto anno 1518. interjecit. Atqui orthodoxis omnibus adeo invisa accidit, atque irrisa appellatio est, ut vel ipsius auctorem pœnitere debuisset, ac pudere: nisi ad ejusmodi semet comparasset ingenium, ut id, quod pudet, ac pœnitet, facilius faceret. Quamvis autem postea Concilium Tridentinum habitum fuerit, cunctisque patefactæ ejusdem fores, ipsique imo Protestantes ad illud invitati, nulla tamen interjectæ a Luthero appellationis ad illud delatio facta, aut ab illo admissa fuit. Præter has a Clemente VII. ad futurum Concilium appellasse Carolus V.
Im-

Imperator anno 1526. fertur: qui paullo post attamen a Pontifice humanioribus litteris exceptus, benignores ad eumdem reddidit: & quamvis imo postea a bello Pontifici inferendo non pepercerit, appellationem tamen prosequendi amplius cupido, aut consilium ipsum nequaquam incessit.

Postremus heic locus faciendus appellationibus, quas devexiori hac ætate Jansenistæ, Quesnelliani, ipsorumque partibus addicti quam frequenter objecerunt, tamquam clypeos ad reflectendos, eludendosque ictus a gladio Apostolico ipsorum cervicibus incumbentes, tam frequentes ad conflictationes, ingenti cum rerum divinarum, humanarumque perturbatione, ac pernicie, reciprocas, exasperatasque in Gallia turbas civerunt. Quamquam vero eorum, qui suæ a Clementina Constitutione *Unigenitus* appellationi sunt adsociati, catalogum exaggerare Quesnelliani studuerint, ut numero incautos terrerent, suæque secessioni auctoritatem ex multitudine sociorum conciliarent, inito tamen calculo, de jactata summa multum detraxit Illustrifs. Lafitæus Episcopus Sistaricensis hist. Constit. *Unigenitus.* lib. 4. pag. 190. Enim vero enarrat ex certo documento deducto ab Auctore Anecd. tom. 3. pag. 248, quod quamvis a Quesnellianis ad comparandos appellationum libellos, plures quanto posent, mutuo accepta fuisset ingens pecuniæ copia, ad decies centenas, quadringentasque desuper mille libras Parisinæ monetæ, tanto attamen pondo auri vix, ac ne vix quidem consequutos, ut auctorarent, ac in partes allicerent proletarii generis mille octingentos despectos homines, qui appellationum libellos de eorum manibus accipere voluerint. Ex Archiepiscopis 18, & Episcopis 112. Galliarum, plusquam vero 600. extra Gallias, vix quinque, aut septem repertos esse, quos hæc appellandi libido in transversum egerit: e quibus Cardinalis Noallius postea facinoris pœnitens datis ad Benedictum XIII. P.M. litteris obsequio plenis appellationem sibi cordi dolere, sinceroque animo ab ea decedere significavit. Ex Academiis 23. in Gallia, ac 70. circiter extra Gallias, vix tres Parisiensem, Remensem, & Nannetensem eodem seduci se errore passas fuisse: a quo tamen postea solemni, ac plus vice simplici retractatione edita, recesserunt. Quadra-

ginta inter mille Parochos, quot ferme dinumerantur in Gallia duntaxat, centum vix circiter appellationibus hujusmodi adstipulatos; totidemque ferme Regulares ex tot millibus eamdem labem contraxisse. Sed & ex illis segregibus quamplurimos facti pœnituisse, & ad frugem regressos appellationem revocasse denarrat Auctor Bibliot. Jansen. tom. 1. pag. 35; docet vero exemplo suo, duabusque epistolis de sua retractatione elucubratis D. Vincentius Tuillierius. Qui vero in pertinacia manere, & permanere maluerunt, quo demum in numero, probe putas, habiti sunt? Parum nullo, nisi etiam pessimo. D. Fleurius a Duce Aurelianensi tum Regni administratore de sententia quæsitus Pelagianis illos, ac Lutheri partiariis, quorum vestigia relegebant, adcensendos indubitanter respondit. Ab Ecclesia Gallicana hos appellantes pessime audivisse liquet ex publicis edictis a quinquaginta ferme Galliarum Episcopis promulgatis, queis juxta Constitutiones Pii II, Julii II. &c. hujusmodi appellationum libellis publica ignominiæ nota inflicta est. Atqui libellis hisce longe ignominiosius adhæsit probrum ex decreto Clementis XI. in Congregatione S. Officii procuso, dieque 8. Februarii 1718. publici juris facto, quo confixi libelli illi sunt, & proscripti: quin eodem probro respersa est perinde epistola a septem Galliarum Episcopis, qui pridem ex Parisiensium Theologorum persuasu adversus Constitutionem *Unigenitus* instrumentum appellationis conscripserant, anno 1721. die 9. Junii exarata ad Innocentium XIII., adversus Clementinam Constitutionem querimoniarum quidem, adversus Pontificem autem injuriarum differtissima: nam propterea decreto Congregationis S. Officii coram Innocentio XIII. habitæ die 8. Jan. 1722, ac die 29. Martii promulgato, tanquam schismatica tota, ac spiritum hæresis spirans, damnata est, & ob injurias, tetrasque calumnias, quibus in Episcopos Catholicos, & Apostolicam Sedem redundabat, nigro stigmate inusta. Quin etiam Ludovicus XV. pro sua erga Pontifices, Ecclesiamque religione eximia, habito die 29. April. ejusdem anni 1722. sacratiori Consilio eamdem epistolam veluti injuriosam Sacerdotio æque, ac Imperio, seditiosam, & schismaticam, atque Pontificali nedum, sed etiam Regali dignitati, auctoritatique detrahentem, pro-

proscripsit, ac deleri præcepit. Ad hæc quum a litteris Clementis XII. anno 1736. datis, quibus ab invasa dignitate abdicebatur, instrumento appellationis interjecto, atque ad Emin. Thomam Philippum de Bossù Cardinalem Alsatiæ, & Archiepiscopum Mechlinensem transmisso, Vander-Croon pseudo-Archiepiscopus Ultrajectinus ad futurum Concilium provocasset, rei indignitate gravissime ad indignationem commotus amplissimus Cardinalis, doctissimo responso dato evidentissime ostendit Proseuchæ novæ Hollandicæ Caput, & membra in hæresis, & schismatis luto indubitanter hærere. Postremo a duobus Brevibus ab se expeditis ad Catholicos in fœderato Belgio, quum accepisset Benedictus XIV. appellasse ad futurum Concilium pseudo-Archiepiscopum Ultrajectinum, ac pseudo-Episcopum Harlemensem Johannem Van-Stiphout, cujus electionem singulari Constitutione edita anno 1745. incipiente *Tam præclaram* idem Pontifex improbaverat, Constitutione altera 137. eodem anno 1745. evulgata, quæ incipit: *Altissimo Divinæ providentiæ consilio*, interjectæ appellationis hujusmodi instrumentum diris cunctis devovit. Universim vero a Pontifice Romano ad futurum Concilium provocantes Constitutione 14. *Pastoralis Romani Pontificis vigilantia* anno 1741. §. 2. prædamnaverat, excommunicationis, Prædecessorum more, inflicta pœna.

Quæ hactenus ad hunc deterrimum appellandi a Pontifice abusum e Christiana Republica procul abigendum dixere, præstitere, ac decrevere prælaudati Summi Pontifices Innocentius IV, Clemens IV, Bonifacius VIII, Johannes XXII, Martinus V, Callistus III, Pius II, Sixtus IV, Julius II, Leo X, Clemens VII, Clemens XI, Innocentius XIII, Benedictus XIV. &c; non equidem ex proprii juris æstu defendendi fuisse profecta, sed jugi ex traditione potius religiose, ut par erat, in Romana Ecclesia retenta dimanasse, exinde arguere, (atque ita a facto ad jus argumentum nunc procedit), fas est, quod infixam jam pridem Decessoribus suis eamdem animo persuasionem insedisse haud ignorarent. Cujus traditionis certissime testes liquidos, locupletesque se præbent SS. Julius I, Innocentius I, Zosimus, Bonifacius I, Gelasius, Bonifacius II, Vigilius, Agatho, Nicolaus I, Leo IX, Grego-

rius VII, Urbanus II, Paschalis II, Alexander III, Urbanus IV, &c., quorum loca recolere licet hoc Tom. 3. Art. I. §. II; quibus adjungenda C. *Nemo*; C. *Aliorum*; C. *Facta*; C. *Ipsi sunt*; & C. *Cuncta* 9. q. 3, nec non Glossa, & Interpretes ibidem. Constantem adeo, certamque doctrinam non mirum itaque contingere debet in Bullas *Cœnæ Domini* videre derivatam. Quamquam vero Eruditi non conveniant circa tempus, quo Bullæ Cœnæ cœperint, neque de vicibus, quibus eadem Bulla intra ejusdem anni tempus evulgari consueverit; etsi veri æstimari similius sit viguisse nedum ante Clementem V, uti communior Doctorum nunc habet sententia innixa Clem. I. *de Judiciis*, ubi statis anni solemnibus diebus (Jovis hebdomadæ sanctæ, Ascensionis Dominicæ, & Dedicationis Basilicarum SS. Petri, & Pauli) quosdam processus a Romanis Pontificibus fieri consuevisse commemorat, sed etiam ante Urbanum III., veluti haud obscure indicare videtur Hostiensis circa annum 1250. in vivis exigens, in tit. *de Crim. falsi* lib. 5. §. *Qualiter committatur* vers. *Porro*; etsi insuper certum sit tot casus, quot nunc continet, olim in ea comprehensos non fuisse, sed pro opportunitate adjectiones factas a Martino V, Paulo II, Sixto IV, Leone X, Paulo III, Julio III, Paulo IV, Pio V. &c., certumque videatur demum Martino V. morem eamdem Bullam publicandi semel in anno in Cœna Domini non esse antiquiorem, in confesso est tamen Pianam Constitutionem *Execrabilis* a Gregorio XIII. Const. 81, & Paulo V. Const. 63. insertam fuisse in Bullam *Cœnæ Domini*, exindeque ibidem locum hactenus obtinuisse. Adeo vero indefinitæ, universalesque locutiones adhibitæ a Pontificibus leguntur, institutioni divinæ, & traditioni Ecclesiasticæ, S. Petri Primatui suffultæ, nec non Canonibus sacris, & consuetudinibus conformes, ac confirmatæ, ut locus proinde non sit intortis adversariorum interpretationibus, quibus Pontificias definitiones de quibusdam tantum caussis, idest privatis; de quibusdam tantum personis, idest singularibus; de quibusdam tantum sententiis, idest receptis, jubent intelligi.

Atqui utinam tum ii, qui ab hujusmodi appellationum abusu nedum destiterunt, tum ii, qui ab earumdem defensione nondum absti-

abstinent, a veritate summopere abhorrentes homines, ac contra veritatem nihil non audentes pro pessimo, quo erga Pontifices animo sunt affecti, nec exemplis superius recitatis confusi, nec censuris supra recensitis deterriti, utinam, inquam, tandem, si ratione utuntur, e rationis penu ductis momentis invictissimis se vinci paterentur! Quid inquio rationis? E principiis, si hæc probe tenent, fidei suapte profluentibus. Enim vero Romanus Pontifex in Ecclesiæ regimine S. Petri ex asse Successor est, Primas, & Monarcha, itaque, sicuti Regis in Regno supremum est Tribunal, a quo appellatio nulla est, ita Pontificis in Ecclesia supremum est Tribunal, a quo appellare fas nemini sit. Hoc simili se habet modo, ac si dicatur nec minus dilucide: Romanus Pontifex Ecclesiæ universalis est Caput visibile, ac Christi D. in terris Vicarius: at unum, idemque Vicarii esse Tribunal, ac ejus, cujus vices agit, nemo ignorat: Cap. *Inter corporalia*. C. *Quanto* C. *Licet de Translat.*: unum etiam, idemque Ecclesiæ judicium, atque ejusdem Capitis esse nullus non intelligit: De Luca de Benef. disc. 21, & 45, Barbosa Juris Eccles. Univ. lib. 1. cap. 2; Thomassinus vet., & novæ discipl. par. 1. lib. 1. cap. 6. &c. Quandoquidem igitur a Tribunali Christi D., aut a judicio totius Ecclesiæ appellare non licet, ita neque licebit appellare a Romani Pontificis judicio, ac Tribunali. A positivo nunc argumento, veluti vocant, procedendo ad negativum, quod parvi momenti non est in rebus pertinentibus ad dogmata fidei, morumque disciplinam, si a Pontifice ad Concilium appellandi aditus esset apertus, quis probe non videat Ecclesiæ bono non bene provisum a Christo D., siquidem gravissimis hinc consequentibus incommodis non obviam satis ivisset, quod vel cogitatione fingere grande est facinus? Enim vero ultra quam quod absonum fuisset, absurdumque jurisdictionem suam, quam in Vicarium suum integram contulit, Concilio subjugare voluisse, id cumprimis incommodi consequeretur, quod controversiarum nullus foret finis: quippe si finiendæ forent a Concilio propterea appellato, præterquamquod Concilio, quominus congregetur, locumque in unum confluat, pleraque multa, quæ alio in loco tetigimus, impedimento esse possunt, fore, ut a Pontifice, ad cujus id attamen partes attinet,

net, nunquam congregetur, quis non perspiciat, scilicet ne suæ ab eo sententiæ rescindantur, siquidem eatenus, spem omnem videndi rescissas in Synodis resecarunt toties Pontifices, quoties ad hanc ansam provocandi amputandam falcem applicuerunt? Esto vero, indiceretur Concilium, ferrent ne æquanimiter Pontifices in eo suas infringi sententias, an infractas potius confirmarent, infirmato e contra Concilio, definitisque ab eo dissolutis? Itaque æternæ non cessarent controversiæ; quique eas concluderet tandem, idoneus nullus exaudiretur Judex. Ut enim optatus eis finis imponeretur, Judicem ejusmodi intervenire oporteret, de cujus jurisdictione nulla succurreret dubitatio: at enim saltem dubium est solidum, an Concilium potestate sit Papa superius: nutabit itaque Concilii judicium, si Papa, ut impune potest, nolit ei adquiescere; nutabit vero judicium Papæ, si absque culpa nolle adquiescere quispiam possit, qui nempe absque culpa ad Concilium possit appellare. Itaque schismatibus, hæresibus, scandalis Pontifex, Ecclesiaque occurrere efficaciter nunquam possent. Ejusmodi ergo erant incommoda Ecclesiæ ingruentia, quæ objiciebant, urgebantque olim Callistus III. in Respons. ad querelas Germanorum; Sixtus IV. in Resp. ad Oratores Regis Galliarum; Pius II. in Apolog. ad Martinum Meyerum, & Constit. *Execrabilis*; Rodulphus Decanus Wormat. Pii II. Nuncius in Orat. habita ad Conventum Moguntinum adversus Dietherum apud Gobelinum lib.*6*. Comment. Pii II; Julius II. in Constit. *Suscepti Regiminis*; & Leo X. in Bulla *Exurge Domine*.

Experientia demum rerum magistra docet ejusmodi appellationes nunquam bene cessisse, cessisse imo in deterius, turbas, disordias, interminabiles lites, violationes legum, Ecclesiarum scissiones, depravationes morum, fidei subversionem, rebelliones adversus Potestates cum Ecclesiasticas, tum Civiles, rerum divinarum, humanarumque perversionem, christianæ Religionis perniciem, & Christianorum partem multam damnationes: uti reapse cessisse, & successisse videmus, & dolemus ex hujusmodi appellandi licentia, & abusu inducto in Germaniam a Lutheranis, & in Galliam a Jansenistis. Veritatis testes, vel inimicos ipsos invoco, qui quó suis appellationibus tandem tenderent, occulere aut nescie-

ſcierunt, aut nequiverunt . D.Thierrius Amſtelodamo ann.1727, quò transfuga ſe receperat homo Janſeniſta , ad D. Petit-pied earumdem partium Doctorem Pariſienſem Pariſios ſcribens, duosque memoriales libellos mittens , (qui D. Blondello Janſeniſtarum fautori Batavia comportandi Pariſios, reſignandique partiariis, confiſi fuerant , ab hoc vero forte ablati in Regia Bibliot. repoſiti ſunt, teſte D. Targnio Bibl. Cuſtode apud Auctorem Bibliot. Janſen. tom. 1. pag. 9.), Thierrius, inquam , ſcribens, poſtquam diræ feræ modo debacchatus fuiſset in Benedictum XIII. P. M., ideoquod in Concilio Romano Conſtitutionem *Unigenitus* tanquam fidei regulam habendam fore declaraſset, quaſi hacce declaratione Catholicæ Eccleſiæ feciſset fucum, certiorem amicum Parvum-pedem facit de inito a partiariis conſilio Pontifices Romanos nedum,ſed Reges Galliarum etiam eò demum adducendi,adigendique,velint,nolint, ut iſtiuſmodi injuſtitias, injuriaſque (ſuo videlicet ſenſu ad parendum Pontificiis Conſtitutionibus compellendo) exercere ſive per ſe, ſive per adminiſtros ſuos deinceps nequeant.D.De Witte Lovanienſis doctor eodem Janſeniſtico felle repletus, quid non evomuit? Parum habuit librum Emin. Cardinalis Sfondrati inſcriptum : *Nodus Prædeſtinationis diſsolutus* abominandum declamare : parum librum Janſenii aureum, divinumque deprædicare : parum effutire Eccleſiam Romanam ob librum Sfondrati pejus quam Pelagianos ipſos , Pelagianam ſe exhibuiſse ; Clementis XI. Conſtitutionem *Vineam Domini*, quam probris, conviciiſque proſcindere , laceſſereque non parcit, Eccleſiæ univerſæ detulit elucubrato libello , quem hoc titulo inſignivit : *Denunciatio ſolemnis Bullæ Clementinæ &c.* ad Concilium quantocius congregandum Epiſcopos omnes exſtimulans, & animum , audaciamque inſpirans ad eam Conſtitutionem convellendam, Papam vero, a quo prodivit, eas ad incitas adigendum , ut ab ea incunctanter decedat, ſin minus, loco deturbetur . Hæc dictu horrenda fanaticis hiſce inſania appellandi inſtillabat .

Nec meliora deſideres a Queſnello, a Dupinio, a Wan-Eſpenio, quos conſultos a Schiſmaticis in Bataviam profugis hanc deciſionem reddere non depuduit : *Clerum Hollandiæ, ſalva conſcientia, ad ſuperiores Proteſtantes confugere poſse, ut Vicarium Apo-*

Apostolicum, quem maluerit, impetret, atque ut intercludatur cuique ingressus, qui a Papa ei Ecclesiæ præficeretur. Post hæc manebat nihil præterea, quam ut cum Protestantibus divinorum consortium conjungeretur. Sed de hoc ipso agitata fuisse a segregibus Jansenistis consilia, videlicet de ineunda sacrorum Christianorum societate cum Ecclesia Anglicana, consiliorumque tam iniquorum auctorem Dupinium se dedisse, ex fide autographorum documentorum refert Illustris. Lafitæus lib. 5. ad annum 1719. pag. mihi 238. Satius itaque sit Orthodoxis omnibus sentire, quæ senserunt primi subsellii Theologi, quorum Princeps S.Thomas de potent. quæst.10. art. 4. ad 13. præposteras appellationes a Pontifice ad Concilium, ex Conciliorum auctoritate, & actis condemnat: *Ex gestis*, ajens, *Concilii Chalcedonensis habetur* 1., *quod sententia Synodi a Papa confirmatur*: 2, *quod a Synodo appellatur ad Papam*: 3, *quod a Papa ad Synodum non appellatur, ut habetur ex gestis Concilii Ephesini*. Pergit ulterius S. Antoninus par.3. tit.33. cap.3., neque ab irroganda hisce appellationibus hæresis nota abstinet. *Sentire*, inquiens, *quod ad Concilium a Papa appellari potest, est hæreticum*: cujusce rei ea ei ratio erat, quod Pontifex sit Concilio superior; & Concilium a Pontifice robur obtineat. Similia habent Iohannes de Turrecremata in tractat. indicato adversus Basileenses; Melchior Canus lib. 5. de loc. Theolog. cap. ult., Franciscus Victoria Relect. 4. propos.20, Jacobatius in tract. de Concil. lib.10. num. *66*, & seqq.; Silvester Prieras in Sum. V. *Concilium*; Cajetanus in Summ. excom. 25; Duvallius de jurisd. Pontif. lib. 4. q. posthuma; Mauclerus de Monarch. Eccles. lib. 3. cap. 10., Bellarminus lib. 2. de Concil. capp. 15, & 17; Gonzalesius in 2. decret. tit. 27. cap. 7; Fagnanus in 1. ad Cap. *Significasti* n. *61*. de Elect.; Sessa in Scrut. doctrin. cap.3. art. 11; Thomassinus dissert. 18. in Synod. Roman.; Malachias de Inguimbert in tract. de Schism. cap. 10; Charlasius de libert. Eccles. Gallic. lib. 8. cap.14. allegans Hincmarum tom. 2. epist. 44.; Ivonem Carnot. par. 5. capp. *9*, & 10; & epist. 233, & 23*6*; Pothonem Prum. de statu domus Dei lib.3; S. Thomam Cantuar. epist. 73; ac imo Carolum Fevretum lib.*9*. de abusu cap. 3. n. 15; aliique, a quibus retexendis supersedeo.

Ex

Ex jure, officioque Pontificis conservandæ ubique Ecclesiasticæ Unitatis, curandæque rei Christianæ universæ.

ARTICULUS VI.

De Unitate tenenda cum supremo Ecclesiæ Capite, cavendoque summopere Schismate.

PROLEGOMENON.

De Romanæ Ecclesiæ Unitate tenenda ab omnibus, qui Christiano censeri nomine velint, remque Christianam ex veritate existimare, & colere noverint, multa jam disputata sunt Par. 1. Art. 6. in Proleg.; quibus nonnulla impræsentiarum attexere non incongruum erit, nec ingratum: eoque magis, quod eò loci potius quam de necessitate, de ratione unitatis tenendæ tractavimus: eoque maxime, quod de re tantopere necessaria semel, ac bis tractasse, nec me debeat tædere, nec liberali Lectori displicere. Ergo tenendam cum Ecclesia Romana unitatem efficacissime evincit Ecclesiæ Catholicæ, extra quam nulla ad salutem patet via, ipsamet Unitas, quam a Romani Pontificis, cui a Christo Domino superstructam Ecclesiam credimus, unitate repetendam Majores nostros dicto, factoque demonstrasse, nisi qui in historia Ecclesiastica hospes omnino sit, nemo ignoret. Cajus Romanæ Ecclesiæ Presbyter in frag. apud Eusebium lib. 5. cap. 28. auctor est Artemonis discipulos a S. Zephyrino damnatos sparsisse in vulgus S. Victori dogmata sua arrisisse: a Zephyrini autem tempore, qui Victori successit, veritatem adulterari cœpisse: iccirco Confessorem quemdam Natallium nomine, qui sibi in Episcopum Romanum esset, ab illis inauguratum. Putidam, putamque calumniam, quam postea a Novatoribus recoctam omnes norunt, ea ratione Cajus retudit, quod a S. Victore Theodotus Coriarius hujusmodi hæresis, quæ Artemonis discipulis erat communis, parens ab Ecclesia fuisset projectus. De Natallio vero subjungit illum ad frugem regressum, ad pedes-

que S.Zephyrini provolutum lacrymis, precibusque Ecclesiæ Romanæ unitati restitui tandem impetrasse. Ex quibus vides vel a primis Ecclesiæ ævis in Orientis hæreticos dictum a Pontificibus summis anathema: vel ab hæreticis illis agnitam necessitatem supremi unius in Ecclesia Pontificis: a legitimo obedientia abdicata, ad ipsius speciem Romæ illos pseudo-Pontificem sibi imposuisse. Geminum hujus est illud, de quo Tertullianus lib. adver. Praxeam conqueritur, gravique ei crimini deputat, quod suis suggestionibus in caussa fuisset, cur S. Eleutherus communionis litteras Montano, in quem paullo ante inclinabat, pronumque gerebat animum, impartiri postmodum detrectaverit. Qui præterea Tertullianus in lib. de Præscript. capp. 22, 23, 32, & 36, postquam certas fixisset notas, quibus Ecclesiæ Apostolicæ citra erroris periculum dignoscerentur, ac in iis principem Romanæ locum dedisset, exinde argumentum invictissimum desumit ad hæreticos conterendos, demonstrans eos nullis Apostolicis Ecclesiis communicare, ideo quod ab Ecclesiæ Romanæ essent communione extorres. Videsis Lupum in Scholio ad cap. 20. Hoc erat perinde, de quo SS. Martyres Lugdunenses quam maxime fuisse sollicitos planum fit ex Eusebio lib. 5. hist. Eccles. cap. 3, quippe quum ob hanc Montani hæresim in Oriente Ecclesiæ nonnullæ, ac in Occidente Lugdunensis inter alias Ecclesia, diro schismate discinderentur, ac invicem dissentirent, conciliandæ demum unitatis,& caritatis viam expeditiorem, certioremque sibi ineundam alteram non esse ii existimarunt, quam litteris, Legatoque S. Irenæo, qui deferret, directis S. Eleutherum enixe efflagitare, ut pro eo, quo in Ecclesia universa officio, viceque defungebatur vindicis christianæ unitatis, & caritatis, pacis sequestrem se præberet, & ad pacem Ecclesias omnes componere, ac perducere non differret.

Facit huc apprime insigne S. Irenæi testimonium lib. 3. adver. hæres. cap. 3, ubi necesse esse tradit, ad Romanam Ecclesiam omnem undique convenire: exinde ab ea segreges exagitandi validum argumentum assumens,nec non hæresis nomine traducendi, quotquot Romanam Ecclesiam principali loco, ut par erat, ac potiori non haberent. Nec est vero, quod Salmasius de Primatu

matu Papæ cap. 5. ut hanc ab se, suisque Symmistis labem amoliretur, in medium exeat, dicatque effrons ex S. Irenæo extundi nihil, nisi necessitatem conveniendi, & concordandi in rebus fidei, & doctrinæ cum Ecclesia Romana, quæ ideo principalis, ac prima dicta fuerit, quod quum maxime esset pura, catholicæ doctrinæ omnibus præberet exemplum. Etenim sub S. Irenæo aliæ tum Ecclesiæ maxime erant puræ, quales potissimum ab ipso propterea laudibus celebratæ Smyrnensis, & Ephesina, quæ quum primæ, & principales æque non sint appellatæ, fit perspicuum appellationis hujus nomine Principatum, & Primatum uni Romanæ Ecclesiæ tributum exprimere in animo habuisse. Grabbius aliam evadendæ difficultatis injens viam per conventum omnis Ecclesiæ, sive omnium Fidelium ad Ecclesiam Romanam propter potentiorem, (ita legi vult, non potiorem, quo legendum ostendit Massuetius), intelligendum esse jubet confluxum eorum, qui ab omni Ecclesia Romam mittebantur, ut caussam Christianorum agerent apud Imperatores, quorum potentior erat principalitas, idest suprema potestas. Sed intorta, perque vim intrusa hæcce S. Irenæo Grabbii interpretatio vel ex eo uno retunditur, quod quamvis a pluribus pro Christanis Apologiæ dornatæ legantur, oblatæque Imperatoribus, a Quadrato, Aristide, Melitone, Apollinari, Athenagora, Justino, &c., eorum tamen quemquam, aut alium, nec ipsum Athenagoram, etsi ejus Apologia legationis epigraphem præferat, si unum Justinum excipias, qui dudum antea Romæ degebat, nec huc eo fine advenerat, Romam missos ad caussam Christianorum apud Imperatores agendam nullibi legimus. Præterea S.Irenæus liquido de Romana Ecclesia, non de Urbe Roma, loquitur: de Romana, inquam, Ecclesia, in qua Apostolorum traditio, & veritatis prædicatio jugiter, sacrateque est integra servata: de Romana Ecclesia, cujus successores Episcopos ibidem enumerat, eorumque successione, & traditione confundere se cunctos ab ea extorres confidit. Quorsum igitur apertissimis verbis apertam vim homo hæreticus infert? Adeundi Doctiss. Massuetius differt. in S. Irenæi libros art. 4. & Fevardentius in annot. ad lib.3. ejusdem S. D., a quibus horum similium, qui ni-
 hil

hil intentatum reliquerunt, ut liquidis his S. Doctoris verbis obducerent, offunderentque tenebras, objectiunculas abunde, & dilucide diluuntur, plurimisque, ac præclaris S. Irenæo ab hæreticis vexata sententia vindicatur, restituitur, confirmatur: eorumque præsertim, quorum mox catalogum texo, liquidis, luculentisque testimoniis efficitur, adstruitur, comprobatur nullo non tempore Ecclesiæ Romanæ, ut Capiti suo, adhærere Ecclesiam omnem sive Occidentalem, sive Orientalem religioni, officioque duxisse, & vicissim S. Petri Successores, uti Pastores, quos agebant, Oecumenicos decebat, Ecclesiæ omni sive Orientali, sive Occidentali jugiter invigilasse.

Cohæret S. Irenæo S. Hippolytus, qui quondam quum errore facti detentus Novati schismati studuisset, postea veritatis lumine affulgente ejus partibus ejuraris,& ad legitimum Pontificem accedens, pro Christi nomine prope jam immolandus, dum ad martyrium lætus procederet, in hæc effatus fertur, quæ in ipsius hymno Prudentius descripsit, quibusque Christifideles omnes de cavendo schismate, tenendaque Apostolicæ Sedis unitate maximopere monitos voluit: *Fugite ò miseri execranda Novati schismata : Catholicis reddite vos populis : una fides urgeat, prisco, quæ condita templo est; quam tenet Cathedra Petri*. Succurreret heic locuples testis S.Cyprianus, de quo quia par. 1. art. 8. in proleg. multum egimus, satius erit hic nonnulla attigisse. Is igitur lib. de unit., nec non epist.45, 52,55, 67, & 73. mox Cathedram Petri, super quem ædificata est Ecclesia, *Principalem* nuncupat, unde Sacerdotalis unitas exorta est, ad quam perfidia habere accessum nequit: mox ex eo, quod Deus unus est, Christus unus, & Ecclesia una, Cathedram pariter super Petram ædificatam legitima consecutione unam esse deducit: præter unum altare, unumque Sacedotium, nequire altare constitui aliud, aut novum Sacerdotium ordiri. Nunc Romanam Ecclesiam Catholicæ Ecclesiæ *Matricem* esse, & *Radicem*: ejusque Ecclesiæ sacrum unitatis, & caritatis vinculum a cunctis esse tenendum. Qui cum ea communione esset conjunctus, conjunctum esse cum Ecclesia Catholica: sacrorum consortio cum Episcopis cunctis cohærere, qui non recederet a Romano. Nunc a sua communione extor-

extorres enunciat, quos Romanus Pontifex a suo consortio abscidisset, proculque ab Ecclesia abjecisset: nec eis ullum inter Christifideles faciendum locum, qui a Capite fuissent avulsi. Idcirco subjungit alibi Novatianum a totius Orbis Sacerdotibus abjectum, quod a Romanæ Ecclesiæ communione fuisset abscissus. Similiter apud S. Stephanum etiam atque etiam agit, ut Marcianum Arelatensem Novatiano schismati addictum abstineat, abstentumque cunctis denuntiet, ut ab eo sibi abstinendum cuncti cognoscerent. Frustra demum Felicissimum, & Fortunatum in Ecclesiæ Romanæ communionem irrepere tentasse reponit, non ignorantes imposterum ab Africana Ecclesia communionis beneficio defraudari nequire. Turbare ista Tillemontius, Quesnellus, Boelous, Dupiniusque per nefas summum nituntur: sed nullo negotio eorum ex dictis levissimæ conjecturæ concidunt: refelluntur vero copiosius a Cl. Francisco Antonio de Simeonibus de Rom. Pontif. judic. potest. cap. 13, quem ut adeas eo loci tibi sum auctor. Confer etiam doctiss. Petrum Sotum in defens. cathol. Confess. cap. 89.

A S. Cypriano non sejungendus S. Dionysius Alexandrinus, qui apud Eusebium lib. 6. cap.34., & lib.7. cap.3, ab Orientis Episcopis ad Synodum Antiochenam, Novatiani schismatis confirmandi caussa, invitatus, operam imo suam impendit omnem, ut teterrimum schisma ab Ecclesia exturbaret, ab eoque Episcopos illos in illud inclinantes deterreret. Quumque factum tandem fuisset, ut schismate sedato, proculque è provincia profligato, ad unitatem cum Romana rediissent Ecclesiæ Orientales, Antiochena sub Demetriano, Cæsareensis sub Teoctisto, Æliensis, sive Hierosolymitana sub Mazabane; Tyria sub Marino; Laodicena sub Heliodoro, Cappadox sub Firmiliano; Syria, Arabica, Mesopotamena, Pontica, Bithynica &c., ea de re, quæ optime cesserat, Deo gratiis actis, per litteras S. Stephano, quem post S. Lucium successorem S. Cornelius exceperat, gravissimis, lætitiæque plenis verbis est gratulatus. Miseret me interea Acatholici auctoris Apologiæ Reformat. par.3. cap. 9., quod eò impudentiæ, insaniæque devenerit, ut schismatum in Ecclesia Romana caussam non aliunde deduceret, quam ex civili Urbis amplitudine; nec nisi

nisi a terrena ex divitiis redundante magnitudine Romanæ Ecclesiæ repeteret. Quorsum enim Africanam, & Gallicanam Ecclesiam S. Cyprianus; Antiochenam, Cappadocem, Palæstinam, Cilicem, aliasque Orientis Ecclesias, S. Dionysius ad Romanæ unitatem redintegrare tanto labore tamdiu studuissent, ac tandem reconciliatas fuissent tam festive gavisi, præque lætitia gestivissent; nisi certo certius esset in Ecclesiæ Catholicæ censum tum tandem venire potuisse, postquam, ut superis placuit, ad unitatis consortium cum Romana Ecclesia redierunt?

Planum, expeditumque magis, magisque fit istud ex SS. Optati, & Paciani quam expressa, tam præclara sententia. Ille lib.2, & 7. adversf. Parmenian. Donatistas ea ratione perstringit, quod a Romano Pontifice secessione facta, ne ab Ecclesia propterea secessisse viderentur, in Urbe Roma suarum partium Episcopum constituissent, exinde occasionem nactus jactatum ab iis suum Romanum Episcopum, ac in Romana Urbe Episcoporum suorum successionem irridendi, quia eorum, qui sibi invicem successerant Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori, Victor omnium primus in Cathedra Petri sedisse a Donatistis nullo demonstrari modo posset: constantissime concludit unitatis caussa uni Petro collatas Claves ceteris communicandas,& in una Petri Cathedra unitatem a cunctis tenendam: quo pariter argumento Donatistas exagitavit S. Augustinus epist.53, & 161. Iste vero, nempe S. Pacianus epist.3. Semproniano suam exprobrans secessionem totus est, ut ostendat extra Ecclesiam salutem esse non posse: nec posse in Ecclesia esse, quæ cum una sit, suo uni capiti cohæret, nec suæ communioni adscisit, nisi qui suo capiti adhærescat. In confesso res ista adeo est, & in aprico, ut inficiari neque pro sua impudentia ausi fuerint Calvinus lib.4. Instit. capp.6, & 7. Bucerus in Præparatoriis ad Concilium; Molinæus, ejusque hyperaspistes Vilierius lib. de statu primit. Ecclesiæ, pluresque alii e Protestantium grege projecti etsi pudoris sycophantæ. Nisi quod Veterum testimonia turbare, & aliorsum detorquere non desinunt, honorem illum summum ubique a veteribus Romanæ Ecclesiæ delatum, contendentes demum refundendum vel in opinionem, quæ tum obti-

obtineret de Romana Ecclesia a S. Petro primitus instituta; vel in Urbis amplitudinem, quæ quum Caput Imperii esset, viros undique tum prudentia, tum doctrina, tum peritia præstantiores illuc pertraheret; vel eam in caussam, quod Ecclesiis Græca, & Africana ingenio ad turbas proclivioribus, ac inter se tumultuantibus, Romana longe sedatior, aliisque minus turbulenta audiret. Purum, putumque commentum istud suapte ex dictis concidit, siquidem contra faciunt veterum testimonia superius expressa, tantoque minus, ut nullo coaptari possint modo. Qui nihilominus penitus eversum cernere velit, obvii, ac præsto ei erunt præ aliis sive Doctiss. Fevardentius in annot. ad lib. 3. S. Irenæi cap. 3, sive Clariss. Bacchinius epist. polem. 4. adversf. Piceninum §. 24, & seqq.

Ne vero ego in re perspectissima, quam par sit, prolixior sim, satius puto compendio reliqua comprehendisse, catalogumque texuisse brevem eorum potissimum, qui prælaudatis Patribus adjuncti suo auspicio facere possunt, ut omnes orthodoxi in una Romana Ecclesia catholicæ Unitatis Centrum, Caputque a Deo constitutum suspiciant. Chorum ducit S. Hieronymus in epist. 57., nunc 14. ad S. Damasum, in dialog. adversus Lucifer., & lib. 1. adver. Jovinian. in ea perpetuo versatus persuasione Cathedræ Petri communione consociari oportere: profanum esse, proculque a salute sepositum, qui sit extra Romanam Ecclesiam: & ad tollenda schismata constitutum in Ecclesia Caput: quæ S. Doctoris egregia sententia propria etiam fuit S. Ambrosii, qui & fuisse Satyri fratris sui auctor est, quem in orat. de ejusdem excessu enarrat tempestate jactatum ad littora Sardiniæ Insulæ, tum Luciferiano schismate fœde dilaceratæ, baptismo ablui ante noluisse, quam ab Episcopo administraturo sciscitaretur, an de communione esset Catholica, idest Ecclesiæ Romanæ communione esset conjunctus. S. Augustino atrocem injuriam irrogant Jansenistæ, dum ex eo suum eruere tentant errorem, ideo quod in epist. 78., alias 137., quæ a Gratiano refertur causa 11. qu. 3. cap. 50, de Bonifacio Presbytero e Canone Ecclesiastico expuncto scripserit: *Quid obest homini, quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia?* Ratio enim dispar ejus, qui a privato Episcopo, & ejus, qui a Pontifice ab

Eccle-

Ecclesia ejicitur: dispar ejus, qui a catalogo Clericorum, & ejus, qui ab Ecclesiæ communione abigitur: dispar ejus demum, qui ignoranter, & ejus, qui juste excommunicatur. Alioquin enim S. Augustinus lib. 3. cap. 51. Petilianum eo potissimum ariete impetit, quo Donatistas ab Ecclesia Romana extorres demonstrat; cui se indivulse inhærere & gaudebat, & gloriabatur: epist. 162. Cæcilianum iccirco conspirantem inimicorum multitudinem contemnere potuisse affirmat: *Quum Romanæ Ecclesiæ, in qua semper viguit Apostolicæ Cathedræ Principatus, per communicatorias litteras se videret esse conjunctum*: quas quia nec reciperet, nec redderet vicissim, Fortunium alterum Donatistarum primipilum divexandi argumentum epist. 163. arripit: universim vero non aliud validius telum in Donatistas intorquet, quam in epist. 165. objiciendo jugem in Romana Ecclesia a S. Petro ad suam usque ætatem Pontificum absque interruptione successionem. Quantam sollicitudinem de unitate cum Romana Ecclesia tenenda induissent animo duo illa Ecclesiæ Orientalis lumina SS. Basilius, & Chrysostomus non tam precibus, quam lacrymis exponunt, ille quidem in epist. 52. S. Damasum deprecans: *Ut res Orientis considerare, judicii sui decretum interponere, sua auctoritate usum Orientem visitare*; resque in Oriente susque deque versas, turbatasque restituere, & ad concordiam revocare vellet: iste vero apud S. Innocentium per epistolam instans, ut rescissis contra se actis suis ab inimicis, se innocentem, affectumque injuria in sacrorum consortio secum retinere, suspensamque ab illis communionem restituere dignaretur. Nec minor sibi a schismate cavendi cura, retinendæque cum Romana Ecclesia communionis inerat SS. Fulgentio Ruspensi, & Eulalio Syracusano: hic enim illi, uti legitur in ipsius vita apud Bolland. ad diem 1. Jan., animo ad id Ægyptiaci itineris capessendum prono, jamque parato, ut a Thebaide sibi caute temperaret, auctor fuit, atque a proposito resiliret ea invisendi loca, ideo quod Regio esset tum temporis a S. Petri communione prorsus extranea.

Ea universim Majoribus nostris insedebat sententia: Ecclesiam Catholicam Romanæ Cathedræ nota insignem, conspicuamque evasisse, in qua loci habeantur alieni schismatici, & hæretici: in ea

in ea præclaram Arcæ Noeticæ speciem exprimi, extra quam via ad salutem non pateat. Quæ quum inficiati nec iverint Gerardus Vossius lib. de tribus Symb.; Perkinsius in Symb.; Danæus lib. de visib. Eccles.; Sadeel ad sophismata Turiani loc.5, Protestantesque alii, qui fieri demum potuit, ut a Romana Ecclesia abire extorres maluerint, infrendereque magis in eamdem infrunite? Sed horum cura admodum levis, id mihi curandum maxime, ut rationem eorum potiorem habeam, qui Romanæ præfuerunt Ecclesiæ, Pontificum, quæque de hac re persuasum ipsis fuerit, paucis nunc proferam. S.Leo re, ac nomine Magnus in epist.89.ad Episcopos Prov.Vienn. ab Ecclesia sejunctum, qui a Cathedra S.Petri sejungitur, diserte pronunciat. Nomine autem isthic *Cathedræ*, cave ne alterum intelligas a Pontifice in ea sedente, uti recte post S. Hieronymum in præcit. epist. ad S. Damasum admonet S. Petrus Damiani opusc. 20. cap. 2, sive lib.1. epist. 1. ad Alexandrum II. P.M. Veritatis ejusdem testem, non secus ac unitatis hujusce vindicem se dedit S. Gelasius in epist. ad Succonium Africanum Episcopum, quam ex Ms. Cod. Ecclesiæ Veron. primus in lucem prodidit, inque append.3. opusc. Anastasii tom.3. pag.51. rejecit Cl. Josephus Blanchinius, illum objurgans ideo, quod Arianorum in Africa persecutione superata, Constantinopolim arrepta fuga, improvide postea Eutychianorum communione se polluisset: ad hanc præcavendam ipsi sufficere debuisse subjungens, quod a Romana Ecclesia præcisos illos ignorare nequivisset. *Hoc unum*, inquit, *dilectioni tuæ potuit ad hæc præcavenda sufficere, ne tu illorum communioni misceres, quibus communionem suam B. Petrum noveras denegasse*. S. Symmachus epist. 8. Orientales edocebat viam salutis in sola Romanæ Ecclesiæ unitate reperiri, notamque veræ Religionis esse unitatem cum Ecclesia Romana. Ad eosdem Orientales edocendos conversus S. Hormisdas, in eo perpetuus est, & fixus, ut proposito fidei libello subscribentes profiteri deberent constanter deinceps retenturos se fore Catholicæ, Romanæque fidem, unitatemque Ecclesiæ: nec alia ratione, nisi ex individua cum Romana unione Orientalem Ecclesiam unam, & Catholicam evadere. Huic autem fidei libello subscripsisse Orientales bis mille supra quingentos auctor est Ru-

ſticus Diaconus in diſput.adverſus Acephalos. Ex his Epiphanius Conſtantinop. in epiſt. ad S. Hormiſdam hiſce reſcripſit verbis: *Neceſſarium duxi, ut oſtendam quam circa veſtram Apoſtolicam Sedem habeo voluntatem. Eſt mihi oratio magnopere uniri me Vobis, & divina amplecti dogmata, quæ ex Beatis, & Sanctis Diſcipulis, & Apoſtolis Dei, præcipue Summi Petri Apoſtolorum Sedi ſanctæ veſtræ ſunt tradita, & nihil eis pretioſius exiſtimare &c.* poſt quæ ſequitur promiſſio indivulſe ſemper inhærendi vertici Catholicæ unitatis Cathedræ Petri. Pelagius I. in epiſt. ad Epiſcopos Thuſciæ S.Auguſtini locum in epiſt. *161*. laudans, ſchiſmaticum eſſe, & extra ſalutem, qui ab Eccleſia Romana Apoſtolicarum prima, ac præcipua, ſecedit, dilucide denuntiat. Eumdem S. Auguſtini locum protulit in epiſt.ad Eliam Aquilej.Pelagius II; utrumque vero ex S. Auguſtino, & Pelagio I. teſtimonium deprompſit Agobardus Lugdun. S.Gregorius M. in epiſt.4. lib.*9*. ad Iſaacium Hieroſolym., qui a Baronio ad an. *601*. n. 14. Heſychius denominatur, cunctos, qui extra ſalutis viam incedere nolint, de neceſſitate incumbente manendi ſecum in unitate S. R. Eccleſiæ ſedulo admonet,& lib.10.epiſt.31, formula præſcripta ſchimaticis ad frugem redeuntibus, præcipit, ut ad Apoſtolicæ Sedis unitatem ſe regredi diſtincte profiteantur. Juxta hæc Johannes VIII. Vſredum Epiſcopum Vencienſem, quia cum excommunicato communicaſſet, ideo Miſſarum celebratione interdixit epiſt. *67*. edit. Harduini tom. *6*. pag. *46*.

Neque ab hinc ſententia aberant Synodi,ne tibi a Janſeniſtis ſuſpicio ingeſta ſubrepat unice ſententiam hancce profectam ex amore, quo Romani Pontifices plus æquo ſtuduerint imperio ſuo univerſos ſubjugare. Synodus Aquilejenſis in Synodica ad Gratianum Auguſtum ab Apoſtolica Sede in omnes communionis jura dimanare confirmat. Synodi Orientales ſive ſub Menna act.1, & ſeqq. in confeſſione fidei contra Acephalos, ſive ſub Johanne, & Epiphanio in libello fidei ab Hormiſda accepto adverſus Acacium, ſive Epiri veteris in Synodica ad S Hormiſdam, ſive ſub S. Ignatio in libello fidei ab Hadriano II miſſo adverſus Photium, communicare explicite ſe profitentur iis dumtaxat, qui communicarent Sedi Apoſtolicæ: quique Apoſtolicæ Sedi haud conſentirent,

tirent, a communione Ecclesiæ Catholicæ prorsus sequestratos pronunciant. Quinimo solemnis, usuque veteri in Romana Ecclesia retenti moris Synodus VIII. act. 4. meminit, quo Romana Ecclesia non antea quempiam advenam ad S. Petri ædem admitteret, quam fidei professionem exegisset. *Mos est in Romana Ecclesia ab omni homine hospite libellum fidei exigendi, & ita permitti hunc in S. Petrum intrare.* Quid plura? In Synodis Orientalibus ea sacra obtinuit jugiter lex, ut homines sive hæresis, sive schismatis labe, aut suspicione laborantes ante non audirentur, quam Romano Pontifici, ut dignum erat, obedientia, fideque se demitterent: quæ quia prolixa oratione alio in loco complexi sumus, summis heic digitis attigisse satis est. Conferunt denique ad hæc confirmanda Principum leges: quibus in Oriente Theodosius Populos omnes Imperio suo obnoxios tranquille sub communione S. Damasi degere decrevit: & in Occidente Gratianus, teste Theodoreto lib. 5. cap. 2, Templa iis restitui jussit, qui S. Damaso communione essent conjuncti, idest Catholicis. Adeundi, si per otium licet, Alcuinus lib. de divinis offic. cap. 19., si tamen ejus operis genuinus est parens, & epist. 70. affirmans ab Ecclesiæ universalis communione segreges esse, qui se ab Apostolicæ Sedis communione segregant; ideoque ad evitandum schisma, ac removendam hæresim expedire a Romana Ecclesia non recedere. Rabanus Maurus lib. 5. in cap. 16. S. Matth. extra salutem errare, ajens eum, qui extra societatem Apostolicæ Sedis aberret: cui admodum consona scribit in eumdem locum S. Anselmus Cantuar., cujus tamen inscriptas nomine explanationes in S. Matthæum tribuendas Petro Babioni censet Raynaudus, Guillelmo vero Parisiensi restituendas veri similius visum est Oudino. Ivo Carnotensis in epist. 8. ad Richerium Senon., cui cohæret S. Thomas Cantuar. in epist. 122. ad Gilbertum London., schismaticum, & hæreticum declarantes, qui a Romano Pontifice discordaret. Quorum simillima pleraque habent Gaufridus Vindocin. in epistol. 27, & 30 ad gentilem suum Gaufridum Carnot. apud Sirmondum tom. 3; S. Petrus Damiani in serm. 4. de S. Bartholomæo; S. Bernardus lib. 2. de consid. cap. 4; Monachi Carthusiani in epist. ad Innocentium II. lecta in Concilio Remensi anno

 1131

1131. apud Bail tom.2.; Nestoriani Orientales ad Romanæ Ecclesiæ unitatem redire cupidi in epist. ad Julium III. apud Papyrium Massonum; Episcopi Galliar. in epist.ad Innocentium X 25. Octobr. 1650; Bossuetius instruct.1. super promiss.; De Fenelon instruct. super Brev. Innoc. XII. contra *Explicat. de Maximes des Saints*, aliique, de quibus, ut arbitror, suo loco abunde. Cohærent vero dua illa sacræ Theologiæ lumina, Ecclesiæque Doctores Angelicus, & Seraphicus, SS. Thomas, & Bonaventura, ille 2. 2. qu.11. art.1., iste vero in apolog. pauper. cap.1.

Exinde Doctiss., & celeberrimi Cardinales Richælius *Des Poincts principaux de la Foi* pag. 221., Perronius *Harangues aux Etats*; & Rochafuchaltius *Raisons dù Desaveù &c. contre les Schismatiques dù temp &c.* jure inferebant pro uno, eodemque accipi dictum: a Pontificis fide discedere, ac discedere a fide Ecclesiæ: Pontificem deficere a fide posse, ac posse a fide deficere Ecclesiam, sive deficere Ecclesiæ fidem. Exinde fit perspicuum quam falso, præterque fas homo in Pontifices felle plenus Marcus Antonius de Dominis lib.3. de Republ. Eccl. effutiverit abjecto impune Papa congruere apprime, fierique optime, ut Ecclesia Gallicana Lugdunensem, Hispanica Toletanum, Anglicana Cantuariensem, & Germanica Moguntinum sibi Patriarchas superimponerent. Gravissimam id in injuriam Gallicanæ speciatim Ecclesiæ cessisse, exinde fuit exploratum, quod invidia repletus, invisusque Gallis optimis evaserit cunctis liber inscriptus *Optatus Gallus*, quo ipsius auctor Carolus Hersent Gallis imputabat, vitioque perperam vertebat, quod vellent, meditarenturque Patriarcham loco Pontificis in Regno habere. Petrus ipse Bayle *Novelles de la Republique des lettres* Julii 1685 pag. 712. Patriarchæ institutioni novæ Religionis inductionem conjunctam ire existimavit. Mihi tandem hoc loco temperare non possum, quin observem obiter ignominiæ, infamiæque plenam evasisse, postquam conflato schismate a Romana Ecclesia recessit, Religionis rationem, quam, ut de veteribus taceam, atque inter alios, Artemonis discipulis accidisse Cajus est auctor; Arianis testes accedunt SS. Hilarius, & Athanasius; Calvinistis, & Lutheranis Bossuetius ostendit; Anglica-

glicanæ Ecclesiæ propinavit ejusdem eo in schismate antesignanus Cranmerus; quem impie, impudentissimeque cum magnis viris SS. Athanasio, & Cyrillo conferre Burnetus non erubuit; siquidem in fide inconstantissimus, variavit 17. vicibus, mox ejurans, quod paullo ante fuisset professus, & paullo post a professione resiliens, quam mox emisisset. E converso gloriæ, & honori maximo illis cessisse, qui mori potius in optatis habuerint, quam nefario illo schismate fœdari, potiusque cum vitæ dispendio in Pontificis unitate permanere, quam cumulati divitiis, ac dignitatibus aucti in Henrici VIII. castra concedere: a quo nonnisi ingenti illustrium hominum cædi suum superstructum schisma tradit Clarifs. Thomassinus *Traité des Edits pour l' Eglise* tom. 2. pag. 473, inter insignes alios internecione ab homine præ indignatione impotente deletos dinumerans 2. Cardinales, 3. Archiepiscopos, 18. Episcopos, 13. Abbates, 500. ex Monachis, & Clericis, 30. Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum Decanos, 60. Canonicos, plusquam 50. Doctores Theologos, 12. Magnates, sive Duces, sive Marchiones, 29. Equites auratos, plusquam 300. ingenuos viros, 80. Cives non ignobiles, 110. Mulieres honestas, honoratasque; præter alios plurimos generis promiscui Homines, Mulieresque. Quorum in censum venire dubio procul debent Religiosorum Ordinum virtute præstantissimi viri, quos non minus quam ad tres mille brevi Mensium intervallo in Gallia ob assertam Pontifici, vindicatamque obedientiam Martyres occubuisse, commemorat, laudibusque propterea celebrat apud Pallavicinum hist. Concil. Trid. tom. 3. celeberr. Cardinalis Lotharingus.

Dupinius iniquioris doctrinæ vir, sicuti eum nigra ista nota inussit Clemens XI, cujus deterrimæ persuasionis magna pars Bailleto adhæsit, de antiq. Eccles. discipl. dissert. 3, nec non Tillemontius Tom. 16. Monum. pag. 372, 661, & 708. fieri posse, ac factum persæpe affirmant, quum nempe injuste, perque injuriam a Pontificibus fit, ut a Romano Pontifice communione præcisi, nihilominus in Catholicæ Ecclesiæ in Orbem diffusæ unitate persistant, neque Schismaticorum nomine, aut loco sint habendi. Argumento, exemploque esse Asiaticos a Victore; Cyprianum,

num, Afrosque; Firmilianum, atque Orientales a Stephano excommunicatos, qui tamen ab Ecclesia alieni haud sunt habiti: Meletium Antiochenum, eique in Antiochena Cathedra successorem Flavianum; Eliam Hierosolymitanum, & Danielem Stylitam; Cyrillum Alexandrinum, ejusque d ecessorem Theophilum; Atticum Constantinopolitanum; Alexandrum Antiochenum, Orientalesque alios ab ipso contra S. Chrysostomum stantes, nec schismatis nota unquam inustos, nec excommunicationis vinculo ullatenus innodatos, ideoque nec ab Ecclesia segreges ab ullo reputatos, licet aliquando a Romana Ecclesia divisi in aliena castra descendissent. Ad hancce porro detegendam sublestæ fidei hominum quam turpem, tam teterrimam hallucinationem, diligenter illud advertere juvat, quod ad discernendum rite, dijudicandumque, an Episcopus quispiam a communione Ecclesiæ fuerit prorsus excisus, & ejectus, nec ne, attendendum esse animum non equidem num cum Episcopis ceteris communionem aliquando consoverit; utique vero an communione a Romano Pontifice fuerit cohonestatus. Morinus Exercit. Eccles. lib. 2. cap. 18. multis congestis ex Conciliis sacris Canonibus; & Quesnellus in adnotat. ad epist. 60. S. Leonis, hac in re neutiquam reprobandus, eam olim viguisse observant disciplinam, (cui subrogata illa dein, quam efferunt Theologi sub excommunicationis minoris, & majoris nomine distinctionem, commode dici posset), ut Episcopi aliquando, excommunicatione obligati a Pontifice quidem, modo pœniterent, absolutionis beneficium acciperent, eoque beneficio ad suos gradus in Ecclesia regrederentur, ita tamen ut quoadusque Pontifici visum fuisset, integro absolutionis, & restitutionis beneficio non fruerentur, sed excommunicationis quosdam effectus ad longum, vel breve tempus, prout ex qualitate culparum prudens sanxisset Pontifex, sustinerent: nempe ut sola interea Ecclesiarum suarum communione contenti, cum suis Collegis, aliisque extra suæ Parochiæ fines positis communicare non possent: ut propterea nec ii visitationis officia Collegis suis impendere, nec ab iis vicissim recipere possent: ut sacra solemnia in aliena Provincia obire non permitterentur; nec non mutuo litterarum formatarum commercio

cio omnino interdicti essent: ut ad Concilia, aliosque Ecclesiasticos consessus simul cum eis non convenirent, omnique in iis suffragiorum jure carerent. Liquet hoc ex S. Leonis epist. 60. ad Anacolium, qua quidem Episcopis, qui in Dioscori partes descenderant, postquam facti pœnitentes deseruissent, communionis suæ gratiam restituit, suosque redire ad gradus indulget, sub ea tamen lege: *Ut suarum interea Ecclesiarum essent communione contenti*. Quibus nihil profecto illustrius ad planum faciendum quanti pendenda sit Pontificis Romani communio: quanti facta omni tempore ejusdem potestas absolvendi, quotquot ab aliis quibuslibet fuissent excommunicatione detenti: & quam denique maxima pœna afficiantur, qui unius Pontificis communione fraudantur, in cujus unius potestate est positum vel integram, vel diminutam pro arbitrio restituere.

Ad hæc illud animadvertendum est insuper in jus Pontificis jugiter transcriptum transivisse, quod ceteris ubilibet Episcopis nullo non est tempore negatum, ut ipse solus Pontifex excommunicatum a quocumque Episcopo posset absolvere: quod si supremæ potestatis certissimum indicium non est, nescio quid tandem esse queat. Certe Nicæna Synodus, quæ ceteris subinde idipsum statuendi, instaurandique exemplo suo prælusit, Canone 5. id cautum voluit, ut ab uno Episcopo abjectus, a nullo alio admitteretur, quo tamen Canone Romani Pontificis minime coarctata est potestas, nec coarctari potuit, uti quæ institutioni Divinæ innititur. Ita enim interpretati Canones sunt S. Innocentius I. in epist. ad Victricium Rotomag., S. Nicolaus I. in epist. ad Episcop. Galliar., & Johannes VIII. in epist. ad Archiepisc. Italiæ Porro ante Nicænam Synodum hanc obtinuisse disciplinam exempla docent Felicissimi, & Fortunati, qui ab Africanis Episcopis gradu dejecti, & ab Ecclesia depulsi ad S. Cornelium confugerunt, tentaturi in ejus communionem irrepere; Basilidis, & Martialis, quos ab Hispanis Episcopis dignitate detrusos, atque ab Ecclesiastico consortio exclusos S. Stephanus absolvit, atque cum gradu in Ecclesiam admisit, teste S. Cypriano epist. 68: ante hæc autem, ut de aliis taceam jam attactis, exemplum Marcionis, qui excommunicationis vinculum, quo ab Episcopo Patre tenebatur

batur obstrictus, a Romano Clero relaxari sibi, tollique rogans; hoc retulit responsum, quod refert S. Epiphanius hæref. 42, illius injussu, a quo fuerat ille perstrictus, id fieri nequaquam posse: siquidem quo fieri tandem potuisset, vacaret tum temporis sedes, nempe Pontificis: quo in casu, ut observatum est a Schelestratio, & Pagio, Romano Clero nihil alicujus momenti erat statuendum: nec ejus e re erat sarta, & tecta Episcoporum jura relaxare. Electo S. Eleuthero, ejus in communionem receptum Marcionem ea conditione, ut ad Ecclesiam reduceret quotquot a fide abstraxisset, testatur Tertullianus de præscript. cap. 30. Dupinius nescio qua ratione, si fraude, ac dolo non fecit, uti de homine hujusce furfuris, subleftissimæque fidei pronum est putare, confingit hic accessisse Patris Episcopi consensum, quo tandem factum, ut Marcion ab Eleuthero ad communionem admitteretur. Quandoquidem de hujusmodi præhabito Episcopi proprii consensu ne volam quidem Tertullianus habet: præter quam quod vix, ac ne vix quidem fieri potuit, ut ad Pontificatum usque Eleutherii Marcionis Pater vitam protraxerit, quum ab Hygino, sub quo Marcion ab Ecclesia fertur ejectus, usque ad Eleutherum anni circiter interfluxerint vel juxta Bucherium 49; vel juxta Schelestratium 43, aut 34, aut 33, cui postremo calculo conforme est Chronicon Farfense apud Blanchinium tom. 2; vel juxta Mabillonium 50, aut 42; vel juxta picturas in Basilica S. Pauli, quibus cohærent Codices Colbertini nonnulli, anni 34; aut denium juxta Anastasium anni circiter 42; aut juxta Chronologos alios 36; aut ad minus 27, aut 25: nec multum ab ætate 40. circiter, aut 35. annorum Marcionem abfuisse oportet, quum Romam appulit, siquidem principem locum in Romano Clero eumdem obtinere enixum perhibet S. Epiphanius. In vim istiusmodi disciplinæ Patriarchæ a Synodis Provincialibus excommunicatione plecti non poterant; poterant vero ex auctoritate Pontificis. Itaque ab Antiochena Synodo, imo ab Aureliano Imperatore, adversus Paulum Samosatenum S. Dionysii Papæ superior adhibita auctoritas est.

Post Nicænam Synodum frequentiora hujusmodi exempla habentur, quod enim perficere Synodis erat denegatum, seipso præ-

præstitit S. Damasus Vitalem damnando; & e contra, quod præsumpserat Tyria pseudo-Synodus, rescidit S. Julius S. Athanasium absolvendo. Ad hæc a Concilio Constantinopolitano anno 336. Marcellum Ancyranum, Asclepam Gazensem, Paulum Constantinopolitanum, Lucium Adrianopolitanum depositos, & depulsos idem S. Julius recipiendo, & restituendo: de quibus adeundi Socrates lib.2. cap.15; Sozomenus lib.3. cap. 8.; S. Athanasius in Apolog. 2 S. Epiphanius hær. 72.;exhibens Marcelli epistolam ad S. Julium; & Eusebiani ipsi in epist. ex pseudo-Synodo Philoppopolitana apud Harduinum tom.1. pag.671. Quamobrem a Synodo Tyria S. Athanasium judicari nequivisse Ægyptii Episcopi, & S. Potamon, ipso Athanasio teste apolog.2, conclamarunt; nec nisi Constantini litteris coactum ivisse testata res est apud S. Epiphanium hæres.68, & Socratem lib.1. cap.28. Quamquam si demus Synodum Tyriam ex toto Oriente congregatam, ideoque non caruisse jure de Episcopo Alexandrino judicandi, nam Concilium coaluisse ex Ægypto, Libya, Asia,& Europa, narrat Eusebius lib. 4. de vita Constant. cap. 41; Eusebiani verò epist. Synod. ex Conciliabulo Philoppop. tradunt congregatum ex Macedonia, Pannonia, & Bithynia, adeo ut centum, & viginti circiter adfuisse conjecerit Tillemontius tom. 8. pag. 35, se supra illam potem intelligens Pontifex, ab Ægyptiis imo Episcopis rogatus, incitatusque, ut refert S. Hilarius frag.4, ipseque S. Athanasius apolog. 2, quos Synodus illa damnaverat, & dejecerat, sua ipse auctoritate absolvit, & redintegravit. Quid autem quod, teste S. Hilario in frag. 2, Ursacio, & Valenti a Synodo Sardicensi excommunicatis, exauctoratisque pœnitentiæ speciem præbentibus idem S. Julius ignovit? Origenistis a Theophilo Alexandrino excommunicatis, communionem suam concedere renuit S. Chrysostomus: & Chrysostomo roganti, ut communionem illis restitueret, in memoriam revocavit Theophilus Nicæno Canone cautum: *Ne Episcopus extra fines suos judicet*; quem ipsum postea idem S. Chrysostomus contra Synodi ad Quercum molimina reposuit: *Non oportere judicia extra limites trahi*. Supremo tamen jure de isto dijudicavit S. Julius, de illis vero dein S. Anastasius; de quibus adeundi, si placet, Palladius in dialog., &

S. Hieronymus adverſ. Rufin. A Neſtorii conſortio abſcedere S. Cyrillus non auſus eſt abſque S. Cœleſtini auctoritate, ut conſtat ex epiſt. ad ipſum Cœleſtinum, ejuſque aſſenſum neceſsarium exiſtimabat, antequam cum hæretico homine a ceteris Epiſcopis communio abrumperetur. Iccirco a Concilio Epheſino in jus vocatus eſt Johannes Antiochenus, quod S. Cyrillum Alexandrinum cenſura afficiendo, ſibi jus arrogaſſet indebitum, ut elicitur ex epiſt. Synod. ad S. Cœleſtinum, cujus tamen judicio ejuſdem Johannis cauſſa integra a Concilio eſt dimiſſa. *Pietatis tuæ judicio hoc reſervavimus*. Exempla prætermitto Timothei Æluri, Petri Moggi, Petri Fullonis, Acacii, Anthimi, Severi &c., quos Pontifices Maximi ad unum omnes, qui a S. Simplicio uſque ad S. Agapetum præfuerunt, ab Eccleſia projecerunt: Macarii Antiocheni a Concilio Conſtantinop. III anathemate irretiti, cui, modo vellet adſenſum redire, ſapereque tandem recta, S. Benedictus II. a communione reddenda non erat alienus: & Photii a Conſtantinopolit. IV diris cunctis devoti, cui ad cor rediiſse ſimulanti, veniamque, & gratiam ſuppliciter, inſimeque roganti Johannes VIII miſericordia motus ſacra cuncta reſtituit: aliaque plurima, de quibus paullo infra recurret ſermo: nolim enim in re apertiſſima eſse præter modum prolixior, bonoque otio præter opus, cum faſtidio legentium abuti.

Progrediendo nunc ad objecta Dupinii, & Tillemontii, quorum multam partem Auctor hæreticus Amſtelodamenſis in diſsert. *de Cœnæ adminiſtratione, & communione per ſymbola* à Clariſs. Petavio in Diatriba *de Poteſtate conſecrandi, deque communione uſurpanda* profligatus confinxit, nullum exinde negotium faceſſiri planum facio. Enim vero Romanæ Eccleſiæ ritum in celebratione Paſchatis fuiſse tenendum, & S. Victori Papæ eum ritum urgenti morem gerendum, decretum habetur in omnibus Conciliis ſub eodem S. Victore multis in locis ipſius juſsu celebratis, ut auctor eſt Euſebius lib. 5. cap. 23: *Omnes*, inquiens, *uno conſenſu Eccleſiaſticam regulam univerſis fidelibus per epiſtolas tradiderunt: ne videlicet nullo alio, quam Dominico die, Myſterium Reſurrectionis Domini unquam celebretur*. Et certe in Concilio Palæſtino ſub Theophilo Cæſareenſi id expreſse definitum, & quidem Pontifi-

cis

cis jussu, quo pariter jussu Synodum Ephesinam ab se celebatam significat Polycrates ipse in Synodica ad S. Victorem, de qua Eusebius lib.5. cap.25, & S. Hieronymus de viris illustr. cap. 45, definitum, inquam, perhibet V. Beda de Æquinoct. verno. Quam Synodum levi admodum ex caussa suspectam reddere, Bedæque testimonium elevare Tillemontius enititur, cui uni satis, superque est opposuisse viros perspicacissimæ aciei Baronium, Bucherium, Halloixium, Schelestratium, Bosquetum, Baluzium, Natalem, Cavæum etiam, a quibus nihil de hujusmodi sive Bedæ testimonio, sive de Synodo suppositionis est subodoratum, sed suo tum hanc, tum illud stare loco per eos licet. Decretum fuisse denique a Conciliis Arelatensi, & Nicæno, vel in historia Ecclesiastica hospites norunt. Impune igitur S. Victori obluctari Asiani nequibant: propterea excommunicari potuisse, exinde fit consequens: agnovisse præterea Asianos exinde fit confessum, quod S. Victorem rogaverit S. Irenæus, ne Asianos ab Ecclesia abdicaret, feriretque anathemate, uti referunt Eusebius lib.5. cap. 24, & Photius Bibliot. Cod.120. Reapse imo a S. Victore excommunicatos fuisse, atque pro excommunicatis a bonis omnibus habitos augurari fas est ex Eusebio loco indicato, ubi subdit Asianos ab unitate Ecclesiæ alienos prorsus a Victore pronunciatos; & S. Epiphanio hær.70. referente eapropter ab Orientalibus Occidentales communione se separasse. Quod si nihilosecius Asianis illis posthac Orientales plerique communicare non destiterunt, factum id facile errore facti, quo vel pœnam contumacibus illis inflictam ignorabant; vel ob caput ad disciplinam mere spectans inflictam tanti non fore faciendam putabant, ut ab Ecclesiæ aditis excluderet absolute: ex quo per ignorantiam facto, aut per nefas, si velis, pessime jus ita faciendi impune Dupinius infert. Hæc in sententia verisimiliori de jaculata a S. Victore excommunicatione: nam in eorum sententia, qui a S. Victore minas quidem fuisse intentatas, ultra minas tamen progressum non fuisse, pugnant, Dupinii argumentum labascat prorsus oportet. Veri autem simillimum, quod minime fuerit in Cyprianum excommunicationis telum a S. Stephano intortum, sed in communione Pontificis jugiter ille permanserit, alibi ostendimus auctoritate S. Paciani epist.1, & 2, ad Sym-

 pron.;

pron.; S. Hieronymi dialog. adverſ. Lucifer.; & S. Auguſtini de unit. Baptiſm. cap.14, & alibi ſæpe. Potius cum Firmiliano fuiſſe ſacrorum conſortium a S. Stephano interruptum conjicere eſt ex ipſius epiſt. ad S. Cyprian., & S. Dionyſio Alexandr. in epiſt. ad S. Sixtum Stephani ſucceſſorem, quam Euſebius exhibet lib. 7 cap. 4. Regreſſum tamen ad frugem, tandem in Romanæ Eccleſiæ unitatem rediiſſe eodem loci, quo dilucide de S. Cypriano, ex dicto S. Hieronymi deduximus. Quod ſi Firmiliano in errore, & ſchiſmate ex Orientalibus quamplures communicaſſe feruntur, eodem factum id errore facti, quo factum pariter, cur a Quartadecimanis plerique non abſcedendum ſint arbitrati, mox dicebamus. Confer Auctorem Gallum in diſſert. Theolog. de celebri controverſia inter S. Stephanum, & S. Cyprianum edit. Pariſ. ann. 1725; atque Doctiſs. Petrum Coutantium tom. 1. epiſt. Roman. Pontif. in diſſert. de ſententia S. Stephani circa receptionem hæreticorum §. 7; plura enim perſequi non præſtat.

Pauca modo de S. Meletio. Meletium, propterea quod ſe Arianorum communione polluiſſet, ſe Arianorum opera Antiochenæ præfici Eccleſiæ permiſiſſet, atque teſte Socrate lib. 2. cap. 44. in Synodo Seleucienſi formulæ fidei contra fidem Nicænam ab Acacio adornatæ ſyngrapham appoſuiſſet ſuam, potuiſſe excommunicatione plecti nemo inficias iverit. Potuiſſe iterum ſuo permitti gradui in vim hujus generis lapſis factæ veniæ a Concilio Alexandrino ſub Oſio, & S. Euſebio, cui Romanæ Eccleſiæ conſenſum acceſſiſſe patet ex S. Athanaſio, & Rufino infra laudandis. Num autem reapſe fuerit excommunicatus, necne, exiſtimandum id eſt ex communione ab uno Pontifice vel conceſſa, vel denegata, non vero ex communione cum aliis Epiſcopis vel conſervata, vel diſrupta; non ſecus ac e converſo, ut ſuperius innuebam, ex communionis cum Epiſcopis aliis carentia quiſpiam excommunicatus rite exiſtimandus non eſt. Hoc reſponſo ecce repercuſſum Dupinii, & Tillemontii telum, penituſque illorum objectum profligatum. Si Meletius Romanæ Eccleſiæ communione carebat, ab Eccleſiæ communione revera erat exciſus. Caruiſſe revera, exinde conjicere eſt, quod eapropter, ceu ab Eccleſiæ communione præciſo, cum eo tum S. Athanaſius, & Ægyptii Epi-

Episcopi, referentibus S. Basilio epist. 325, & Rufino lib.1. hist. Eccles. cap. 27; tum S. Epiphanius cum Episcopis Cypriis ipso fatente hær. 77. nihil sacri habere commune deinceps voluerint. In hac sententia dicendum erit Meletio deinde ab Ecclesia Romana communionem restitutam, eumque tacite in sua Antiochena sede toleratum. Sed verior ea mihi videtur sententia, quæ Meletium a Romanæ Ecclesiæ communione unquam abscissum negat: esto enim fide apud ipsam aliquando laboraverit: esto etiam, quemadmodum cum Paulino factum, Meletius ab illa frequentioribus litteris visitatus non fuerit, ne videlicet duos in eadem simul Ecclesia Episcopos probare quodammodo putaretur; sive uti scribit S. Avitus Viennen. epist. 3. edit. Sirmondi pag. 20, quædam simultas intercesserit: postquam tamen probe comperta ejus integra est fides, ab eoque dictum Ario anathema fuisse, deinceps ab eo admodum non abhorruit. Conjicere id est ex eo, tum quod, velut ajebam, Concilii Alexandrini decretum, quo exceptis erroris auctoribus, lapsis pœnitentibus suorum graduum venia fuerat facta, Romana Ecclesia probaverat, testibus S.Athanasio in epist. ad Rufinianum, & Rufino hist.Eccles. lib. 3. cap. 28: tum quod Synodi Antiochenæ decretum, quo suo pacifice stare loco uterque permittebatur, suique gregis seorsim curam gerere, ea lege, ut si alterutrum mors occupasset, ne altero superstite secundus ordinaretur Antistes, Episcopis Italis Concilii Aquilejensis probatum fuerat, ideoque Romano Pontifici, ut liquet ex Synodica ad Imperatores: tum quod Meletius Patriarchæ nomine Synodo Antiochenæ præfuit, in qua formulæ fidei a S. Damaso cum Synodica subscribendæ missæ syngrapham apposuit suam: tum quod ad S. Damasum scribens S. Hieronymus auctor est a Meletio æque, atque a Paulino jactatum se ambos S. Damaso adhærere, seque hærere propterea in ancipiti positum, cujus præ altero partes amplecteretur: tum demum, quod eos, qui cum Meletio ultro citroque communicabant, Ecclesia Romana a sua communione neutiquam repulit. De Flaviano, quem in eadem Antiochena Ecclesia successorem excepit Meletius, idem ferme judicium ferendum: videlicet quia præter fas, & datæ fidei religionem, qua ad pactum utrinque initum de altera

tero non subrogando Antistite, Meletio, aut Paulino defuncto; quod, ut diximus, Romano Pontifici S. Damaso fuerat probatum, servandum se obstrinxerat, Antiochenam Ecclesiam occupaverat, apud Pontificem aliquando laboravit, fuitque propterea in jus advocatus. Verum postmodum Flavianum, integra comperta ipsius fide, postquam litteris, & legationibus veniam, & gratiam a Pontifice rogasset, ejusque caussa Theophilo Alexandrino a Concilio Capuano fuisset demandata ex consensu Pontificis decernenda, velut auctor est S. Ambrosius epist. 56; Theophilus etiam atque etiam rogatus a S. Chrysostomo, ut Flaviano Romanum Pontificem reconciliaret, tandem a S. Siricio, qui Damaso successerat, communioni suæ restitutum, ac propterea ab Episcopis pariter Ægyptiis, perhibent Socrates lib. 5. cap. 15; Sozomenus lib. 8. cap. 3; Theodoretus lib. 5. cap. 13, testisque liquidus, locuplesque accedit S. Bonifacius I. in epist. ad Episcopos Thessaliæ, apud Holstenium Roman. collection. tom. 1. pag. 76; de quibus dilucidius infra. Itaque idem judicium esto de SS. Elia Hierosolym., & Daniele Stylita. Confer de his interea Bollandum ad diem 22. Febr., Sollerium ad 4. Julii, & in hist. Patriarch. Antioch. in S. Meletio §. 33; ac Cuperum in hist. Chronolog. Patriarcharum Constantinop. Parergo 4.

Quod postremo oggeritur loco de Orientalibus S. Johanni Chrysostomo infensis ab Occidentalibus diro schismate divulsis, siquidem fusiori oratione infra sim disputaturus, quantum nunc attinet, sic breviter dispungo. Ob caussam S. Chrysostomi observo 1. principio a S. Innocentio I. P. M. cum neutra parte communionem abruptam, Palladio teste in dialogo, ac referente pares communionis, pacisque litteras utrique parti missas a Pontifice, a quo tamen improbatum fuerit judicium a Theophilo prolatum contra S. Chrysostomum. 2. Pontificis litteras in gratiam S. Chrysostomi maximi fuisse ubique factas, quas ubi Demetrius Pesinuntis Episcopus Orientem percurrens ostendit, ubique prædicans, teste Palladio, S. Chrysostomum Romano Pontifici communione esse conjunctum, suscipere, ac subscribere officio, religionique habuerunt Theodorus Tyanensis, Cariæ Episcopi, & Ecclesiæ Antiochenæ Clerici. 3. Præter Orientales modo commemora-

moratos, ex Episcopis alios multos in S. Chrysostomi communione mansisse; e contra cum Theophilo nihil voluisse deinceps habere commune: ita namque de Africanis conjicere est ex epist. S. Chrysostomi 149. ad Aurelium Carthagin.; de Occidentalibus, & Illyricis testis est disertus Theodoretus lib. 3. cap. 34. 4. a Pontifice cum Orientalibus, ac præsertim cum Theophilo, ut refert Palladius, communionem fuisse suspensam quidem, interruptamque, sed redintegratam tandem, postquam in sacra Diptycha S. Chrysostomi nomen retulissent; ac reapse restitutam Alexandro Antioch. liquet ex epist.23.edit.Cout.S.Innocentii ad Bonifacium Presbyterum; Attico Constantinop., id enixe roganti, idemque pro eo rogante Maximiano in Illyrico Episcopo, testatur Theodoretus lib. 1. cap. 34; ac tandem S. Cyrillo Alexandrino, ad S. Chrysostomi memoriam recolendam reducto ab Attico Constantinopolit., & Isidoro Pelusiote, liquet ex Nicephoro lib. 14. cap.28; ex Attico ipso in epist. ad S. Cyrillum, atque ex eodem S. Cyrillo in epist. ad Nestorium, ubi S. Chrysostomi, ceu Episcopi sanctitate, doctrinaque conspicui, testimoniis ad hæreticum hominem revincendum utitur. Hæc qui tenet haud dubie deducit a Romani Pontificis unitate nulli fas esse deflectere. Amplius: a Romani Pontificis unitate haud deflectere pro eodem accipi, atque a Romano Pontifice in fide non discordare. Inferre igitur exinde est certo certius Pontificem a fide non posse deficere. Hæc de infallibilitatis prærogativa Pontifici adscripta. Modo ut efficiamus Pontifici alterum Privilegium supremæ potestatis esse adscribendum, a testimoniis ad exempla excurrimus: nam exempla non minus ea, quæ debent fieri docent, quam ea, quæ facta sunt, dilucide, & certo demonstrant.

Ex jure sedandi, extirpandique Schismata in Ecclesia sive Orientali, sive Occidentali exorta.

§. I.

TOt testimoniorum, quæ hactenus contexta sunt, vim, roburque qui tenet, tenendam constantissime eatenus cum Pontifice Maximo unitatem conspicit, quod Pontifex caput, & centrum

trum unitatis à Christo Servatore fuerit sapientissime constitutum, eaque profecto de caussa, ut Pontifici, ceu capiti membra, & centro partes, copulati universi Christifideles idipsum quod ille dixerit, dicerent utique omnes, sentirentque, quod senserit: ideoque in unitate obedientiæ, in unitate doctrinæ, in unitate Sacramentorum sub uno Pontifice unanimiter permanentes, tranquillam, christianoque dignam nomine vitam degerent: atque ita omnium omnino, ut S.Paulus in optatis habebat, & Patribus nostris nihil habebatur antiquius, sit unus Dominus, una sit Fides, unum Baptisma. Referebat itaque maximopere, ut Romanis Pontificibus supremo in Ecclesia loco positis officio cederet, Ecclesiasticæ unitatis, & caritatis Christianæ vindices agere; & cunctos ad concordiam Christifideles componere. Egregiam propterea hanc ab Ecclesia schismata extirpandi provinciam ipsis a Christo D. imponi, e re Ecclesiæ summa erat, ac sua. Qua quidem præclare illos perfunctos oratione nostra, etsi ea res manifesta non indigeat, dubitantibus tamen, aut denegantibus est ostendendum: unde manifestum fiat Pontificum potestatem esse supremam, qua ita agunt; esseque infallibilem, qua ita docent. Ut ordine vero oratio nostra decurrat, temporis ratio præ oculis habenda erit: ac proinde a primo Sæculo capere præstabit exordium, ac deinceps excurrere per singula, quæque nonnisi post multum vel temporis decursum, vel laboris impendium finem acceperunt, compendiosa narratione complecti Sæculo igitur I. Christiano. S. Clemens Ecclesiam Corinthiorum diro schismate dilaceratam accipiens, atque mutua in se exardere illos invidia non modo, sed in eos etiam, quos sacrorum haberent Ministros, inobedientia concitatos esse, adeo ut susque deque sacra omnia agerentur, periculumque immineret, ne pessum iret, quam ab Apostolis acceperant, fides, data epistola apud Eusebium lib. 3, cap. 12. in pace firmavit: quæ quidem tanti apud Corinthios facta est, ut in Ecclesia diebus anni solemnioribus recurrentibus legi soleret. Ejusdem epistolæ meminere S. Dionysius Corinthius apud Eusebium lib. 4. cap. 23; S. Irenæus lib. 3. cap. 3; Clemens Alexandr. lib. 4. Stromat. pag. 516; Origenes lib.2. de princip. cap. 3, aliique apud Cotellerium

lerium tom. 1. PP. Apost.; Ceillierium hist. gener. Auct. sacror. tom. 1. cap. 10. art. 2.; de eaque nos alio in loco egimus. Id autem inter alia Corinthios edoctos voluit S. Clemens: Deum auctorem esse Hierarchiæ Ecclesiasticæ: a Deo missum D.N.J.Christum, & a Christo Domino missos Apostolos: ab Apostolis, postquam a Spiritu Sancto fuisent in fide firmati, iis, quos ad fidem pertraxissent, Sacrorum Ministros præfectos fuisse Diaconos, Presbyteros, & Episcopos: iis igitur absque ingenti piaculo obluctari non posse, neque gradum ab Apostolis concreditum auferri: præstare magis proinde, ut illis Apostolorum loco stantibus auscultarent, si ipsimet in officio stare vellent: percupere id se permagne, sperare, & persuadere, nihilque horum habere antiquius ait. Adisis cit. Auctores. Vel ex uno hoc loco retunditur intolleranda Petri Jannoni temeritas, qua non uno in loco plures inter errores intexere illum non erubuit, idest, nec publicum Religionis exercitium a Christo D. constitutum, nec in Ecclesia publicum Regimen institutum: pendere utrumque proinde a Principali potestate. Negabit enim nemo Corinthios penes Rerumpublicarum administrandarum potestatem stetisse, eam tamen contra Ecclesiasticam eniti S. Clemens Christi mandato vetuit, Dei institutione vetitum dicens partem aliquam sacræ præfecturæ detrahere, grandeque nefas Episcopo fasces laicum quemcumque non submittere.

Sæculo III. S. Cornelius a S. Cypriano accipiens Ecclesiam Africanam, diro, ac diutino schismate scindi, suarum extemplo partium esse duxit eidem occurrere, ut sedata tempestate pax Africanæ Ecclesiæ redintegraretur. Schismatis istius auctor fuerat Felicissimus: incentor Novatus in Africa Episcopus: nempe iste illum inconsulto S. Cypriano Diaconum constituerat, ut eumdem adjutorem in rebus moliendis novis haberet; ille vero impotenti sive æstu ambitionis, sive invidiæ libidine, qua percitus, postquam electioni S. Cypriani pro viribus, sed frustra, obstitisset, eo prætextu, quod S. Cyprianus Confessorum libellos præter modum pœnitentias relaxantes minus admitteret, ne videlicet morum disciplina in Ecclesia obsolesceret, & delictorum invalesceret licentia, ideoque officii loco duxisset, stu-

 dioque

dioque disciplinæ lapsis in persecutione Decii communionem differre, donec congruam pœnitentiam secundum Canones adimplesent, colligatis aliis sibi quinque Presbyteris facto schimate, tum Lapsos, tum Confessores a S. Cypriano abstrahere studebat: quos verò abstraxisset in dies, in monte quopiam colligens, ibique altare sacrilegum erigens, Ecclesiam seorsum constituerat. Sane schismaticorum factionem funditus extirpare Pontificis esse partes comperit proculdubio S. Cyprianus: postquam enim frustra cessisse tum privata, quæ ad segreges illos a schismate abstrahendos media ipsemet adhibuerat, tum publicam, quam in schismaticos illos sententia animadverterat Synodus, tum demum indomito schismati convellendo S. Cornelii operam impendi oportere cognovit, quam reapse conscripta epist. 55. imploravit, Pontificis animum præoccupate contra indeflexos conjuratos sedulo satagens, rationemque adferens, cur eo de schismate S. Cornelium non continuo fecisset certiorem. Sed & Schismaticis illis perspectum erat, intimeque persuasum, Ecclesiam, quam contra Episcopum suum erexerant, stare, aut cadere debere, juxta quod S. Cornelius ut caderet, aut staret auctoritate sua dixisset. Ideo enim sive ut jus communionis, quo in Africa exciderant, ab ipso suffurarentur, sive ut schismatis caussam, quibus valerent potissimis, viribus apud ipsum suffulcirent, ad Pontificem Romam properarunt: ubi tamen, uti cogitaverant S. Cyprianum calumniis cooperire, & S. Cornelio fucum facere, rem illis ex voto non cessisse toties dictum est, ut dicere non juvet denuo, nec intersit.

Insequenti Sæculo IV. ex infelici germine Felicissimi Donatistarum, nec minus dirum, schisma in perniciem Ecclesiæ pullulavit: idest ad illius non tam imitationem, quam incitationem libido istos invasit seorsum in Montes, unde Montensium deinde nomen Donatistis adhæsisse significat S. Siricius in epist. ad Episcopos Africæ, ad sacrilegos celebrandos Conventus secedendi, mysteriisque se initiandi superstitiosis. Sævo, diroque schismati initium dedit invidia, qua ad Cæciliani locum vehementer adspiraverant Botrus, & Celeusius: vires adjecit indignatio, qua in Cæcilianum vindictam quærebat Lucilla præpotens fœmina:

mina: agmen adjunxit avaritia, qua Cæciliano sacrum deposi-tum invidebant plebis Seniores: deniqne nomen indidit ambitio, qua Cæciliani æmulus Donatus conspirationis facem accendere, partesque adaugere suas adnitebatur. Adjumentis hisce brevi schisma radices altas egit, ac in hæresim evasit; nam dissemi-nari tardatum non est: Sacramentis extra Ecclesiam collatis nul-lam vim inesse: Ecclesiam Traditorum contagio, malorumque consortio interiisse, sorteque in sola Donati parte integram permansisse: ideoque ad Donatistas confluentibus denuo baptis-mus conferebatur, & Episcopis manus sacrilege secundó impo-nebantur. Horum locupletes testes advocato S. Optatum lib. 1. adv. Parmen., junctis observationibus Francisci Balduini, Ga-brielis Albaspinæi, Caroli Paulini, Philippi Priorii, Merici Casauboni, Gasparis Barthii, Ludovici Ellies Dupinii &c., & S. Augustinum lib. de hæres. cap. 69; in Brevic. collat. diei tertiæ cap. 14., adjectis historiis, differt., & notis hac de re adorna-tis a Francisco Harlæo, Emanuele Schelestratio, Henrico No-risio, Johanne Launojo, Henrico Vallesio, Johanne Nicolai, Tillemontio, Pagio, Garnerio, Natali &c; atque ex Prote-stantibus a Johanne Forbesio, Thoma Ittigio, Melchiore Ley-dechero, Thoma Long, Christiano Nifanio, Philippo Storrio, Hermanno Vitsio, Vejelio, Sadeele, Ancillonio &c.

Pertinacissimo schismati profligando unum parem fuisse Romanum Pontificem, ultro citroque fassi, professique sunt S. Cæcilianus, Constantinus M., Donatistæ ipsi, Patresque cum Africanæ Ecclesiæ, tum Synodi Arelatensis. S. Cæcilianus, quem paratissimum ad caussam suam Pontifice coram dicendam, parvique pensa conspirantium in se factione, de una Romanæ Ecclesiæ communione festivum, contentumque perhibet S. Au-gustinus in epist. 162. Constantinus M., a quo nihil habitum anti-quius, quam Donatistarum ad se ultro delatam caussam S. Mel-chiadi integram dimittere ex SS. Optato, & Augustino sæpius est demonstratum. Donatistæ ipsi, quippe qui testibus SS. Optato lib. 1, & Augustino ep. 162, ac in Brev. collat. diei 3. cap. 18, ul-tro incunctanter ad conspectum Pontificis caussam dicturi compa-ruerunt, incompetens judicium nequaquam causati. Verum qui-

dem est, quod causa dein excisi judicio stare detrectarunt, non equidem provocando ad Imperatoris Tribunal, ut Pagio, & Natali placuit, sed Judicum pauciratem, aut etiam partium studium, quo essent præoccupati, objiciendo, sicuti Valesio, & Sirmondo veri similius est visum: at ejusmodi agendi ratione ostenderunt, quod hujusce furfuris hominibus non infrequens est, videlicet nolle, ac nescire in sententia manere schismaticos; utque sibi ex sententia vota succedant, susdeque divina, humanaque pervertere. Agnovisse ex Patribus Africanis SS. Optatum, & Augustinum, quum agerem de opinione, quam de Pontifice iidem animo gererent, tomo 2. par. 1. art. 8. §. 1. pag. 297, & 304; nec non art. 9. §. 1. pag. 415. dilucide, aut ego fallor, & abunde demonstratum est. Agnovere procul etiam dubio Patres Concilii Arelatensis: nec enim iterato examini Donatistarum causam a S. Melchiade jam conclusam, ac definitam ideo subjici passi sunt, vel quod Pontificis judicium, nisi accederet Concilii assensus, minori haberent in pretio; vel quod absque Pontificis auctoritate fas esse Concilio de ejus judicio secundò judicare putarent, sed ea una de causa, ut quietis impatientes homines intra æqui, justique ordinem denique constringerentur, & obloquentibus durissimum os demum obstrueretur. Cæteroquin enim Concilio, ut præsentia sua adesse S. Silvester dignaretur, obnixe obsecratus, Legatos ad illud misit, qui suas vices supplerent; eorumque postea, quæ in Concilio gesta fuissent, accurata relatione missa, rogatus etiam, atque etiam a Patribus est, ut definitis auctoritatis suæ robur adjungeret, eademque auctoritate efficeret, ut Ecclesia universa adquiesceret. Eas ergo partes egerunt SS. Melchiades, & Silvester, quibus schisma facile sedari, extinguique potuisset, adeo ut sola Donatistarum pertinacia in dies adhuc duraverit, excreveritque: cui perinde excindendo, profligandoque operam suam, navamque postquam impendissent SS. Siricius, Leo, & Gregorius, in operis partem laicas potestates advocare non prætermiserunt, donec factum est, ut Constantini, Constantis, Valentiniani, Gratiani, Theodosii, Honorii, Arcadii, Theodosii Junioris, & Valentiniani II. legibus demum per-

perdomaretur Donatistarum pertinacia, durissimæque confringerentur hominum cervices, uti constat ex Cod. Theodos. LL. 1, 2, & 4. *Ne Sanctum Baptisma iteretur*: & LL. 51, 52, & 65. *de Hæreticis*: ex S. Optato lib. 1, & 2; ac S. Augustino lib. 2. contra epist. Petil. capp. 30, & 92; epist. 50. ad Bonifacium, locisque aliis.

De Schismate eodem Sæculo IV. a Meletio Lycopolitano in Ægypto Episcopo conflato adversus S. Petrum Alexandrinum, a quo ob idololatriæ, & genus alius flagitia gradu fuerat amotus, in factionis partem advocato jam tum Ario, qui invidia, æstuque ingenti ambitionis æque, ac ipse odio, iraque sæva in S. Episcopum conflagrabat, tabescebatque, siquidem non multo post in Concilio Nicæno compressum, & prostratum est, nec proinde Romani Pontificis operam desideravit, non præstat dicere. Neque dicere multis est opus de Schismate instaurato a Lucifero Calaritano, qui a S. Eusebio Vercellensi de ordinato Paulino imprudentiæ objurgatus, livore percitus, vicem ipsi ut rependeret, ab ipso decreta in Concilio Alexandrino de Lapsis cum proprio gradu, & honore recipiendis illiberaliter reprehendere cœpit, nec destitit, donec sive cum iis, qui reciperent, sive cum iis, qui essent recepti, communionem abscidisset: ac ita ab Ecclesiæ unitate se, & alios abstraxisset. Quippe post Luciferi obitum, qui anno 370. contigit, idest octo circiter annis ab exorto schismate, vix, ac ne vix quidem in Hispania, quò ex Sardinia profugi se receperant, horum schismaticorum reliquias fas fuerit reperire: quas tandem penitus sub Theodosio M., hoc est circa annum 392. defecisse, exinde capere licet conjecturam, quod post illud temporis illarum nulla superfuerit litterarum monumentis demandata memoria. Sane istud schisma propugnatores sortitum legitur præ aliis acerrimos Helladium, Taorgium, Ephesium, Marcellinum, Faustinum, & Hilarium Diaconum S. R. Ecclesiæ, quem imperiti Centuriatores nominum similitudine decepti cum S. Hilario Pictaviensi calumniosissime confuderunt. Verum hi vix habuerunt, qui in suas partes descenderint; qui vero descenderant, multam partem brevi desertis schismaticorum castris ad Ecclesiæ consortium regressi sunt. Quinimmo ipsum quoque Hilarium ceteris procaciorem, animoque pertinaciori in defendenda

denda sententia, resipuisse tandem a schismate, quin etiam a S.Damaso Romanæ Ecclesiæ reconciliatum fuisse, augurari exinde fas est, quod idem Hilarius, (cui, sicuti contra Petavium Natalis histor. Eccles. Sæculo IV. cap. 6. art. 14. pugnat, Commentarii in epistolas S. Pauli olim toties inter S. Ambrosii opera editi, aut etiam S. Remigio Lugdun. attributi, referri debent accepti, perhonorifice de S. Damaso Pontifice M. in epist. 1. ad Timoth. cap. 3. vers. 15. loquutus legitur, quem Domus Dei, sive Ecclesiæ Catholicæ Rectorem vocat, eique communione se conjunctum significat. Fundum hujusce sententiæ ex hisce Commentariis ad cap. 5. ad Roman. laudans S. Augustinus lib. 4. cap. 4. contra duas epist. Pelagian., auctorem Hilarium Sancti nomine appellavit. Incredibile id visum multis Eruditis, ut is Sancti titulo insigniretur, qui a S.Hieronymo in lib. adversus Lucifer. ob hæresim Anabaptismi Orbis Deucalion audierat; quemque Pelagianæ imo hæresis stigmate Jansenius lib. 7. cap. 4. de hær. Pelag. inussit. Atqui in cap. 1. ep. 1. ad Corinth. Rebaptizantium hæresi, quam ipse pridem schismati adjunxerat, expresse dicam conscripsit: quem proinde ab hæresi, ac schismate decedisse, & quidem sub Sancti Damasi tempore, ac S. Damasi opera, pronum est dicere, ac putare.

Gradum igitur potius reflectere præstat ad schisma alterum, a quo eodem Sæculo IV. dire, sæveque afflictata, divexataque Ecclesia Antiochena est. Porro in tres partes Antiochena Ecclesia discissa est: Arianis quidem Eudoxio Ariano, deinque Euzojo Ariano itidem; ex Catholicis vero aliis Eustathio, Meletio aliis indivulse adhærentibus. Partium conciliandarum studio quum imprudenter Luciferus Paulinum desuper ordinasset, schisma, ut putaverat, non extinxit, sed auxit: quod adhuc magis accendit controversia tum mota de nomine hypostasis: nam Meletius, ejusque partiarii tres in Deo prædicabant: e contra Paulinus, quique ipsi adhærebant, unam dumtaxat: unde sibi mutuo hi Arianæ, illi Sabellianæ hæreseos notam inurebant. De consepeliendo, aut consopiendo schismate saltem, quo conflagraret, facile erat, Ecclesia Orientalis non modo, sed Occidentalis etiam, in Concilio Antiocheno celebrato anno 377, aut 378. consilium initum est, inque idque

idque conventum utrinque, ut alterutri decedenti non superordinaretur alter, sed qui superstes esset, is solus audiret Episcopus. Nec sepultum tamen, aut sopitum est schisma, sed magis accensum, & auctum: nam defuncto Meletio suffectus est Flavianus, ac posthinc Paulino Evagrius. Neque etiam Theophili opera, cujus ei pretium fecerat Capuana Synodus, pertinacissimum schisma potuit sedari, quin etiam vires sæviendi majores accepit, ex eoque aliud imo exortum est: nam fatis functo Evagrio, qui ejus partes fuerant consectati, secessione facta, proprii juris esse maluerunt, quam in alterius castra transire. Porphyrio vero, quem loco Flavianus excepit, consortio sacrorum conjungi noluerunt, quotquot erga S.Chrysostomum, cui ille infensissimus erat, animo erant optime comparati. Itaque Schisma Antiochenum ad annos, vel 85, sicuti scripsit Theodoretus, vel 68. dumtaxat, velut autumat Spondanus ad annum408,ab ejectione scilicetS.Eustathii usque ad S. Alexandrum Porphyrii successorem, perduravit. Conferendi, si libet, Valesius in not.ad Eusebium de vita Constant. lib.3. cap.59; Pagius ad annum 340. num.19.; Tillemontius tom.7. Monum. not.3. in S. Eustathium; Sollerius in hist. Chronolog. Patriarch. Antioch. in S. Eustathio §. 24; & Gothofredus in dissert. ad Philostorgii lib. 2. cap. 7.

Jam vero partium suarum reputantes Romani Pontifices Schisma quam dirum, tam diuturnum abigere, & abolere, quid non per semet, quid non per Synodos pertentarunt? In Paulinum equidem præ Meletio propensior S. Damasus æstimari potuit ex epistola ad ipsum,quam Holsteniuspublici juris fecit in Collect. Rom. par. 1. pag. 180; quæ epistola quantum Paulino tribuit, tantundem Meletio videtur adimere, si ad eum referri liceat, quod ibidem habet, videlicet eos, qui ab Ecclesiis suis ad alias migrant, a sua communione alienos ab se haberi. Atque ista utique epistola, sicut & alia, cujus in hac mentio occurrit, a S. Damaso pariter ad Paulinum directa, ejusdem partiarios gloriari consuevisse refert S. Basilius in epist. 349. Nihilominus Meletium a sua communione S.Damasum non abscidisse adparet ex Synodo Antiochena anno 397, in qua Synodicæ a S. Damaso directæ subscriptus legitur; denique ex Synodo Nicæna II. act. 1, in qua Petrus Abbas

bas S. Sabbæ Hadriani I. Apocrisiarius Patribus applaudentibus palam dixit: *S. Meletius ab Arianis est ordinatus, & prædicavit homousion : Ordinatio autem ejus non est repudiata*. De sedando igitur schismate valde sollicitus S. Damasus, cui etiam stimulos S. Basilius injicere non desinebat, auctor præsumitur Synodo Aquilejensi pactum approbandi ab utraque parte sancito, (in Synodo Antiochena putat Baronius, contra quem pugnat Sollerius), de altero non subrogando in defuncti locum, sed qui superstes esset, is solus Antiochenam Ecclesiam administraret : quod sane non probasset Synodus, sicuti legitur in Synodica ad Theodosium, nisi antea Pontifici certe placuisset. Hinc cum Flaviano in locum Meletii demortui suffecto communionem suspendit, & Orientalibus hanc ob conventionem violatam succensuit, diemque constituit, quo Romæ ad Concilium comparere deberent : cui interfuisse Paulinum refert S. Hieronymus in epist. 86, alias 27. ad Eustochium. Quod paruisset Paulinus, parere detrectasset Flavianus, veluti denarrant Sozomenus lib. 7. cap. 11., & Theodoretus lib. 5. cap. 23, Spondanus ad annum 382. suspicatus est in Romana Synodo adversus Flavianum Paulino fuisse adjudicatam Ecclesiam Antiochenam. Cui tamen conjecturæ id obest, quod si Paulinus in Romana Synodo caussam vicisset, profecisset ex hac victoria pariter, quem loco excepit, Evagrius, cui tamen nihilo magis, quam Flaviano Synodum Capuanam favisse, argumento est S. Ambrosii epist. 9. lib. 1. ad Theophilum; nec Capuana subinde opus Synodo fuisset ad hanc finiendam litem.

Post S. Damasi obitum manente dissidio, ut erat, S. Siricius postquam frustra Flavianum Romam in judicium accersivisset, quod ille caussæ suæ, conscientiæque metuens non tam declinavit, quam delusit, potius ab Imperatore postulans Synodum in Oriente cogi, ad quam commode ipse causam dicturus occurreret, Capuanæ Synodo consensu suo auctor fuit, ut Flaviani, Evagriique causa definienda delegaretur Theophilo Alexandrino, Ægyptiisque Episcopis, ut qui neutri parti studerent, diligenter admonitis, ut quæ definienda forent, ad æqui justique libram ita prius expenderent, quatenus Pontifici deinde

de essent placitura. Quamvis autem Flavianus, & hoc judicium refugerit, Theophilo agente tamen, & ostendente e re Ecclesiæ esse, ut communione Flavianus non fraudaretur, cum eodem S. Siricius, teste S. Bonifacio I. in epist. 15. ad Rufum, communionem non interrupit, nec interrupisse perinde cum Evagrio proclive est æstimare. Porphyrium tamen, qui post Flaviani vacantem locum non tam implevit, quam invasit, communionis participem facere constanter denegarunt Pontifices Summi, sive Siricius, sive Anastasius, sive Innocentius: præ Theodoreto vero, qui Porphyrium lib. 5. cap. 35. illustri mactat elogio, fides adhibenda Palladio, qui scelestissimam hominis vitam penitus introspexerat, quam in Dialogo a pag. 141. edit. Parif. 1680. plenam exhibet stupri, rapinæ, ac tyrannidis; nec id ante Episcopatum magis, quam quum illum furtive jam contra jus, fasque involasset: hominis etiam in S. Chrysostomum invidia tabescentis, ac felle refertissimi; Ecclesiæ Antiochenæ execrati, & a Romana rejecti, a qua ne responso quidem ad epistolam, quam direxerat, dignus est habitus. Post seram pœnitentiam Porphyrio extincto, qui in Antiochena successit Ecclesia, S. Alexander schisma tandem sedavit, utraque in unam parte composita, Ecclesiæque pace redintegrata. Redintegratæ tamen pacis, sedatique schismatis auctorem magis, quam Alexandrum existimare S. Innocentium I., uti scribit ad annum 408. Spondanus, licet, dum Alexandro legatis, ac litteris Romanæ Ecclesiæ communionem desideranti, & deprecanti, non alia lege ei illam largitus est, quam ut profligandi schismatis operæ suæ enixæ prætium faceret; ideoque ut communione ipse sua ante donaret ordinatos ab Evagrio, ejusque sectatores in Ecclesiasticam societatem admitteret: præterea ut e Diptychis Porphyrii expuncto nomine, in eadem e contra nomen S. Chrysostomi restitueret. De quibus præstat legere præ aliis S. Innocentii I. epist. in edit. Cout. 20, & 24. ad Alexandrum; 21. ad Acacium; 22. ad Maximianum; 23. ad Bonifacium; junctis ibidem Coutantii notis; S. Bonifacii I. epist. 15. ad Rufum, & Episcopos Macedoniæ; S. Ambrosii epist. 56, & 78; S. Gregorii Nazian. Carmen de vita sua, S. Basilii epist. 74. ad Occident., Palladii dialogum, ac indi-

cem eidem subnexum; Socratis lib. 5. capp. 5, 15; Sozomeni lib. 7. capp. 3, 11, & 15, & lib. 8. cap. 3; adjunctis Valesii adnot. ad Sozomeni cap. 11; Theodoreti lib. 5. cap. 35; Rufini lib. 10. capp. 27, & 30; & Nicephori lib. 14. capp. 25, & seqq.; nam de Recentioribus nunc retexere nihil juvat, & interest.

Schismate altero Sæculo V. ab Alexandrina divulsa est Ecclesia Antiochena. Istud a Johanne Antiocheno Episcopo sive adversus Concilium Ephesinum congregato seorsim in ædibus suis Conciliabulo, sive adversus S. Cyrillum Alexandrinum ejaculata depositionis sententia, (siquidem animo proposuisset Nestorium amicum modis omnibus defendere, adnitique, ut eidem integra tam fidei, quam famæ, gradus quoque, quo periclitabatur, jura manerent), excitatum est, nihilque artium neglectum, ut occupato Theodosii Augusti animo in partem eum pertraheret, ac Nestorii caussæ faceret facilem. Veruntamen rerum veritatem tandem edoctus Theodosius apud Johannem naviter egit, ut a Nestorii se abdicaret necessitudine, e contra cum S. Cyrillo concordiam redintegraret: cujus sequestrem cum Acacio Berœensi accedere voluit S. Simeonem Stylitam, inscriptis ad utrumque litteris, quæ par. 3. Concil. Ephes. extant. Composita est pax, pacisque conditionibus a S. Cyrillo præscriptis consensum præbuit cum Orientalibus suis Johannes, retroque fidei confessionem ex Orientalium consensu ad S. Cyrillum transmisit, quæ societatis initæ sincera veluti tessera esset. Quod indicium est sane haud obscurum Orientales in S. Cyrillo veneratos Pontificis vices, eisdem fungenti suos ultro submittere fasces officii loco deputasse. Quæso enim te, a quonam tandem Orientales se cogi passi essent, ut pacis legibus ab Alexandrino Præsule condictis infime se demitterent, fideique confessione, quæ illi placeret, absque ulla tergiversatione se devincerent? An ne S. Cyrilli propria auctoritate pressi? Minime gentium: nam nullum Alexandrino in Antiochenum jus inerat. An Imperatoris sacra jussione perterriti? Neutiquam sane: etsi enim suasisset id summopere, sub interminatione tamen non injunxerat. An demum Concilii Ephesini decreto compulsi? Neque magis: nec enim illud in albo œcumenicorum adnumerabant; sed & suum, nec sane Episcopo-

coporum numero exiguum, siquidem 43. omnino subscripsissent, seorsum absc habitum Ephesino objiciebant. Præter quam quod sive Alexandrinum Antistitem, sive Episcopos Ephesinos criminandi non unam caussam obtendebant Orientales, idiomatum, idest communicationem causantes, ac duodecim S. Cyrilli Capitula; ut proinde pacis œconomia ab eisdem urgendis desistere satius habuerit, dum tamen hinc re, & sententia haud illos abludere intelligebat, sicuti significavit in epist. ad Acacium Melitenum, & in commonit. ad Eulogium Presbyterum. Non alterius igitur rei gratia, nisi quia partium esse suarum non ignorarent Pontifici Romano in persona S. Cyrilli morem gerere, ingensque nefas esse ab ejusdem communione vel transversum unguem resilire, S. Cyrillo Orientales sunt reconciliati. Quorsum vero conjecturis indulgeam, quando res persemet exploratissima est? Quid enim ab hac alterius caussæ fuit, cur Johannes legatis, litterisque cum singularibus, tum Synodicis, (quæ interierunt quidem, sed in Sixti rescripto indicantur), ad S. Sixtum III. inscriptis, eorum omnium, quæ cum S. Cyrillo definita, & conclusa fuissent, certiorem faceret; fideique descripta formula, & ab Orientalibus obsignata, rationem accuratam redderet, rogans etiam, ac etiam, ut ejusdem non secus atque resipiscentiæ suæ ratione habita, ad Romanæ Ecclesiæ communionem se, suosque reciperet? Quo perinde officio pro Orientalibus apud Pontificem S. Cyrillum perfunctum liquet ex ipsius litteris, quas legere est par. 3. Concil. Ephes. Quibus quidem nihil acceptius Pontifici accidere poterat: unde ad utrumque rescribens ex tempore de concordia tandem inita summopere gaudere se, & gratulari testatus est; probataque fidei professione, communionis suæ fecit participem. Confer Christianum Lupum in Scholiis ad epistolas Cassinenses capp. 50, 53, 80, 85, 91, 117, &c; Petrum Coutantium in Notis ad epist. 12. S. Cælestini ad Johannem Antioch.; nec non in epist. 5. S. Sixti III. ad S. Cyrillum, & 6. ad eumdem Johannem; Baronium ad annum 427. ad 436; Pagium ad annum 430. ad 440; Tillemontium tom. 14. Monum. in S. Cyrillo Alex., & Henschenium ad diem 28. Januarii.

Sedato eodem Sæculo Ecclesiam Antiochenam inter, & Ale-

Alexandrinam schismate, Nestorii occasione exorto, aliud æque dirum, diutinumque in Alexandrina occasione Eutychetis exarsit, quod Antiochenam inde pervasit, dehinc Constantinopolitanam depopulatum est, donec per Asiæ, & Africæ partem magnam propagaretur, ortumque dedit celeberrimo, atrocissimoque schimati Acacii. Ei vero extinguendo qualem, quanramque non impenderunt operam SS. Leo, Simplicius, Felix III. Gelasius, Anastasius II, Symmachus, & Hormisdas, a quo tandem, ut superis placuit, optatus ei finis impositus? Præstat ergo paucis, quoad fieri poterit, schismatis perniciosissimi perstringere ortum, progressum, exitumque; quamque Pontifices summi in eo profligando egregiam commodarunt operam, quo digna oppido est, elogio mactare: nam eo tandem sermo totus iste noster collineat. Ergo Dioscoro ob errorem defensum Eutychetis deposito in Concilio Chalcedonensi, Ægyptii Episcopi Alexandriam regressi Alexandrinæ Ecclesiæ loco Dioscori S. Proterium, qui a Coptis Bertares denominatur, anno 452. præfecerunt, qui e vestigio litteris S. Leonem M. tum de sua ordinatione, ut eidem placeret, tum de sua orthodoxia, ut ab eodem probaretur, certiorem facere e re sua duxit: quod officium pro ipso & præstitit Marcianus Imp. rectæ Proterii fidei perhibens testimonium. Quibus redditis S. Leo rescripsit epist. 103., quam ex Cod. Cardin. Grimani Quesnellus publici juris fecit, quum anrea solum ejusdem fragmentum apud V. Bedam de rat. temp. cap. 42. extaret; quave Prorerio tum de fidei integritate gratulatus est, tum partium fuisse suarum affirmat Apostolicam Sedem cerram facere de sua ordinatione, & fide, quæ a Romana non esset aliena: *Oportebat*, inquiens, *ut ab Alexandrinæ Præsule Ecclesiæ talia scripta ad Sedem Apostolicam mitterentur, quæ ostenderent Magisterio Beatissimi Petri Apostoli hoc ab initio per B. Marcum ejus discipulum didicisse Ægyptios, quod constat credidisse Romanos*. Verumtamen aliis Dioscorum reposcentibus, Proterium aliis recipientibus; his pro Concilio Chalcedonensi stantibus, illis ex adverso obnitentibus, accenso schismate, & adjecta hæresi, conspirationis facem præferentibus Timotheo Æluro, & Petro Moggo, a procacissima furente plebe crudeli lanie-

laniena e vivis S. Proterio deleto, ejusque locum invadente Timotheo, duas in partes Alexandrina Ecclesia miserandum in modum dissecta est, duas videlicet distracta in sectas orthodoxorum, qui deinde a Marciani nomine sunt denominati Melchitæ, sive Regii, sive Imperiales, & hæreticorum, qui deinceps Theodosiani a Theodosio Alexandrino; ac hodie dum Jacobitæ dicti a Jacobo Zanzalo, sive Baradæo, sive Clitellario, & a S. Johanne Damasceno lib. 3. de hæres. græco vocabulo denominati Σχηταματικοί, ac Μονόφυσιται: de quibus adeundi Evagrius lib. 2. histor. Eccl. cap. 5, & seqq.; Valesius in Notis ad eumdem; Henschenius ad diem 28. Februarii in vita S. Proterii; & Sollerius histor. Chronolog. Patriarchar. Alexand. capp. 4, & 5.

His malis ut occurreret S. Leo M., sollicitas dedit tum pondere graves, tum numero plures litteras a Quesnello editas, 116, 126, & 128. ad Anatolium Constantinop., 117, & 120. ad Julianum Coensem; 118. ad Basilium Antioch.; 119. ad Euxitheum Thessal., & Juvenalem Hierosolym.; 121. ad Aetium Presbyterum; (ex quibus tamen a Quesnello ex Cod. Cardin. Grimani descriptis tres 118, 119, & 121. suspecta fide laborant apud doctiss. Pagium ad annum 457. n. 7.) 123, 124, 127, & 130. ad Ægyptios Episcopos tum Constantinopoli commorantes; 115, 125, 132, 133, 134, & 137. ad Leonem Imperat.; 131. ad Clerum Eccles. Constantinopol.; 138. ad Gennadium Constantinopolit.; 139. ad Timotheum Salophaciolum; & 141. ad Clerum Alexandrinum, quorum profecto studia ad rem fidei, uti catholicos viros decebat, viriliter, & strenue agendam, defendendamque provocat, & inflammat. Provocati, inflammatique præ aliis Ægyptii Episcopi animum pariter Leoni Augusto inspirarunt, ut siquidem, quid sibi in tanta rerum perturbatione, sequendum, aggrediendumque foret, pro certo scire percuperet, afflictisque Ecclesiæ rebus præsto succurrere, ad principalium Sedium Antistites, sed præsertim ad Romanum Pontificem scribere non moraretur. Nihil fuit revera, quod moras inferre potuerit optimo Imperatori, qui Marciano decessori suo sive pietate religionis, sive pacis studio impar utique non erat, quin ex tempore encyclicas ad Episcopos orthodoxos omnes conscriberet, rogans ut quid

quid de Concilio Chalcedonensi sentirent, litterarum monumentis cito mandare non differrent. Rescripserunt autem tot, ut Liberato teste ex eorum rescriptis conflatus fuerit celeberrimus ille Codex Encyclius a quodam Græco homine, quem postea Cassiodori jussu divin. lect. cap. 11, latine redditum ab Epiphanio Scholastico in suas Concil. Collectiones inseruerunt Surius, Labbæus, Harduinus, Baluzius &c., in cujus editione adnotatio attexitur de numero Episcoporum his verbis expressa: *Expliciunt Epistolæ Episcoporum numero quingentorum*. Rescriptis hisce receptis, nec non libellis sibi ab hæreticis oblatis, quibus ipsius fidei obrepere fraude, doloque obnitebantur, Concilium indici Constantinopoli secundæ Imperatoris curæ, studioque cessit; in quo vindicata ab injuria est Synodus Chalcedonensis; Timotheo multo ignominiæ nomine irrogatum anathema, ejectoque ab Ecclesia homonymus alter, sed germane orthodoxus, Timotheus Salophaciolus in Alexandrina Sede collocatus: post hanc vero sub Anatolio, a S. Germano, quem in Ecclesia Constantinopolit. successorem excepit, Synodo altera Constantinopoli habita, Ecclesiæ rebus in declivi positis, ac in deterius prolabentibus in diem, modo, quo fieri potuit, meliori prospectum fuit.

Quamvis autem hæc approbe ita se haberent, firma tamen, fixaque non fore, nisi præterea Romani Pontificis accessisset auctoritas, intellexere sive Ægyptii Episcopi, sive Imperator, sive Anatolius, sive Gennadius, sive Salophaciolus. Ægyptii Episcopi, qui tam ad eumdem scripsere singulatim, quam Anatolio, ut scriberet, auctores se dedere, deprecati, ut de Alexandrinæ Ecclesiæ deplorando statu Pontificem facere certiorem non prætermitteret. Scripsit itaque Anatolius, scripsit & Imperator, spondentes curaturos summopere se, ut sententiæ suæ cuncti subscriberent. Quod vel unum documento est sane orthodoxiæ Anatolii, nec ideo hunc a S. Leone epist. 59, 63, 80, & 84. damnati olim dogmatis redivivum assertorem dictum, quod fide revera laboraret, sed quia a Schismaticis inaugurari se fuisset passus. Sed Anatolii fidem, ac famam abunde ab invidia liberarunt, & contra acerbiores Baronii, & Tillemontii accusationes defenderunt egregie doctiss. Andreas Chevillerus edita dissert. in Synod. Chalced. de for-

formulis fidei subscribendis cap.2 ; Antonius Pagius in crit. Baronii ad annum 451. n.37 , & seqq. auctoritate maxime Leontii lib. de Sectis act. 6 ; & Pinius in ejusdem acta ad diem 3. Julii tom.1. hujus Mensis, exinde non est cur rem actam agamus. S. Gennadius etiam , qui epistolam suam Encyclicam , ac Synodicam , (cui subscripsisse Episcopos 80. ex fide Mss. Codicum Bibl. Cæsar. apud Lambecium tom. 8. pag. 421 , & apud Leunclavium lib. 3. Juris Græco Romani pag. 187. referunt Labbæus , Harduinus , & Baluzius nov. Colect. pag. 1452 ; ideoque suspicantur a Balsamone ad calcem ejusdem epistolæ græce editæ numerum Episcoporum ad 73. fuisse contractum), potissimum ad Romanum Pontificem ipsius auctoritate probandam dirigere officii loco habuit. Salophaciolus vero , ut Episcopus est ordinatus , e vestigio ad S. Leonem litteras tum de sua ordinatione, tum de sua orthodoxia dare e religione reque sua duxit, obsecrans ut loco sibi delato per ipsum stare liceret , rationeque fidei habita , cujus descriptam formulam dirigebat, in communionem suam admittere ne detrectaret . Quibus S. Leo rescribens litteris superius indicatis admonet , adhortatur, & adigit ad officii partes adimplendas, strenueque agendum , satagendumque , ut ab se definita , & conclusa , ac Synodi Chalcedonensis dogmata loco integra suo manerent : ut ab Ecclesia Alexandrina Timotheo pervasore expulso , pax resarciretur , eamque occuparet legitimis suffragiis electus , probatæque fidei homo Salophaciolus: ne quispiam, quemadmodum Attico Presbytero Anatolius permiserat imprudentissime, pateretur contra Synodum Chalcedonensem disputare , deque ab se definitis litem, dubiumque intendere , quæ firma , omninoque fixa stare jubet , adeoque ut vel Synodo de iis denuo inspicire facultatem , ac fas omne adimat , hancce , quam in epist. 125. subtexit , ob caussam . *Quum universalis* , inquiens , *Ecclesia per illius principalis Petræ ædificationem facta sit Petra ; & primus Apostolorum Beatissimus Petrus voce Domini audierit* : Tu es Petrus , & super hanc Petram &c. *Quis est , nisi aut Antichristus , aut Diabolus , qui pulsare audeat inexpugnabilem firmitatem?* Quæ quid aliud, amabo, præseferunt, quam in quosque Præsules supremam , quin etiam Synodis superiorem , Pontificis Romani potestatem ; ac indefectibilem prorsus fidem ,

fidem, cujus quin imo firmitas in Ecclesiam, qua late patet, omnem promanet?

Hoc itaque modo sedatum est Schisma, Synodo Chalcedonensi consultum, & loco, quo a S. Leone fuerat confirmatus, pacifice stetit Salophaciolus; donec Basilisco tyrannidem arripiente, Timotheus Ælurus ab exilio liber, in ejusdem locum rursus insiluit, ac schisma denuo excitavit, eó præterea audaciæ inauditæ progressus, ut in Melchitas omnes, idest Chalcedonensis fidei adsertores, ac defensores, atque Patriarchas alios nedum, sed in ipsum etiam Pontificem M., tanquam præcipuum Chalcedonensis Synodi patronum, vindicem, assertoremque, anathematis jaculum, proh scelus! intorqueret. Re tam nefaria ad S. Simplicium P. M. delata, cujus ad mali cumulum illud accesserat, quod Æluro instigante quum Basiliscus Encyclicis ad Episcopos omnes exaratis Chalcedonensis Concilii decreta, ac S. Leonis dogmaticas litteras deleri, & ubique devoveri sub exilii, ac depositionis interminatione injunxisset, ad quingentos circiter, uti Zacharias Rhetor refert, Episcopi reperti fuerint, qui fœde animo, fideque despondentes, blasphemis litteris illis syngrapham apponere suam non abhorruerint, Pontifex rerum indignitate gravissime commotus, quatuor anno 476, & seq., in quem postremum omnes perperam conferunt Bollandus, & Henschenius ad diem 2. Mart. in vita S. Simplicii, epistolas exaravit, primam in Collect. Labbæi ordine 4. ad Imperatorem, (quem equidem Zenonem præfert Epigraphes, Basilisco tamen, sub quo tyrannidem agente Ælurum ab exilio regressum res novas, nefariasque molitum adversus Baronium ostendens, contendit Pagius ad annum 476. n. 13. & seq., itaque inscriptam legi in Cod. Virdunensi adnotavit Labbæus tom. 4. pag. 1070,), qua illum monet, tantis malis sedulus, ut e re sua erat, occurrat: S. Leonis litteras ad Imperatores prædecessores, & ad Chalcedonenses Patres diligenter perlegat, si de Sacramento Incarnationis Dominicæ velit approbe edoceri: illis proinde quempiam obluctari non permittat: ac postremo Alexandrinam Ecclesiam, pervasore expulso, legitimo suo reddat Antistiti. Secundam ordine 5. ad Acacium Constantinopolit., a quo per Diaconum Epiphanium rerum ab Eutychianis turbatarum

rum

rum fuerat certior factus, deque modo subveniendi Ecclesiæ rebus afflictissimis consultus, qua eumdem Apostolicæ Sedis legatione adauget, excitat, exstimulatque, tum ut conatu omni apud Imperatorem contendat pro Ecclesiæ Alexandrinæ schismate extinguendo, expellendo Æluro, & Salophaciolo redintegrando: tum ut pro virili portione se conferat, & impendat, ut impediatur Synodi indictio, quam hæretici in optatis habebant, ideo quod ingens piaculum esset S. Leonis dogmaticas litteras vel levem in dubitationem adducere. Tertiam ordine 7. ad Clericos, & Archim. Constantinopolit. Eccles. eosdem admonens, & adhortans, ut pro fide viriliter agerent, neque ad Ælurum, ejusque partiarios communione accederent. Quartam ordine 8. ad Zenonem Imperat., qua gratulatus eidem restitutum Imperium hortatur, ut pro Dei Ecclesia strenue laborans Alexandrinam a pervasore liberatam suo legitimo Præsuli restituat, ac definitis a S.Leone, & Synodo Chalcedonensi nequidem apicem detrahi patiatur. S. Simplicio totum ex sententia, votoque successit: ab illis partes, quas imposuerat, ad amussim sunt adimpletæ: atque Ælurus in ordinem redactus, rebus suis desperans mortem sibi veneno conscivit. Eo quidem extincto Petrum Moggum, alterum schismatis præcipuum incentorem, Eutychianæque propugnatorem hæreseos, in Ecclesiam Alexandrinam hæretici intrudere conati sunt: at is a Zenone extemplo in exilium ejectus est, ac Salophaciolo confirmata sedes. De quibus perinde certiorem Pontificem facere sollicitus fuit Acacius; ad quem, non secus atque ad Imperatorem rescribens S. Simplicius epist. 9, & 10. res præclare gestas est gratulatus, ac Salophaciolo gradum confirmavit, quem absque molestia posthac retinuit usque ad annum 482, ut ex Liberato elicitur, aut 481, uti Theophanes scribit: utramque enim opinionem amplecti finit Sollerius. Id ei unum vitio vertitur, quod proniori, indulgentiorique, quam par esset, animo se præbuerit erga hæreticos, adeoque ut Dioscori nequam post natos homines hominis nomen ad altare orthodoxos inter Episcopos recitari permiserit. Qua de ignavia postea a S. Simplicio veniam postulasse liquet ex Liberato in Brev. cap. 16, & epist. 11. S. Simplicii ad Acacium. Post ejusdem obitum Ecclesiæ

Alexandrinæ præfectus est Johannes Talaja vir germane orthodoxus, de quo paullo post, quum de schismate Acacii sermo instituetur.

Quo tempore Alexandrinam Ecclesiam turbabat Timotheus Ælurus, eodem parte altera Petrus Fullo cognomento Cnaphæus ejusdem furfuris homo, ac Theopaschitarum parens Antiochenam diro schismate divexabat: eidemque non Episcopus, sed ceu cruentissimus invasor, ac prædo immanissimus incubabat. Leonis quidem Augusti cura anno 471. in Synodo Antiochena gradu detrusus, inque exilium fuerat deturbatus; sed anno 476. Basilisci Tyranni gratia regressus turbare cœperat denuo: donec secundo, rerum summa recuperante Zenone, anno 477. expulsus est. Sequenti anno Synodis tum Romæ a S. Simplicio, tum istius jussu Constantinopoli ab Acacio celebratis, auctorem se dedit S. Simplicius legis editæ de Æluro ab Alexandrina, & Fullone ab Antiochena dejiciendis nedum, sed etiam Paulo ab Ephesina, & ab Antiochena, in quam sponte insiluerat sua, Johanne Apameno, omnibusque ad unum, qui ab illis, aut ab his fuissent illicite ordinati, eadem lege ejiciendis, sicuti liquet ex S. Simplicio in epist. 3, & 4. ad Petrum Fullonem, & 5. ad Zenonem; (quas S. Felici III. perperam attributas, S. Simplicio restituit Pagius, & contra Valesium pseudo-epigraphis adcensentem vindicat in Crit. ad ann. 478.n.5. & seqq.); in epist. 14. ad Zenonem, & 15. ad Acacium, quas publici juris fecit Holstenius: cui sententiæ in Synodo Romana latæ executionem, in adjutorium Imperatore advocato, demandatam a S. Simplicio testes accedunt liquidi S. Felix III. in epist. Synodica ad Clericos, & Monachos Orient., & S. Gelasius in epist. 13. ad Dardaniæ Episcop. *Sola*, de hæreticis illis loquens, *Sedis Apostolicæ sunt auctoritate dejecti*. Igitur in Fullonis dejecti locum suffectus est anno 478. Stephanus dictus senior, huic vero homonymus alter successit dictus inde Stephanus Junior. Alterutrum, dum sacram ageret Synaxim, a concitata turba crudelissime trucidatum inter Eruditos convenit: non convenit autem utri Martyris isthæc laus sit tribuenda: Seniori tribuendam communior præfert opinio, cui utroque pollice subscribunt Tillemontius tom. 16. in Acacio,

cio, Henschenius ad diem 11. Martii in S. Simplicio, & 25. April. in S. Stephano, ac Sollerius in hist. Chronolog. Patriarch. Antioch. §. 48. pag. 397, & seqq. edit. Ven. 1751., S. Simplicii potissimum suffulti auctoritate in epist. 14. ad Zenonem, & 15. ad Acacium: tribuendam vero Juniori contendit Pagius in Crit. ad annum 482. n. 2, & seqq., quo loci videndæ ipsius conjecturæ, quas evertere loco indic. Sollerius enititur. Lis etiam altera intercedit tum de annis, quibus Episcopatu defuncti uterque, tum de loco, quo in Episcopos fuerint ordinati Stephanus Junior, ac ipsius successor Calendio. Nam Seniori annum 1, Juniori 3. tribuunt, qui priori adhærent opinioni: Pagius, qui alteram induit, e converso Juniori 1., Seniori 3. attribuit. Juniorem item, ac Calendionem, utrumque nempe, ab Acacio Constantinopoli inauguratos autumat Valesius in adnot. ad lib. 2. Theodori lector., ad & lib. 3. Evagrii cap. 16. Neutrum Constantinopoli ab Acacio consecratum existimat Tillemontius not. 14. in Acacium: Calendionem demum Constantinopoli revera ab Acacio dignitate adauctum, non item Stephanum Juniorem pugnat Pagius n. 10, & seqq. Neque his finit jurgium: Pagius siquidem putat cum Valesio non alterum a S. Simplicio in epist. 16. ad Acacium reatum in exordio Episcopatus Calendionis notatum, ac reprehensum, nisi quia in ejus ordinatione violati fuissent Nicæni Canones, caventes ne alibi, quam Antiochiæ, & quidem ab Orientali Synodo ordinetur; ideoque Constantinopoli fuisse Calendionem ordinatum concludit; infractorum proinde Canonum hac vice factam veniam, rogante Zenone, rationemque texente urgentis necessitatis, ne videlicet turbis electio impediretur, adjecta lege tamen, ne imposterum id facti in exemplum traheretur. Contra Sollerius contendit cum Tillemontio ex eo loci non alium extundi reatum, nisi quod serius, quam par fuisset, de inito Episcopatu Antiocheno certiorem Pontificem Calendio fecisset; quam dilationem veram culpam fuisse, dignamque reprehensione notat, quam tamen facile Pontifex remiserit, quum caussas moræ in officio reddendo tam diuturnæ legitimas fuisse, dignasque venia accepit. Sed hæc ad illos. In confesso illud est, eo in negotio S. Simplicium exertam supra Orientis Synodos, ac Patriarchas osten-

ostendisse potestatem; cui Calendio necessitate demittendi se se incumbenti se contemperans Synodo collecta, ac Synodica exinde ad S. Simplicium exarata, eidem tum fidei suæ rationem accuratam exposuit; tum ut loco manere per eum liceret, expostulavit, precibus ejusdem adjuvantibus, simulque adjungentibus cum Episcopis, tum Imperatore. Jam ad schisma Acacii exinde enatum transeat oratio.

Ergo Sæculo eodem V. Acacius is ipse, qui paullo antea pro virili portione pro fide Concilii Chalcedonensis steterat, in faciem Basilisco Tyranno, ac Petro Moggo restiterat, insimeque in Romani Pontificis obedientiam totum semet transcripserat, ira, livore, & invidia tabescens, ingentique præ ambitionis æstu insaniens, nec aliunde incensus, nisi quia Johannes Talaja Alexandrinæ præfectus Ecclesiæ, Synodicas ex more de sua ordinatione sibi dandi officio defuisset; ideo animo acerbissime commotus nihil neglexit, quo Orbem contra eum omnem concitaret; in id maxime incumbens, ut Zenonis indignationem in eumdem exasperaret. Ei ergo auctor initio fuit, ut Johanne loco exturbato, Petrum Moggum in eumdem reduceret; dolo quin etiam, fraudeque satageret, ut Johanni Romanum Pontificem infensum faceret: quod quum ei ex sententia non successisset, resistente S. Simplicio, institit, animumque indidit, ut Simplicii spreto rescripto, suam pro summa valere præciperet voluntatem. Eodem æstu dein excandescens in Calendionem, nec aliam ob caussam, nisi quam indicat Liberatus Brev. cap. 18, quia a S. Felicis P. M., & Johannis Talajæ communione abscedere ipso adhortante detrectasset, germane orthodoxum præseferret animum, atque ab Henotico Zenonis prorsus alienum, amoveri eumdem curavit, ac restitui in locum Cnaphæum. Ad cumulum scelerum complendum Zenoni condendi Henotici auctorem se addidit, utque Episcopos omnes ad consensum eidem exhibendum adigeret. Exinde vero exortum est schisma Acephalorum: quum enim ex Henotico integra Concilio Chalcedonensi maneret auctoritas, ægre ferentes Eutychiani, quod Petrus Moggus Henotico subscribens Concilio Chalcedonensi suffragaretur, ejus communione ejurata, sui juris esse maluerunt. Acephalorum autem, quibus Alexan-

xandrina, quemadmodum Antiochena, Ecclesia abundabat, deinde inauguratus Dux est Severus, statim atque Flaviano Antiocheno deturbato, ipsius locum insilire per Anastasium Imper. eidem licuit. Legendi Liberatus Brev. cap. 16, & seqq.; Theophanes in Chronog. ad annum 512, & seqq.; Leontius lib. de Sectis act. 5.; Evagrius lib. 3. cap. 13, & seqq.; Nicephorus lib. 16. cap. 13; Auctor Brevic. hist. Eutych.; Baronius, Valesius, Pagius, Natalis &c.

Tantorum facinorum conscius factus S. Simplicius, atque a Johanne Talaja Romam profecto appellatione pulsatus, ac persuasus, ut in sui gratiam contra pervasorem ad Acacium scriberet, scripsit semel, ac secundo: at neque monitis, neque mandatis, neque minis quidpiam promovit apud pertinacissimum hominem, præfracte reponentem Johannis nihil sua interesse; jussu vero Imperatoris cum Petro Moggo societatem pepigisse. Qui in ejus Cathedram suffectus est, S. Felix III. in eamdem curam ingressus neque Legatis, neque litteris pepercit, ut, si tandem placeret superis, Acacium ad frugem inflecteret, sin autem indeflexum frangeret: Roma Constantinopolim Apocrisiarios commeare, Constantinopoli Romam Acacium transmeare jussit, rationem redditurum eorum, quæ ipsi a Johanne objicerentur: at illi qua minis, qua muneribus subacti turpissime prævaricati Acacii communione se polluerunt: hic vero siquidem pertinacem animum superbiæ infixisset, inde divelli nec blandis, nec asperis passus est unquam, in proposito superbiendi perstans, & obdurans. Quare Pontifex semel, ac bis in Synodis anno 484, & anno 485. Romæ habitis, uti recte a Valesio, & Pagio distinctæ sunt, utrosque Sacerdotii dignitate abdicavit, & a christianis sacris abscidit: datisque litteris gravissimis Imperatorem, Episcopos, Clericos, Monachos excitavit, incitavit, incenditque, ut pro fidei, Ecclesiæ, Deique caussa fortiter starent, adversaque fronte hæreticis in faciem resisterent; nec frangi promissis, nec inflecti terroribus paterentur, sed fixo in recto pede, quin ad spes diversas spectarent, perferrent, starent, persisterent. Parum pro opere profecit apud Acacium Pontifex, quin potius eo furoris, ac dementiæ insanissimæ abreptus est, ut ipsius Pontificis nomen e sacro

facro eraderet albo, non amplius facra inter Miffarum folemnia ad altare recitandum; itaque Conftantinopolitanæ Ecclefiæ cum Romana communionem abrumperet, in omnes per Orientem Epifcopos, qui Romanæ Ecclefiæ communionem retinerent, debaccharetur atrociffime, & defæviret; fuifque iis Sedibus deturbatis peffimos quofque prædones fubrogaret: quod ipfum a Petro Moggo, & Petro Cnaphæo præftitum tradunt Liberatus, & Evagrius.

Acacio in fchifmate anno 489, uti contra Baronium ad præcedentem annum ipfius obitum retrahentem oftendunt Pagius, & Sollerius, fatis infeliciffimis functo fuffectus eft Fraitas, five Flavitas, ut eum vocat Nicephorus, vocatus aliter a Victore Tunnon. Flavianus, & a Theophane Fravitas, qui quidem ex tempore ad S. Felicem III. P. M. litteras de fua ordinatione, & orthodoxia dedit, fidei zelo, unionifque amore refertas, gradumque fibi confirmari rogans: quia tamen juxta græcam Παροιμίαν eodem ore calidum, & frigidum efflabat, nec a Petri Moggi communione difcedere, nec Acacii nomen e diptychis facris deleri fubftinens, Pontificis communionem non promeruit, uti liquet ex epift.13. ad eumdem. Euphemius, quem anno 490. Fravitas excepit, equidem a Petri Moggi communione receffit, S.Felicis Papæ nomen in Ecclefiafticas tabulas reftituit, quin exarata Synodica tum ad eumdem, tum ad ejufdem fucceffforem S. Gelafium, animum erga Apoftolicam Sedem egregie affectum expofuit, communionis beneficio cohoneftari, gradumque confirmari expofcens: verum quia vano timore retentus Acacii nomen in diptychis retineri defcriptum permifit, hoc dignus honore a Pontificibus haud habitus eft, ut ad eumdem S. Gelafius epift.1. edit. Hard. refcripfit. In eadem veftigia ingreffus Macedonius anno 496. in locum Euphemii ab Anaftafio Imperat. in exilium pulfi fubrogatus, (qui & ipfe anno 511.vi, & fraude oppreffus eamdem exilii pœnam tulit, ob eamdemque cauffam, qua Euphemius fidei egregium pugilem egerat, ubi mortem uterque oppetiit), Macedonius, inquam, quamvis hæreticos odio fummo, fummo retro honoris loco Romanam Ecclefiam haberet, & ad ejufdem confortium fummis adfpiraret votis, quia tamen Acacii nomen

in albo ſacro retinuit, optime in Eccleſiæ caſtris non promeruit. Quamquam Natalis hiſt. Eccleſ. ad Sæcul.V. par. 2. diſſert. 20, Pagius ad annum 519. num.3, & ſeqq., & Cuperus in hiſt. Chronolog. Patriarch. Conſtantinopolit. parergo 4, obſervant hæc haud obſtitiſſe, quominus in communione Romanæ Eccleſiæ obiiſſe Euphemius, & Macedonius exiſtimentur: quatenus nempe fas eſt putare ambos iſtos Præſules, aut errore facti deceptos non tam grave delictum reputaſſe Acacii nomen, quadam œconomiæ prudentis ſpecie, prout ipſis videbatur, a diptychis non abradere; aut in exilio poſitos ultricem Dei manum agnoſcentes, delictum inobedientiæ ſuæ, aliaſque, ſi quas incurriſsent, maculas pœnitentiæ lacrymis expiaſſe. Neque id fas dumtaxat eſt putare, ſed imo putandi pretium fecit poſtmodum S. Hormiſdas, qui de Macedonio exule ad ſuam revocando ſedem animo ſollicitudinem induit, eumque demum, ac Euphemium in diptychis poſt obitum relinqui Epiphanio permiſit: permiſiſſet ne vero, quin pugnaret cum S. Gelaſio, qui in epiſt. ad Dardaniæ Epiſcopos diſerte ſcripſerat Acacii nomen, ideo quod extra communionem Eccleſiæ obiiſset, in albo ſacro relinqui nequire? Macedonio amoto, inque exilium amandato, e veſtigio anno 511. juſſu Anaſtaſii Imperatotoris ejus in locum inſiluit Timotheus Concilii Chalcedonenſis hoſtis, vitæ impuriſſimæ homo, ideoque apud Theophanem in Chronogr. pag.133. vulgo denominatus χηλόν, ac Ἀητροβουλην; atque hæreſis Theopaſchitarum obſtinatiſſimus defenſor: cui anno 518, juxta veriſimiliorem Cuperi Chronologiam, morte repentina de medio ſublato, populi conatu potius, quam Anaſtaſii Imper. permiſſu, ſubrogatus eſt Johannes cognomento Cappadox fidei orthodoxæ egregius cultor. Qui poſt S.Gelaſium Eccleſiæ clavum tenuere Pontifices, S. Anaſtaſius II. ipſo Pontificatus initio nihil omiſit, quo cognominem Anaſtaſium Imper. ad meliorem mentem revocaret, legatis, litteriſque obſecrans, & obteſtans, ut aliquando tandem Apoſtolicæ Sedi auſcultaret, & Acacii nomen e ſacro albo abraderet: S. Symmachus etiam ſtatim, ac accepit motam in Macedonium perſecutionem in ceteros catholicæ fidei profeſsores fuiſse propagatam, epiſtola, quæ eſt ordine 9, omnes, qui in Oriente Romanæ Eccleſiæ commu-

munionem colerent, & retinerent, adhortatus est, & admonuit pro fide fortiter pugnare, animoque paratos esse pro eadem vitam cum sanguine profundere. Hactenus de statu Ecclesiæ Constantinopolitanæ usque ad S. Hormisdam.

In Ecclesiis Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana non meliori res loco erant sacræ. In Alexandrina Petro Moggo successerat Athanasius, a quo decessoris sui nomen sacris diptychis est adscriptum, testibus Leontio act. 5, & Liberato cap. 18. His nihilo melior anno 497. Johannes, Liberato Mela, Theophani Hemula: anno 505. Johannes, Liberato Machiota, Theophani Nicæota longe illis audacior: subingressus est deinde anno 517. Dioscorus junior, sed senioris haud dispar: isti subrogatus anno 520. Timotheus hoc nomine tertius, modo Corrupticolis, modo Incorrupticolis, levissimi ingenii homo, adhærens, ut habent Liberatus, & Leontius. Eamdem Ecclesiam tenuere tandem Theodosius vicissim, & Gajanus usque ad annum 567, ad triennium vero contentione illa, & vicissitudine alternante, favore mox Theodoræ Augustæ Theodosio prævalente, mox Clero, Populoque adjuvante, a Gajano suppeditato: at inter eos non una de loco, altera inerat de hæresi etiam discordia: nam Theodosius Corrupticolarum, quibus ortum dederat Severus, partes substinebat: a Gajano vero Incorrupticolarum, quos Johannes Halicarnassæus instituerat, factio suffulciebatur. Ita non uno schismate Alexandrina discindebatur Ecclesia. Equidem in eadem Ecclesia interea orthodoxis proprios non defuisse Patriarchas veri cum Sollerio puto simillimum, nec Pagio assentio perneganti: nam eodem tempore, quo Eutychianis præerat Athanasius, sacris orthodoxorum præfectum Esajam fuisse tradit Liberatus cap. 18; dumque Timotheus III. eamdem Ecclesiam teneret, ab orthodoxis electum, sive a Justino Schismaticis objectum Asterium hominem germane catholicum ex actis S. Arethæ Martyris deducit Cuperus §. 32. n. 338; unde præsumere valde proclive est alios pariter orthodoxis fuisse orthodoxos suffectos: quos tamen fatendum, prævalentibus hæreticis, impares rebus sacris resarciendis evasisse. Etsi etiam Clerus Alexandrinus, quum accepisset Legatos a S. Anastasio II. Costantinopolim missos Ecclesiis

siis pacem reconciliaturos, Apocrisiarios suos Constantinopolim de pace acturos miserit : quia tamen hinc de Concilio Chalcedonensi, & S. Leonis litteris ne quidem verbum haberi, illinc Dioscori, Timothei, ac Petri nefandæ famæ, ac nominibus parcitum iri volebat, eaque in sacro albo retineri, & inter sacra ad altare recitari, indignus habitus est, qui Romanæ Ecclesiæ communionis beneficio, & honore cohonestaretur.

Ecclesiæ Antiochenæ eadem ferme infelix, tristisque conditio. Petro Fulloni, de quo fuse Valesius in observ. ad Evagrium lib.1. cap.3.,& seq., morte pessima extincto anno 488. substitutus est Palladius decessori suo haud dissimilis, testibus Evagrio lib.3. cap. 32; Cyrillo Monacho in vita S. Sabbæ apud Surium die 5. Decemb., & S. Johanne Damasc. lib. 3. de Imag. apud Valesium in fragm. Theodori Lect. pag.581. Ab anno 499. intercessit quidem S. Flavianus hoc nomine secundus, sed anno 512. in exilium ejectus locum dare coactus est Severo Acephalorum duci, qui & Corrupticolis ortum fecit, plurimi genus aliis flagitiis infamis, quorum specimen ingestum in libello supplici ad S. Hormisdam a Monachis secundæ Syriæ legendum extat apud Harduinum to.2. pag.1031. Hæc rerum divinarum, humanarumque perturbatio Ecclesiam Hierosolymitanam etiam pervasit. Jampridem in Juvenalis locum insiluerat Theodosius homo Nestoriana labe infectus; sed hic paullo post Marciani Imperatoris jussu pulsus in exilium legitimo Patriarchæ locum reliquit. Juvenalem excepit Anastasius anno 458; qui, (si Evagrio lib.3. cap. 5. fidem habeas, nam calumniatum hoc loci contendit Baronius), hæresis suspicione haud leviter laboravit: sub eo tamen a Gerontio (quem a schismaticis Patriarchæ nomine sibi præfectum nonnulli putant, verius alii loco Archimandritæ præpositum), turbas fuisse commotas, ac fidei indictum bellum liquet ex Cyrillo Monacho in vita S. Euthymii. Anastasii Cathedram obtinuit subinde ab anno 479. ad 486. Martyrius, cui ab Evagrio impactam calumniam de societate sacrorum inita cum Petro Moggo dispungunt Baronius ad ann. 485, & Papebrochius in Chronolog. Episcop. Hierosolym. §. 46. Successit Salustius, cum quo a S. Felice III. P. M. communionem abruptam fuisse, ideo quod Zenonis Henotico syngrapham adje-

adjecisset, refert Nicephorus lib. 17. cap. 22; sed eum postea in gratiam Pontificis regressum non incongrue arguit Papebrochius ex Cyrillo in vita S. Sabbæ. In Salustii vacantem Sedem anno 493. evectus est Elias, in quem, ideo quod Synodicis suis hæresis refertissimis adquiescere renuisset, concitatus indignatione, superbia, invidiaque Severus, Imperatorem Anastasium in ipsum pariter accendit, adeoque, ut Eliam e sede sua militari manu dejiceret, exilioque damnaret; in ejusdem locum anno 513. suffecto Johanne hujusce nominis tertio Eutychianis partibus addictissimo; a quibus postea tamen S. Sabbæ opera abductus est. Isto itaque in statu Orientalium Ecclesiarum res sacræ non tam jacebant, quam in deterius ruebant.

Hisce igitur malis in dies vires a schismate, & hæresi majores accipientibus validiori modo ut occurreret S. Hormisdas, semel, ac bis, scilicet anno 514, & 515. Legatis, litterisque ab 11. usque ad 17. de Ecclesiastica unitate resarcienda, & restauranda tum apud Anastasium, tum apud Ecclesiarum Episcopos enixe egit admonens, & adhortans orthodoxos quidem ut fortes in fide starent, extorres vero, ut ad frugem bonam regrederentur: initio tamen irrito conatu omni: etsi enim animum non admodum invitum prætenderent ad subscribendas pacis conditiones, qua spectabant parte Concilium Chalcedonense, ac S. Leonis litteras; qua parte tamen urgebant de Acacii nomine e diptychis abradendo, aures nequidem accommodare volebant, in proposito, ac pertinacia fixi adeo, indeflexique erant. Donec, Deo tot malorum miserente, Anastasio e vivis anno 518. sublato, ac Justino ad culmen Imperii evecto, Schismaticis ab illo meliora sunt inspirata. Serio itaque, ac sincere de schismate abolendo, & cum Romana Ecclesia reconcilianda Orientali ab Orientalibus cogitatum est, agique cœptum: hinc S. Hormisda urgente pro viribus; illinc Justino partes optimas promovente. A Justino, & Johanne Cappadoce Legatis, litterisque receptis, reciproce Legatos, litterasque anno 519. remisit cum libello fidei, cui calculum apponere suum Orientales omnes deberent, qui ad Romanæ Ecclesiæ unitatem redire revera desiderarent: quo in libello inter alia illud erat præscriptum, expressumque, ut S. Leo-

S.Leonis litteris præberetur aſsenſus, & in Acacium pronunciaretur anathema . Libello fidei a Legatis oblato , (cui jampridem , anno videlicet 515. Sacramento ſe obſtrinxiſse Dardanos , & Illyricos ex epiſt.S. Hormiſdæ hoc anno data , in qua de obedientia ſibi a Dardanis , & Illyricis reddita loquitur , Pagius ad annum 518. n. 10. deducit) , ultro citroque ſubſcripſere Johannes , ceterique Orientales Epiſcopi , ejuſque rei teſtes ut eſsent , ex tempore litteras ad eumdem S. Hormiſdam exaravit . Iſtis itaque conditionibus Romanam inter , & Conſtantinopolitanam reſtituta concordia eſt , quam eidem Johanni epiſtola 7. edit. Sirmondi gratulatus legitur S. Avitus Vienn. Johanni iſti Cappadoci crimini vertunt Pagius ad annum 520.n.5., & Bandurus tom.2. Imper. Orient. pag. 895. , quod Patriarchæ Oecumenici nomen primus omnium affectaverit . Thomaſſinus vet. , & novæ diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 11. hunc in eo titulum a Romanis Pontificibus tolleratum , aut potius diſſimulatum putat . Baronius vero ad annum 518. n.14. , & Sollerius hanc ab illo amovent labem , totamque in poſteriores Græcos confictam de hac uſurpatione impoſturam refundunt .

In Conſtantinopolitana Eccleſia compoſitam pacem turbavit paullo poſt Anthimus Eutychianus hypocrita anno 535. in Epiphanii locum intruſus : ſed paucos poſt menſes a S.Agapeto P.M. Sacerdotio , & Sede abdicatus eſt : non ſecus atque a Juſtino expulſus Johannes Scholaſticus , qui in locum S.Eutychii exulis inſiluerat , ac Juſtiniano in Aphthartodocianam hæreſim lapſo applauſerat , turbandi locum non habuit . Turbavit etiam nonnihil controverſia Scythas Monachos inter, & Acæmetas excitata : ſed ea brevi a Johanne II. eſt reconciliata . Ambitione ſua , qua ad Patriarchæ univerſalis titulum vehementer adſpirabant , turbarunt iterum anno 583. Johannes Jejunator , & anno 595. Cyriacus: at eorum ambitu repreſſo cum a Pelagio II., tum a S. Gregorio M. , cujus legendæ inter alias epiſtolæ 38 , & 39 lib. 4 ; 28 , 30 , & 31. lib. 6 ; ac 69. lib.7, ita reparata pax eſt , quæ integra permanſit uſque ad annum 610, ad Sergium ſcilicet , a quo, atque ſucceſſoribus Pyrrho , Paulo , & Petro Monothelitarum primipilis interrupta eſt , & perturbata . Reſtituta vero anno 667. ſub

 Thoma

Thoma II., de cujus Synodica ad S. Vitalianum Pontificem, non secus atque ab ejusdem successoribus Johanne, & Constantino, legenda allocutio Georgii Biblioth. in Synodo VI. act. 12. apud Harduinum tom. 3. pag. 1606., ex qua liquido adparet non recte Baronium Thomæ hujus orthodoxiam inficiatum ivisse; rursus anno 676. a Theodoro Monothelita altero turbata est; sed duos post annos ad pacem rediit sub S. Gregorio, qui hoc nomine primus Theodoro expulso eidem præfuit Ecclesiæ. Etsi vero anno 683. Sedem recuperaverit Theodorus, experimento edoctus, a rebus moliendis novis caute abstinuit, ideo quod ab hæresi Monothelitica sincere decessisset, uti conjiciunt combefisius, & Pagius, aut fluxæ fidei homo hæresim illam dissimulare e re sua duceret, ut autumat Baronius, eumdem accusans de Synodi VI. actis depravatis: a qua tamen labe illum abstergunt Garnerius in dissert. ad lib. Diurn., Pagius ad annum 682. num. 7, Sollerius in Patriarch. Constantinopolit. §. 43. seq. &c. Denique sub Anastasio Iconoclasta ab anno 730. ad 857. mox ingentibus divexari tempestatibus, mox ad pristinam regredi tranquillitatem visa est, alternantibus vicibus, prout præerant qua Iconomachi Constantinus II, Nicetas, Theodotus Cassiteras dictus, Antonius cognomento Byrsodepsas, & Johannes VII, sive Jannes: qua orthodoxi SS. Paulus IV, Tarasius, Nicephorus, Methodius, & Ignatius, sub quo a Photio magnum illud suscitatum est schisma, de quo paullo post.

Ut eadem vero communio cum Romana Ecclesiæ Alexandrinæ etiam redderetur, etsi nihil intentatum reliquisse S. Hormisdam fas sit præsumere, quin etiam, ut Pontificis votis faceret satis, de Justini religione integerrima putare idipsum sit pronum, ideoque probablis evadat cum Renaudotii assertio, qua tom. 1. Liturg. Orient. pag. 363, & seqq. ait a Dioscori primi tempore non defuisse orthodoxis, sive Melchitis proprius Alexandriæ Patriarcha, quales Esaiæ suffectos veri etiam similiter conjicit Sollerius, (quamquam viro Doctiss. non assentiam, qua parte ait nec defuisse unquam, qui eodem Patriarchæ nomine Jacobitis præesset), ex certis attamen litterarum demandatis documentis constat aliquanto serius, idest sub Justiniano, verisimillime ipsi stimulos adjiciente Vigilio, Alexandrinæ Ecclesiæ optatam restitutam pacem.

pacem. Itaque a Justiniano Theodosio in exilium ejecto, subrogatus est anno 541. Paulus vir egregie catholicus, quem Constantinopoli Pelagio Vigilii Papæ Apocrisiario præsente ordinatum a Menna refert Liberatus cap.20, qui cap.23. Pauli depositionis,ac deportationis in exilium caussam non in dubitationem de ejusdem orthodoxia, uti Theophanes ad ann.541., sed in sinistram cædis suspicionem a Paulo patratæ refundit. Paulum excepit Zoilus eodem anno, qui tria Capitula damnare detrectans, anno 551. loco etiam excedere coactus est, ac cedere Apollinario, a quo incredibili calumnia Jacobitas ad ducentos mille interfectos mentitur historia Coptica apud Kircherum. Qui post successerunt Petrus IV. hoc indignus nomine, Damianus, Anastasius, Andronicus, & Benjamin, Jacobitis equidem studuerunt, sed penes eos vix quidpiam potestatis in rebus sacris publicis erat, (siquæ fuit vero ab Heraclio Imper. fuit extorta a Persarum incursione metuente), earum summam tenentibus, qui legitima successione locum occuparunt Johannes anno 569; S. Eulogius anno 577; Theodorus Scribo anno 604; S. Johannes Eleemosynarius 606; & Georgius vitæ S. Chrysostomi scriptor ann.616; qui demum vita defunctus anno 630. Monothelitis Cyro, & Petro locum permisit: quos deinde exceperunt Jacobitæ, horum partes adjuvantibus Saracenis Ægypto potitis: sub quo tempore, ac deinceps, etsi non defuerint Patriarchæ Melchitæ, sive orthodoxi, prævalentibus tamen Jacobitis, angustiores intra terminos eorumdem auctoritas constricta erat. Adisis, qui de his copiose agunt, Johannem Michaelem Vanslebium in hist.Eccl. Alex., Abrahamum Ecchellensem in Chron.Orient., Josephum Simonium Assemanum in Bibl.Orient.; Johannem Bapt. Sollerium in hist. Chronolog. Patriarch. Alexandr., Eusebium Renaudotium in hist. eorumdem Patriarch.; Michaelem Lequiennium in Orient. Christ. &c.

Redierat antehac ad Romanæ unitatem Ecclesia Antiochena. Antecedenti enim anno 518, aut eodem 519. obnixe a Germano, & Johanne Constantinopolit. Episcopis obsecratus S.Hormisdas, uti liquet ex ipsorum suggestione descripta a Labbæo tom. 4 pag.1488, Legatis suis operam pariter commendaverat de Antiochena Ecclesia ad pacis consilia revocanda: qua quidem pro-

provincia multos post exantlatos labores egregie illos perfunctos adparet tum ex suggestione a Dioscoro Diacono, tum ex altera a Germano, & Johanne Episcopis, Felice, & Dioscoro Diaconis, & Blando Presbytero ad S. Hormisdam Constantinopoli directa apud Labbæum pag. 1512, & seqq. Quomodo pax fuerit perfecta ibidem legitur, idest pulso Severo, ac Paulo II. suffecto germane orthodoxo. Quæ pax ut feliciter perficeretur, firmiorque perfecta consisteret, idem Pontifex Epiphanio, qui Johanni Cappadoci successerat, ideo sua Vicaria potestate eidem facta, spartam pariter imposuit. Vigilium posthac sollicitum se præbuisse ad eliminandum procul ab eadem Ecclesia periculum omne schismatis patet ex epist. ad Mennam, qua latam ab eo sententiam in Severi, & Petri Apameni sectatores confirmat: de qua adeundus Doctiss. Norisius in dissert. de Synodo V. cap. 1. Itaque quamvis pacem turbare denuo Paulus in deterius mutatus, ac Paulo suffectus anno 521, eodemque nihilo dignior, Euphrasius, nonnullique alii a Jacobitis sibi successive impositi, moliri sint, nec destiterint, in confesso est tamen ab Ephræmio, idest ab anno 527, ac deinceps summam rerum sacrarum administrantibus Patriarchis orthodoxis, Ecclesiam Antiochenam in unitate cum Romana mansisse integram usque ad annum 610, aut 629, idest ad Athanasium, sub quo prævalere Monothelitæ cœperunt; ac postquam occupata a Barbaris, barbareque oppressa Antiochia, rerum divinarum, humanarumque grassante ignorantia, hæreticis cujuslibet genus locum fecit: de quibus adeundi Assemanus, Lequiennius, Sollerius &c.

Rediit denique ad Romanæ societatem Ecclesia Hierosolymitana sub Iohanne III. hujus nominis, qui etsi in locum Eliæ ab Eutychianis fuisset suffectus, ad meliorem tamen frugem se recepisse fit manifestum ex Synodica ab se, & ab Synodo sub se habita anno 518. exarata ad Johannem Constantinopolit., qua ob damnatum Severum ei gratulatur, eamque damnationem suo comprobat calculo, quæ prostat act. 5. Synodi Constantinopolit. sub Menna legenda apud Harduinum tom. 2. pag. 1342; atque ex libello supplici ad Justinum Augustum ibidem pag. 1026; quinimo insigni adeo pro catholica fide zelo Johannes flagravit, ut pro-

promeritus sit, qui obnixis precibus a Justino in gratiam S. Hormisdæ reduceretur. Qui ei loco successit anno 524. Petrus nomine, principio quidem Origenistis paullo faciliorem se præbuit, quin eadem facilitate nimia suum præbuit assensum, ut anno 535. Anthimus e Trapezuntina ad Constantinopolitanam transferretur Ecclesiam, ut propterea a S. Agapeto per epistolam fuerit redargutus: eidem præterea culpæ vertit Facundus Hermian., quod edicto Justiniani adversus tria Capitula subscripserit. Nihilosecius Petrum resipuisse, sententiæ a Menna contra Capitula quædam ex Origene excerpta prolatæ subscripsisse, æque ac sententiæ depositionis prolatæ adversus Anthimum, patescit ex actis Synodi Hierosolym. sub eodem habitæ anno 536. apud Harduinum tom. 2. pag. 1410, & seqq; quin etiam verisimillimum Papebrochio visum est Petrum æque, ac Patriarchas alios Mennam, Zoilum, & Ephræmium, ubi Vigilii Papæ adversam edicto illi sententiam intellexit, præ Imperatoria longe majori Pontificiæ obedire in pretio habuisse. Pacem turbare paullo post Macarius Petri successor, Origenis personæ, errorumque defensor, & assertor, ausus, propterea anno 544. abdicatus Eustochium excepit: donec anno 556. damnatis Origene, Didymo, & Evagrio suæ, ejecto Eustochio, restitutus est sedi. Exinde in Ecclesia Hierosolymitana fides pura, & cum Romana conjunctio integra mansit usque ad annum 637, usque ad Sophronium videlicet acerrimum illum hæresis Monothelitica insectatorem, sub quo capta Jerosolyma ab Humaro Saracenorum, sive Arabum duce res cum divinæ, tum humanæ susque deque ruentes pessum demum ivere. Quamquam eorum, qui sub hac rerum perturbatione eidem Ecclesiæ præfuisse leguntur apud Papebrochium, in Catholica fide constantia, fidem neque fallat de communione cum Romana Ecclesia retenta, donec Latini anno 1097. Urbe potiti Latinos ritus sui homines præfecerunt. Atque jam satis, superque de Acacii schismate.

A Græca ad Latinam me ut modo reflectam, prout temporis pro lege mihi præstituti ratio deposcit, sævo, diroque de schismate, quo Sæculo VI. a Romana Ecclesia Ravennatensis divulsa est, dicere statim initio sermo incideret: sed quia de illo multa

multa jam me dixisse memini par. 1. tom. 1. art. 6. §. 2. pag. 588, & seqq., dictis ibidem nonnulla subtexere habebo satius. Atque quidem nefarii schismatis, quo vice plus simplici, elatoque supra modum supercilio de obedientia Romanis Pontificibus debita cum Pelagio II, S. Gregorio M., S. Vitaliano, Adeodato, Dono, Constantino, Stephano II, S. Paulo I, Stephano III, Hadriano I, S. Nicolao I. &c. disceptarunt Johannes, Maurus, Reparatus, Felix, Sergius, Leo, Johannes &c., istius schismatis, inquam, in caussa fuit ambitio, qua ad Autocephaliam Ravennates Episcopi adspirare cœperunt. Ambitionem hanc autem exinde afflatam observat Emin. Norisius in dissert. ad Synodum V. cap. 10, quod Ravennæ Honorius, & Valentinianus Imperatores, ac deinde Theodoricus, aliique Gothorum Reges, ac denique Græcorum Exarchi Sedem defixissent. Jactatum est præterea ad S. Johannem Episcopum S. Petri Chrysologi prædecessorem datum a Valentiniano III. diploma, quo Urbs Archiepiscopali dignitate adaugebatur, Urbisque Antistites perpetuo usu Pallii adornabantur. Exinde ergo erupta anza, & audacia, qua Ravennates Archiepiscopi nedum supra Mediolanensem, & Aquilejensem se efferrent, quod facile erat, Urbibus Aquileja ab Hunnis, & Mediolano a Langobardis excisis, sed imo quadam insaniæ specie, incredibilique superbia a Romano Pontifice obedientia se subducerent, ac de libertate contenderent. Atqui quod ad præsumptum diploma pertinet spurium illud, confictumque de industria ad hanc autocephaliam confirmandam, persuaserant sibi Baronius, Spondanus, Petrus de Marca, Bollandistæ, Bacchinius &c. Etsi vero existimetur, verique haud absimile videatur curatum a Valentiniano, ut Ravennæ, quam post Romam, Italiæ Urbem principem esse voluerat, eoque ut nomine Archiepiscopus deinceps audirere mereretur, Episcopi duodecim Provinciarum Flaminiæ, & Æmiliæ submitterentur veluti Suffraganei, Pallii honorem attamen, aliaque privilegia Apostolicæ Sedi accepta retulisse Archiepiscopos Ravennates indubitatum sit ex S. Gregorio M. lib. 2. epist. 54. ad Johannem, & lib. 5. epist. 8. ad Marinianum ambos Ravennates Antistites. Quin etiam antehac Johanni Ravennati S. Simplicius P. M. in epist. ad eumdem

dem inscripta minitatus legitur ablaturum se privilegia Ravennati Ecclesiæ a Romana liberali manu largita, si illis deinceps eum abuti contingeret: quin insuper Agnellus ipse in S. Petro Chrysologo affirmat illum a Pontifice Romano Pallio fuisse insignitum. Quod argumento est sane evidenti illorum auctorem Valentinianum neutiquam esse adstruendum. Confer doctiss. Bacchinium in præfat. ad Agnellum de hoc præclare agentem. Veri igitur verisimilius fit ad rebellium augendam multitudinem, & audaciam contra Romanam Ecclesiam datum fuisse diploma illud a Constante Imperatore, homine, qui omnem in Romanos Pontifices quærebat invidiam: unde a S. Leone II. impetratum ab Imperatore Constantino Pogonato diploma alterum, quo datum olim a Constante pro Autocaphalia Ecclesiæ Ravennatis penitus aboleretur, referunt Anastasius in S. Leone II. P. M., & Agnellus ipse eodem schismate afflatus in vita Theodori Raven. Episcopi pag. 153.

Ne igitur nobilissima Ecclesia privilegiis, quibus cum a Summis Pontificibus, tum a laicis Principibus ad cumulum fuerat exornata, in Pontificum deinceps probrum, suique perniciem abuteretur, factum est, Supremi Numinis certe sapientissimo consilio, ut Exarchatus a Langobardis abstractus in Romanæ Ecclesiæ temporalia etiam jura transcriberetur, ut ita Cathedræ S. Petri indissolubili deinceps vinculo Ecclesia illa adhærere veluti adigeretur. At quid non humana excogitat ambitio, aggrediturque audacia! Dum Autocephalia poterat existimari penitus excisa, tum visa est superbior exsurgere, viresque invalescendi majores assumere: nam post donationem Pippini duo primi, qui unus post alterum Ravennati præfuerunt Ecclesiæ, Sergius, & Leo, quo impunius a Romani Pontificis obedientia deficerent, subjectioneque se eximerent, ipsum Exarchatus dominium sibi arrogare non dubitarunt: de Sergio id referente Agnello in Sergio cap. 4; de Leone idipsum scribente Hadriano I. in tribus epistolis ad Carolum M., quæ in Cod. Carolino extant ordine 51, 52, & 54. Non de dominio exambito, sed de administratione dumtaxat exercita, nec absque indulgentia Pontificum, nec absque intelligentia Pippini, de iis dicta ab Agnello, & Hadriano accipi de-

bere jubet Doctiss. Bacchinius. Verum conjecturam, sive interpretationem hanc levem nullo exsufflat negotio vir Cl. Cennius in differt. ad Concil. Later. sub Stephano III. cap. 3, invictissime ostendens ex epistolis in Cod. Carol. 17. Pauli I. ad Pippinum, & 54. Hadriani ad Carolum M., sub Stephano II, Paulo I, Stephano III, & Hadriano I. a Magistratibus, sive Missis Roma a Pontifice Exarchatum fuisse administratum, non ejusdem administrationem illis Archiepiscopis demandatam. Ad hanc igitur amputandam radicitus ambitionem Stephanus II, ejusdemque successores Ravennates Antistites nedum procul arcuerunt a temporalis dominii administratione, sed insuper S. Nicolaus I. altius falcem insigens spiritualibus prærogativis exspoliavit. Hoc modo Romanæ mancipata Ravennatensis Ecclesia, tranquilla in obedientia mansit, donec anno 1072. Guibertus odio plusquam vatiniano in Pontifices non tam flagrans, quam furens Henrico IV. Imp., ut contra Alexandrum II. Cadolaum loco constitueret, auctorem se præbuit; & contra S. Gregorium VII., eumdem a Sede, cujus ipse appetentissimus erat, amovendi caussa, nefaria cuncta, quæ potuit, molitus est, quæ narrat Centius Camerarius in Codice Ms. Vaticano apud Baronium, quammaxime in schismatis facem insufflando, ac schismaticorum factioni, quo potiori valeret, favorem impendendo; usque dum voti, quo insaniebat, compos evaderet, videlicet ut in pseudo-Synodo Brixinensi legitimo Pontifice deposito, in ejus locum sub nomine Clementis III. insiliret, viceque flagitii repensa Henricum ipse Imperatorem inauguraret. Quare Guibertus vice plus simplici sacerdotio, christianisque sacris interdictus est a S. Gregorio VII. in Synodis Romanis IV, VII, VIII, & IX. annis 1078, 1080, 1081, & 1083; a Victore III. in Beneventana anno 1087; ab Urbano II. in Romana anno 1089.; Beneventana anno 1091; Placentina anno 1095, & Romana anno 1099, & a Paschali II, qui anno 1105, quinto idest anno a Guiberti infelici obitu, exhumari ipsius ossa, & in fluenta projici jussit, annoque sequenti in Synodo Guastallensi in vindictam nefandissimi Guiberti Ravennatem Ecclesiam Metropolitico jure spoliavit, atque Æmiliam ab ejusdem jurisdictione exemit. Veruntamen quum vigente

gente

gente schismate Burdini sub nomine Gregorii VIII. adversus Gelasium II. Ravennates una cum Gualtero Archiepiscopo Pontificis legitimi partes egregie adjuvissent, eaque de re Romanam Ecclesiam optime demeruissent, ejusdem rei gratia Gelasius Ravennatensi Ecclesiæ pristina jura Metropolitica in Æmiliam, quæ Paschalis ademerat, anno 1118. dato ad Gualterum rescripto legendo apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1942. restituit, eumque Pallio adauxit. Ab hoc tempore Romanæ indivulse Ravennatensis Ecclesia remansit adjecta, nec ulterius de schimate cogitavit.

Schismate nec minus diro, nec minus diuturno a Romana divulsa conflagravit Ecclesia Aquilejensis, quam ut ad unitatem revocarent, quot, quantosque non exantlarunt labores summi Pontifices a Vigilio usque ad S. Sergium I, per intervalla circiter annorum 145, quot nempe ab anno 553. usque ad 698. interfluxerunt? Cruentissimi schismatis in caussa extitit celeberrima trium Capitulorum controversia: qua in quinta Synodo definita, tribus Capitulis condemnatis, illi Synodo indignati Istriæ Episcopi, ideo quod ab illa Chalcedonensi inlatam injuriam errore decepti existimarent, Paulino Aquilejensi auctore Provinciali Synodo habita anno 553, veluti ex V. Beda lib. de 6. ætat. conjiciunt Baronius ad eumdem annum n. 221, & seq., ac Norisius in dissert. de Synodo V. cap. 9., aut 558., aut imo seq., sicuti malunt Bollandus ad diem 8. Febr. in vita S. Honorati Mediol., & Pagius ad hunc ann. n. 9, in eam dato sacramento itum est sententiam tria Capitula a Concilio Chalcedonensi haud damnata ejusdem absque enormi injuria damnari ab ullo nequire. Sategit, ut Paulinum cum suffraganeis ad rectam frugem reduceret, Pelagius I., uti ex ipsius patet epist. 2. ad Episcopos Istriæ, 3, 4, & 5. ad Narsem Patricium, & 6. ad Episcopos Tusciæ; sed frustra cessit omnis conatus: adeo illi animo obfirmati erant, ut imo Romani Pontificis ejurata obedientia, uni deinceps Paulino obediendum sibi statuerint. Facile factum exinde existimant Baronius, & Spondanus schismaticos loco Pontificis, a quo desciverant, Paulinum delegisse in Patriarcham: eamque verisimillimam Aquilejensis Patriarchatus originem esse consentiunt Norisius

risius cap. 10, & Thomassinus vet., & nov. discipl. par. 1. lib. 1. cap. 21. n. 5., quod postea nomen pacis bono ultro permiserint Romani Pontifices. Defunctis Paulino, & Probino ejus in Ecclesia, & schismate successore; devastata vero, & diruta a Langobardis Aquileja, Elias Archiepiscopus de transferenda Gradum Cathedra cogitavit, ac Pelagium II. P. M., ut hujusmodi translationem ratam haberet, rogavit. Annuit Pontifex in spem erectus fore, ut beneficio devinctus a schismate decederet, unaque secum schismaticos ad officium reduceret. Præconceptam spem fefellit eventus: etenim coacto apud Gradum anno 579. Concilio, cui una cum Elia Aquilejensi, & Laurentio Presbytero Apostolicæ Sedis Legato interfuisse Episcopos 18. omnes suffraganeos referunt Ughellus Italiæ sacræ tom. 5., & Norisius in differt. cit. cap. 9. §. 4, iterum contra Synodum V. juratum est, & conclamatum. Spe sua defraudatus Pelagius epistolis tribus ad Eliam, & Istriæ Episcopos, legendis apud Baronium ad ann. 586. n. 29, 37, & 44, apud Labbæum tom. 5. pag. 940, & 615, ac Harduinum tom. 3. pag. 414, & seqq., quarum postrema, & quidem prolixa liber ille vulgo creditur de quo S. Gregorius M. loquitur epist. 36. lib. 2. indict. 10; quamque jussu Pelagii exaratam a S. Gregorio ipso, dum adhuc Diaconus esset, perhibet Paulus Diaconus lib. 3. de gestis Longob. cap. 10, epistolis, inquam, egit, & gravissimis utique, eruditisque, ut illos a schismate ad meliorem frugem, si superis placeret, sanioremque mentem revocaret: sed epistolis haud frangi indeflexorum hominum pertinaciam intelligens, Smaragdi Exarchi potestate coercendos suscepit. At illi a Mauritio Imper. dolo, & arte impetrato Rescripto, quo ne quid molestiæ ipsis inferretur, injungebatur, Exarchi vim elusere, ac impune, & pertinacissime in sententia perstiterunt. Donec defuncti Eliæ successore electo Severo trium Capitulorum defensore contumacissimo, veritus Smaragdus, ne schismate ab eo Regiones finitimæ inficerentur, adhortante Pelagio, Severum captum, & cum tribus Episcopis Grado Ravennam abductum coram Johanne Archiepiscopo schisma ejurare, ac tria condemnare Capitula compulit. Ejurationem per vim extortam effectu caruisse comproba-

vit

vit eventus: nam Gradum regressus non antea in sedem receptus a suis est Severus, nisi in Synodo decem Episcoporum Mariani in litore Forojuliensi anno 590. habita iterum in tria jurasset Capitula.

S. Gregorius M. decessoris sui vestigiis inhærens, ut sedaretur tandem schisma, ac Synodus V. susciperetur, totus, ac toto sui regiminis tempore incubuit, a blandis, asperisque non abstinens, quibus durissimam hominum cervicem edomaret. Principio Severi datæ fidei prævaricatoris ut pertinaciam frangeret, utque schismaticis viam ad unitatem redeundi facilem sterneret, agere apud ipsos epistolis cœpit, lib. 1. epist. 16. efficaciter, benigneque ad officium pellicens; & epist. 24. formulam fidei præscribens, unitatisque professionis, quam a schismate redeuntes emittero deberent. Factum est quoque, ut quosdam ad frugem reduceret, inter quos Prudentium, & Petrum Istriæ, ac Firminum Tergestinum Episcopos prodit lib. 10. in epist. 36. Complures alios, in quibus Utinensem, Tridentinum, Veronensem, Tarvisiensem, Vicentinum, Feltrinum, Bellunensem, Polensem &c., tribus, aut quatuor relapsis, ac pertinacissime in schismate permanentibus, erroris sui pertæsum tandem fuisse tradit Paulus Diaconus lib. 4. cap. 10. Ceteros in schismate contumaces, ac Severum maxime, Romam caussam dicturos, sive de errore dedocendos evocavit: utque parendi necessitatem imponeret, a Mauritio Imp. litteras, quibus Schismatici Romam contendere, coramque Pontifice comparere compellebantur, impetravit. At tum Severus, tum sectatores a Pontifice ad Imperatorem provocantes, datis libello, ac litteris, quas ex Nicolao Fabro descripsit Baronius ad annum 590. n. 28, & ex Sirmondo Harduinus tom. 3. pag. 524., dixerunt cum Romano Pontifice sibi caussam esse: refugere se propterea ejus communionem: ipsum itaque idoneum Judicem ea in caussa non esse. Imperator ne Istros, si vim adhiberet, in partes Langobardorum impelleret, Pontifici imperavit, ne ullam vim, aut molestiam illis ob schisma inferret. Putas ne vero ista perniciosa injungenti S. Pontificem adquievisse, itaque facilem, ut putavit Oudinus in dissert. ad S. Gregorii opera cap. 8., quem dignis pro meritis excipit doctiss.

ctiss. Gradonicus in dissert. epist., ad gratiam captandam, aut ignavum ad propria jura tuenda se dedisse, ut fœde suum prodere officium, aut ipsi deficere voluerit? Minime gentium. Sensit quidem statim laicæ potestatis ademptum sibi adjutorium, at a potestatis sacræ exercitio non propterea ipse decessit: etsi enim deinceps ab insectandis Schismaticis destiterit, eos tamen ad demerendos officiorum genere omni se convertisse, nec destitisse ab insinuationibus ingerendis cum animo, tum auribus sive Imperatoris, sive Exarchi Callinici, qua per Anatolium Diaconum Apocrisiarium suum, qua per Marinianum Ravennatem Antistitem, liquet ex lib. 7. epist. 9., qua huic jubet, ut siquidem Johannes Capranicæ Insulæ Episcopus a proposito, quod prætulerat, a schismate redeundi, turpiter resilierat, alterum Insulæ, quam tum ipsius Diœcesi adjungebat, Episcopum præficeret: interea, sicut ipse per Anatolium Imperatori suggerere non prætermiserat, ita per Callinicum urgere eamdem suggestionem haud negligeret, videlicet jussionem illam cum a schismaticis dolo fuisse subreptam, tum locum utique non habere in iis, qui ultro citroque ad Ecclesiam redirent. Confer ad hæc lib. 2. epist. 32, & 62; lib. 4. epist. 20, & 32; lib. 5. epist. 24; lib. 6. epist. 61., & lib. 12. epist. 3., ex quibus elucet qua præditus animi magnitudine S. Gregorius esset, de quo præterea adisis Dionysium SanMarthanum in ejusdem vita lib. 2. cap. 10.

Quamquam vero Imperatorum, qui impares ipsi erant Langobardorum Italiam depopulantium insultibus cohibendis, opera defraudati Pontifices diro schismati, cui favorem suum Langobardi impendebant, penitus profligando viribus haud pares videri possent, nihilo tamen minus, quum Severo in schismate anno 605. defuncto, inque duos distracta Diœcesi Aquilejensi, uti liquet ex actis Synodi Mantuanæ anno 657, Gradensibus ordinatus fuerit Candidianus germane catholicus Episcopus, eique post obitum suffectus Epiphanius, dum Aquilejensibus in schismate manentibus Johannes similiter schismaticus est inauguratus, dicere præstat id absque Pontificis auctoritate minime factitatum, ideoque fructu vacuos nec fuisse Pontificum Romanorum labores. Quo tandem tempore pertinacissimo schismati finis impositus fuerit, si abs me

me quæras, auctor sum tibi, ut magis doctiss. Norisio auscultes, qui in dissert. de Synodo V. cap. 9. §. 6. eorum explosa sententia, qui non ante S. Sergium I., hoc est annum 687, extinctum schisma existimant, retro contendit jam tum sub annum 649. schisma illud sedatum; scilicet ex Synodo Lateranensi sub S. Martino I. P. M. citato mox anno celebrata Secret. I. liquido constat Maximum Aquilejensem confessum in Synodo V. tria Capitula jure, ac merito fuisse condemnata. Ad hæc in Synodo altera Romæ sub S. Agathone anno 679. contra Monothelitas similiter habita adparet, ut observatum a Baronio, & Spondano ad annum 698. est, Agathonem Episcopum Aquilejensem Synodo cum suis Suffraganeis subscripsisse. Conjicere exinde licet S. Martini opera Maximum ad ejurandum schisma inflexum; adductamque ad Romanæ unitatem Ecclesiam Aquilejensem ab ea amplius non decessisse. Quamquam cum Pagio ad annum 698. num. 14. non inficias iverim schismatis aliquas adhuc reliquias in Istria remansisse, aut aliquos Istriorum in schisma recens excisum recidisse: siquidem sub S. Sergio I. Aquilejæ circa annum 698. celebrato Concilio, quod perperam a Langletio in tabul. Chronolog. cum eo confunditur, in quo schisma adversus tria Capitula, sive Synodum V. conflatum est, tria Capitula defendentes damnati sunt, & suadente S. Sergio Synodus V. suscepta est, ut habent Ven. Beda in lib. de sex ætat., Paulus Diaconus lib. 6. de gestis Longob. cap. 14., & Anastasius Biblioth. in S. Sergio I, a quo inter alia statutum observat, ut ingruentibus tum Ecclesiæ ex schismate adversitatibus tempore confractionis Dominici Corporis in Missa *Agnus Dei* &c. ter a Clero, & populo decantaretur, sed deinceps in tertio diceretur: *Dona nobis pacem*: qui ritus ubique receptus est, excepta Basilica Lateranensi, in qua adhuc dicitur ter: *Miserere nobis*.

Schismati huic inhæsere aliquando Africani, & Illyrici Episcopi, adeoque pro tribus Capitulis teste Victore Tunon. conspirarunt, ut Illyrici coacto anno 549. Concilio Judicatum Vigilii nihilo habuerint; in trium Capitulorum defensionem juraverint, ac Benenatum primæ Justinianæ Metropolitam trium Capitulorum obtrectatorem gradu deturbaverint. Videsis Norisium dissertat.

tat. cit. cap.4. Africani autem eó audaciæ progressi sint, ut anno 550. coacta Synodo sub Reparato Carthaginensi Vigilii Judicatum despicatui habuerint nedum, uti refert Victor Tunon., verum etiam in Vigilium ipsum, proh scelus? excommunicationis telum intorserint. Paullo post tamen Pelagii I. opera, & officiis cum Africanos, tum Illyricos rectam in viam reductos, a schismate recedentes in trium Capitulorum condemnationem tandem consensisse; Synodo V. adquievisse, & cum Romana Ecclesia communionem redintegrasse prodit Victor Tunonensis in Chron. ad annum 554. de Afris, & ad annum 559. de Illyricis. In idem schisma ivisse Hibernos, sunt qui affirmant, suntque, qui negant. Qui affirmant, eo innituntur momento, quod a S. Gregorio M. lib. 2. epist. 36. anno 592. legatur exarata ad Episcopos Hiberniæ, in qua agit de tribus Capitulis: atque quod inter epistolas S. Columbani tom. 12. Bibliot. PP. edit. Lugd. insertas extet epistola ab eodem scripta ad S. Bonifacium IV. P. M. circa annum 612, in qua se, suosque Hibernos trium Capitulorum defensores prodit; deque Pontifice quæritur, quod Synodum V. calculo suo comprobaret. Qui contra pugnant, uti Norisius cap. 9. §. 5, eam epistolam S. Gregorii magis ad Episcopos Istriæ, quam ad Hibernos inscriptam autumant: siquidem apud veteres nulla vestigia sit invenire apud Hibernos pugnatum fuisse pro tribus Capitulis. Quamquam nec desunt, qui cum Lupo in dissert. ad Synodum V. potius ad Episcopos Iberiæ exaratam illam malint, qui meo judicio tamen id male augurantur. Epistolam etiam S. Columbani ad S. Bonifacium IV. Critici nonnulli exsufflant, iccirco quod sub ætatem S. Bonifacii jam undique Ecclesia, perpaucis exceptis Istriæ Episcopis, cum Romanis Pontificibus, in quinta Synodo suscipienda conspirasset, ideoque absque apertissimi schismatis crimine nequivisse S. Columbanum eidem Synodo V. consensum retrahere suum, & in sua contumaciter remanere sententia: neque absque insigni audacissimæ temeritatis nota Romanum Pontificem de recepta Synodo V. redarguere: quando præsertim in Pontificis sententiam universalis concesserat ultro citroque Ecclesia. Recole dicta par. 1. tom. 1. art. 2. §. 3. pag. 188. nolim enim nunc hac in dirimenda lite me judicem constituere, sed ejus magis apud doctos esto judicium. Hoc

Hoc in luto hæsere quoque, & quintæ Synodo, sive trium Capitulorum condemnationi adversati sunt aliquando ex Gallis, Hispanis, & Italis aliqui Episcopi. Ad meliorem autem frugem reductos fuisse a Romanis Pontificibus Pelagio I, Johanne III, Benedicto I, Pelagio II, & S. Gregorio M. conjicere fas est, & quidem a Pelagio I. Gallos ex epistolis 10, & 16. ad Childebertum Francorum Regem, quibus Concilii Chalcedonensis fidem, & S. Leonis litteras ad Flavianum a Synodo V. nihil læsas liquido ostendit. Ab eodem Pontifice, & Johanne III. Italos ex epist. 5. Pelagii ad Narsem Patricium, in qua Vitalem Mediolanensem Episcopum in ordinem redigi curat; & ex S. Gregorio M. lib. 3. epist. 2. ad Constantium Mediolan., in qua auctor erat, quod qui Episcopi inaugurandi essent in Synodum V. jurare debebant, ac datæ fidei chirographum ad Apostolicam Sedem transmittere: idque præstitum fuisse perhibet ab ejus prædecessore Laurentio: quod indicium est certum juramentum ejusmodi Johannem III. exegisse a Laurentio, antequam Mediolanensis renuntiaretur Antistes. Benedictum etiam in eamdem conspirasse curam haud obscure indicant Pelagius II. in epist. ad Eliam, & Istriæ Episcopos testatus suos Decessores Synodum V. approbasse, ac tria condemnasse Capitula, & S. Gregorius M. loco indic. memorans a Decessoribus suis inductum morem exigendi a novis Episcopis sacramentum, quo tria Capitula ejurarent, & Synodo V. subscriberent: ut proinde a Cl. Norisio putidissimæ falsitatis redargutus fuerit Halloixius a Johanne, & Benedicto tria Capitula fuisse condemnata inficiatus. De Hispanis res magis in obscuro latet: nam illis Synodum V. haud acceptam evasisse conjicere licet ex Synodis Toletana III, VIII, & XIV., quæ de Synodo V. alte silent, eoque loco habent sextam; nec non ex S. Isidoro Hispal. in catalogo viror. Illust., ubi illustri mactat elogio sive Theodorum Mopsvestenum illiberaliter ab Acephalis (in Synodo V.) damnatum dolens, sive Facundum Hermian. ejusdem libros pro tribus Capitulis apologeticos laudans. Atqui Hispanos sub S. Gregorio M. ab unitate Ecclesiæ haud disjunctos certo certius est, nam in Synodis Toletana III. anno 589, & Hispalensi I. anno 590. Romanæ Ecclesiæ fidem cum Reccaredo Rege utique profes-

si leguntur: ideoque præstat dicere ad frugem a Pelagio, aut a S. Gregorio ipso illos fuisse perductos; aut quadam œconomiæ specie cum illis errore facti deceptis, nec Ecclesiasticam unitatem lacerantibus ad tempus dissimulatum, donec errore dedocti ad Synodi V. obsequium suapte redirent. Illud heic interea obiter velim observes Romanis Pontificibus Vigilio, Pelagio, Johanne III, Benedicto, Pelagio II, & S. Gregorio M. jubentibus Synodum V. loco stetisse suo, etsi undique in eam insurgerent Afri, Illyrici, Istri, Galli, Itali, Hispani &c. Nonne igitur sola Apostolicæ Sedis auctoritate interveniente, nulloque expectato Ecclesiarum consensu, etsi imo earum nonnullæ, nec exiguæ numero, nec merito contemnendæ intercederent, Synodus V. authentica, omnimodæque auctoritatis evasit? Nonne imo Synodo V. solius Apostolicæ Sedis accedente consensu, exinde necessitas eidem adquiescendi ceteris in Orbem Ecclesiis omnibus incubuit, adeout adquiescere detrectantes invidiosam schismatis notam incurrerint? Quorsum igitur a quibusdam malefer iatis, ut Pontificis Romani sententia ejusmodi, tantique ponderis evadat, quod Ecclesias omnes obliget, obsequendique onere obstringat, Ecclesiarum omnium accedere oportere ante omnino assensum, quo abrogato, aut suspenso, Apostolicam quoque sententiam abrogari, aut suspendi necesse sit, adstruitur, & adseritur? Sed de schismate Aquilejensi jam nimis.

De schismate, quo a medio circiter Sæculo IX. ad medium circiter Sæculum XII. diu, multumque nobilissima inter Italicas Ecclesia Mediolanensis exarsit, nonnulla jam attigi par. 1. tom. 1. art. 6. §. 2. pag. 589, & seqq., quibus pauca modo subjicere pretium est operæ. Non unam ob caussam, nec vice sola excitatum, instauratumque illud est. Sub Sergio II. circa annum 845. ab Angilberto incensum, ac sub Gregorio V. circa annum 999. ab Arnulpho instauratum, sub Benedicto VIII. extinctum conjicere licet ex Synodo Ticinensi circa annum 1012. contra incontinentes Clericos celebrata, cui inter alios subscriptus legitur Mediolanensis Archiepiscopus. Paullo tamen post ad pristinum ingenium regressus est Clerus, ac in turpem relapsus simoniæ, & incontinentiæ ignominiam, qua pridem, diuque postmodum illu-
stris

ftris Ecclefia illa eft confpurcata. Enim vero Clemens II, S. Leo IX, Victor II, Stephanus IX, Nicolaus II, Alexander II, S. Gregorius VII, eorumque deinceps fucceffores Ecclefias omnes, & quammaxime Italicas, quas ceteris in Orbem difperfis morum difciplina, integritateque documento, exemploque prælucere volebant, utquæ probe femper præluxerant, quafque fimoniæ, & incontinentiæ fordibus derurpatas non abfque ingenti animi dolore confpiciebant, expurgandas diligenti cura adgreffi, qua Synodis, qua litteris, qua legationibus id exequi funt enixi. Res hæc magnum iterum in Ecclefia Mediolanenfi fchifma excitavit fub Stephano IX. anno 1057: pro Pontificiis enim decretis macti animo ftabant SS. Arialdus Clericus & Herlembaldus laicus illuftris, quibus deinde adftipulati funt Landulphus Cotta Clericus alter, & Nazarius alter laicus, a quibus complures alii in partes funt pertracti: ex adverfo Sacerdotes incontinentes, & fimoniaci tanquam pro aris, & focis contra Pontificia decreta pro licentia pugnabant, eorumdem partes adjuvante Guidone Archiepifcopo, prædecefforis fui Ariberti veftigiis inhærente, adeout nec librum S. Ambrofii de officiis ad conjugia fua tuenda corrumpere, nec SS. Arialdum, & Herlembaldum confpiratione facta martyrio afficere deftiterint. Eo etiam Clericorum fimoniæ, & incontinentiæ deditorum crevit audacia, effreni ei animos fuperaddente licentia, amoreque effufo libertatis, ut fub prætextu præclaræ S. Ambrofii in Ecclefia memoriæ, egregiorumque meritorum præfumerent Romanæ Mediolanenfem exæquare non modo, fed erecta fronte adverfus Romanam infurgentes ab ejus fubjectione, & obedientia fe fubtraherent, obtendentes fibi nihil cum ea effe commune, nihil in fe eidem effe fingulare. Nicolaus II., qui Stephano IX. fuccefferat, Ecclefiæ Mediolanenfis infelicis conditionis certior factus, acceptaque Mediolanenfium Legatione exorantium, ut fui miferefceret, tantifque occurreret malis, quibus Ecclefia olim tam de Romana merita, obque fingularia merita inter Italicas poft Romanam facile princeps affligtabatur, Legatis miffis S. Petro Damiani, & Anfelmo Lucenfi, paullo poft Alexandro II, Mediolanenfem Ecclefiam Romanæ reconciliavit, & ad unitatem redintegravit, Guidone Archiepifcopo.

omnium primo, Clericisque omnibus post ipsum solemni sacramento publice professis, se ab hujusmodi flagitiis simoniæ, & pellicatus spurcitiis imposterum temperaturos.

Vix, ac ne vix quidem ad sua regressis Legatis (heus miseranda humanæ conditio naturæ!) Clericorum continentiæ leges, ac simoniæ habenas impositas ægerrime ferentium querimoniis, ac pene conviciis pulsatus, vellicatusque Guido ad pristinum ingenium relapsus, secessione ab Apostolica Sede iterum facta Clericis mulierosis in pristino luto pro libitu, voluntateque impune volutandi facultatem fecit. Perduellibus perdomandis, Clericorumque conjugiis, simonia, & schismate abolendis SS. Arialdum, & Herlembaldum Ecclesiæ defensores dato vexillo creavit Alexander II, qui postea anno 1067. ipse Mediolanum profectus a simoniæ, & incontinentiæ sordibus, ac schismate Ecclesiam illam expurgavit. Verum Guidone anno 1070. e vivis exempto, hinc Gothofredus ab Henrico IV. Imper., illinc ab Herlembaldo, aliisque Clericis Romanæ Ecclesiæ addictis subrogatus est Atho: exinde novum exortum est schisma, magnisque turbis Mediolanensis Ecclesia iterum vexata, & scissa; quod quum ad Pontificis aures pervenisset, coacto Romæ Concilio anno 1072. Athonis confirmata electione Gothofredum gradu deturbavit: qua de re legenda S. Gregorii VII. lib. 1. epist. 15. anno 1073. ad Christifideles in Lombardia inscripta: quin ipse Pontifex inauguratus prædecessoris sui vestigiis inhærens Athoni suffragatus in Gothofredum ab invasione, & incubatione Mediolanensis Ecclesiæ non desistentem in Synodo Romana I. anno 1074. anathema intorsit. Auctum magis est schisma: nam Clerici simoniæ, & pellicatus flagitiis implicati anno seq. 1075. ad Henricum Imp. confugientes Thedaldum impetrarunt, qui postquam ab ipso Imperatore investituram accepisset, in Ecclesiam Mediolanensem erumperet homo, a quo habenas sibi in genus omne vitiorum laxandas, utpote sui simillimo, sperabant. Itaque uno, eodemque tempore tres in Ecclesia eadem audiebant Antistites, Atho legitimus, Gothofredus depositus, & Thedaldus intrusus. Sicut autem in Romana Synodo I. Gothofredum, sic in Synodis IV. anno 1078, & VII. anno 1080. Thedaldum, qui invasioni, simo-

simoniæ, investituræ, schismati, incontinentiæ, superbiam superaddens, & contra Romanam Ecclesiam erecta cervice se extollens ab ejusdem obedientia se, suosque eximere enitebatur, S. Gregorius dignitate exuit, & excommunicatione devinxit: sed & anno superiori 1077. Mediolanum missis S. Anselmo Lucensi, & Geraldo Hostiensi Civium ingentem multitudinem ad sanam mentem reduxerat, veniaque facile facta ad obedientiam, obsequiumque inflexerat, quin Thedaldo voto succederet abscedentem ab se Urbem cohibere. Donec Henrici IV. rebus in Italia retro inclinantibus, & contra schismaticos in dies vires resumentibus Catholicis, ad interitum vergere schisma istud visum est. Sub Victore III. deinde schismaticorum rebus in Italia in deterius collabentibus, eorum oppido quamplurium, qui ad Romanæ Ecclesiæ unitatem remigrabant, magis, magisque de die in diem auctus est numerus: sub Urbano II. denique anno 1095, aut sequenti Mediolanum ad pertinax schisma per semet excindendum profecto, extinctum penitus æstimari potuit, cujus reliquias, si quæ ad huc superessent, tum Paschalis II. abolevit, quæque reviviscere deinde visæ sunt, (quippe Anacleto pseudo-Papæ, legitimi Pontificis desertis partibus, adhærere Mediolanenses cum Anselmo Archiepiscopo deliberaverant, adeo ut Honorio II. eidem Metropoliticam dignitatem fuisse abrogatam conjecerint Horstius, & Mabillonius in notis ad epistolam 131. S. Bernardi ad Mediolanenses; excommunicationem attamen dumtaxat inustam contendit Pagius ad annum 1135. n. 28, & seqq.), tum Innocentius II. penitus profligavit, radicesque, quas profunde egerant pellicatus, simonia, ac schisma prorsus extirpavit: a quo tempore tranquillam, christianoque nomine dignam, sub Romanæ devotione, ac reverentia vitam Mediolanensis hactenus traduxit Ecclesia, nec transversum ungem ab ejus unitate deinceps ad hanc usque diem deflexit. De his legendi præ aliis, si placet, S. Petrus Damiani in serm. habito ad Mediol. opusc. 5. relatus dist. 22. Can. 1. *Omnes*, & in epist. ad Hildebrandum Archid., dein Gregorium VII., S. Pontifex hic lib. 1. epist. 15, 25, 26, 27, 28, & 43., & lib. 3. epist. 8, & 9; Urbanus II. in epist. 4. ad Anselmum Mediol. edit. Harduini; S. Bernardus epist.

131.

131. ad Mediolan., Landulphus, & Arnulphus Scriptores Mediol. apud Puricellum; Puricellus in vitis SS. Arialdi, & Herlembaldi; Baronius, & Pagius ad præcit. annos.

Retorquendo nunc ad Græcam Ecclesiam sermonem, eodem Sæculo IX. se offert infaustum illud, infandumque schisma a Photio post homines natos homine superbissimo enatum, quod sæpius extinctum, & sæpius e tumulo excitatum in caussa etiamnum est, cur tam dire, quam diuturne a Romana divisa, & divulsa Ecclesia Græca tum sub Saracenorum durissimo gemat jugo, tum in sexcentos, certa in sententia stare nescia, continua de malo in malum conversione, vagetur errores. Perspectissimam rem pluribus minime persequar, videlicet Photii fastum, flagitia, fraudesque, quibus adjumentis instructum Thronum S. Ignatii, eo exturbato, invasit, invasum vero retinendi facultate a Romano Pontifice denegata, in furorem actus Pontificem ipsum maledictis impetere non exhorruit, ac rebellionis erecto vexillo Romanæ Ecclesiæ bellum indicere, calumniis atrocissimis confictis, quas sæpius a Græcis schismaticis refictas, luculenter, ac liquido eluerunt ex Græcis ipsis Johannes Veccus, Demetrius Cydonius, Bessarion Nicænus, Josephus Methonensis, Manuel Caleca, Leo Allatius &c., ex Latinis Odo Bellovacensis, Æneas Parisiensis, Ratramnus Corbejensis, S. Anselmus Cantuariensis, Anselmus Havelburgensis, Hugo Etherianus, Johannes a Montenigro, S. Thomas, S. Bonaventura, Baronius, sexcentique de Schola Theologi. Omnibus etiam obvia, & notior evasit, quam sermone magis obscuretur, animi magnitudo, qua flagitiosissimum hominem feriendo censuris, prohibendo sacris, insignibus spoliando persequuti sunt Romani Pontifices S. Nicolaus I, & Hadrianus II, donec opere efficerent, effectumque est dehinc, ut Photio in exilium pulso, schisma eodem ipso, quo exortum fuerat, anno in cunis suffocaretur: nempe Michaele Imperatore, quo obstetricante in lucem fuerat editum, lucis usuram passo, a Basilio ad Imperii fastigium levato, cuique officio, religionique cedebat Pontificum decreta executioni demandare, cruentissimus prædo ab incubatione remotus est, & ad pœnitentiam agendam tutum in locum retrusus. Johanni VIII. a Latinis

Latinis nonnullis ingenti crimini vertitur, quod Ignatio fatis defuncto, qua Photii, qua Basilii precibus, erant autem enixæ, inflecti se passus sit, ut sive communionem suam, sive vacantem Cathedram permiserit: quæ Pontificis ignavia, si Baronio credas, ortum dedit fabulæ de Johanna Papissa: quatenus ob tantam animi facilitatem in homine tam facinoroso recipiendo, ac restituendo, fœminæ, præ viro, nomine jactari promeruerit.

Qui tamen Johannis hanc indulgentiam a livore oculo libero introspexerit a labe omni invidiæ illico liberabit: siquidem Orientalis Synodi, omniumque Patriarcharum accessissent preces Photii restitutionem urgentes, ex qua spes non levis affulgebat, fore tum ut in Ecclesia Orientali turbatæ admodum res humanæ, divinæque restituerentur, & cum Romana optata unio resarciretur: tum ut Græcum Imperatorem, ad quem a Gallis Neapolitanum Regnum defecerat, hac indulgentia devinctum, potentissimum haberet Pontifex defensorem, quem cum valida instructa classe Saracenorum Italiæ litora infestantium incursionibus objiceret; cui proinde repugnare periculosissimum esset: tum ut, quemadmodum Photius, & Basilius fide despoponderant sua, Illyrici Provinciæ in jura Patriarchica Romanæ Ecclesiæ, a qua fuerant a Leone Isaurico abstractæ, rursus transcriberentur, sicuti revera, etsi ad breve tempus, redierunt. Quibus, aliisque hujus genus de caussis, ob quas Johannem VIII. ab omni culpa excusant Ivo Carnotensis, Baronius ipse, Petrus de Marca, Norisius, Thomassinus, Pagius, aliique, quasque late persequitur idem Pontifex in epist. 199. ad Basilium Imp., quæ plane tanquam apologia, & quidem absolutissima pro hac sua agendi ratione haberi potest, decessorum suorum SS. Innocentii, Leonis, Gelasii, & Felicis exemplis, & testimoniis permotus, hujusmodi œconomiæ specie cum Photio utendum fuisse demonstrans: unde necessitati, & utilitati Ecclesiæ indulgens, deserviensque Johannes, non est cur in culpam vocetur. Præterea Photio veniæ gratiam non fecit, nisi ea adjecta lege, ut in Synodo coram Legatis habenda, scelerum veniam rogaret supplex, sponderetque læsis legibus factum se satis, in melius vitæ ratione, moribusque mutatis. Quam postea legem, quemadmodum hujusce surfuris homi-

hominibus folemne eft, quia adimplere detrectavit, quin etiam decreta contra fe lata abolere præfumpfit, Johannes mutata fententia, veftigiifque decefsorum relectis Photium diris cunctis devovit. Quo pacto rationi, qua pridem cum Photio egerat, probe confuluit, eamque in tuto collocavit, planum faciens nihil ab fe ex ignavia factum, fed ex optimo confilio totum.

Quis Photii fuerit finis, in obfcuro latet. Græci quidem nonnulli garriunt eum in unitate Ecclefiæ Romanæ, ac communione obiifse, quos multis refellit Leo Allatius de Ecclef. Occid., & Orient. conf. lib. 2. cap. 6, ex eo præfertim, quod Auctor Breviarii Synodi VIII. refert Photium annis 45, a Pontificatu fcilicet S. Leonis ufque ad Formofum, excommunicatione irretitum a S. Leone IV, Benedicto III, S. Nicolao I, Hadriano II, Johanne VIII, Martino II, five Marino, Hadriano III, Stephano V, & Formofo vixiffe, ideoque extra communionem Ecclefiæ obiiffe. Eo tamen etiam vivente extinctum fchifma certum eft, ideft tum anno 867, quo primum a Bafilio in executionem decretorum S. Nicolai I, & Hadriani II. gradu Photius eft deturbatus; tum omnino anno 886, quo fecundo a Leone Sapiente decreta executioni demandante Johannis VIII, Marini, Hadriani III, & Stephani V, (cujus lectu dignæ litteræ anno 885. ad Bafilium exaratæ, fed eo defuncto Leoni redditæ, quibus Bafilii ad deceſſorem fuum litteras felle, & blafphemiis refertiffimas refellens, tum objecta cuncta diluit; tum Bafilium ob animum in Pontifices peffime affectum, inque ipfos imperium affectantem objurgat), idem Photius loco dejectus, & in Monafterium detrufus eft, fuffecto Stephano fratre, cui precibus inflexus locum Formofus confirmavit, veniam præterea faciens infractorum Canonum, ut a Photio ordinati ad gradus promoverentur, ea tamen gemina adjecta lege, cum ut fententia in Photium lata perpetuo tempore immutabilis permaneret; tum ut lapfi oblatis libellis pœnitentia veniam deprecarentur, feque impofterum tali communione non polluturos pollicerentur. Extinctum ita, tumulatumque fchifma annorum 167. intercapedine non revixiffe, ideft ab anno 886, quo Photius a Leone penitus compreffus fuit, non erupiffe ante annum 1053, five ante decennium, quo Michael Cerularius Conftantini Monomachi

machi favore ad Episcopatum Constantinop.anno 1043. elevatus, illud e tumulo revocavit, post Allatium de consens.lib.2.cap.7, & Calecam lib. 4. adv. Græcos ostendit Natalis histor.Eccles. ad Sæcul. IX, & X. differt. 4. §. 29. ex serie 15. Patriarcharum, qui a Photio usque ad Cerularium eidem Ecclesiæ præfuerunt, quos communionem cum Romana Ecclesia fovisse, integramque custodivisse demonstrat, scilicet S. Stephani I, S. Antonii II. cognomento Cauleæ, S. Nicolai I. dicti Mystici, Euthymii I, Stephani II, S. Tryphonis, Theophylacti, S. Polyeucti, Basilii I. cognomento Scamandreni, Antonii III.Studitæ, Nicolai II. Chrysobergis denominati, Sisinnii II, Sergii II, Eustathii, & Alexii. Quam in rem legendæ quoque tabulæ Chronologicæ Patriarch. Constantinopolit. a Guillelmo Cupero, Anselmo Bandurio, Michaele Lequiennio &c. ex Leone Grammatico post Theophanis Chronogr., Johanne Curopalate,Simeone Logotheta vulgo Metaphraste sæculi X. scriptore in Annal., Georgio Cedreno in Hist. Eccles. usque ad præf. sæcul. producta &c. conflatæ. Etsi enim inter hos moribus infamis evaserit Theophylactus anno 933. ad 956: Sisinnius etiam anno 995. electus Photii epistolam calumniarum in Latinos cumulatissimam,titulo tantummodo immutato, & suo nomine supposito, iterum evulgaverit: (tametsi dubitandi locum esse, an ab aliis Sisinnii nomen epistolæ illi fuerit appositum ait Allatius lib. 2. cap. 8.) Sergius II. demum ex Photii genere anno 999, ad 1019. inauguratus, a quo Photianam epistolam contra Latinos suo nomine inscriptam pariter fuisse promulgatam scribit Baronius ad citat. ann. num.20, erga Latinam Ecclesiam non secus ac prædecessor animo haud optimo esset affectus, de schismate tamen instaurando non cogitasse, sed Romani Pontificis nomen in sacris diptychis ad altare recitandum religiose retinuisse, ideoque cum Romana Constantinopolitanam Ecclesiam in communione mansisse ex epistola Petri Antiocheni anno 1054 exarata ad Michaelem Cerularium, a quo ad schisma concitabatur, quam Cotellerius integram tom.2. Monum.Eccl.Græcæ edidit,quave perhibet,dum Constantipolim annis ab hinc 40.advenisset sub Sergio Patriarcha, & Johanne XVIII.Pontifice M., se Pontificis Romani nomen una cum aliis Patriarchis in sacris Missarum so-

ſolemniis ad altare recitatum audiviſse, & in ſacro albo deſcriptum adſpexiſse, recte inferunt Baronius, Leo Allatius lib. 2. conſ. cap. 8, & Petrus de Marca in diſsert. de epiſtola Vigilii: exindeque etiam adparet, quod Euſtathio poſt Sergium ſedente, & ſuadente Baſilius Bulgaroctonus Imperator legatis, litteris, multiſque munerum xeniis circa annum 1024. miſſis, a Johanne XIX. Occumenici Epiſcopi titulum Conſtantinopolitano concedendum extorquere conatus ſit: fruſtra tamen, indeflexum Græcorum petitionibus animum opponens Pontifex, quem ex rumore famæ perperam ad ejuſmodi preces exaudiendas jam pronum a Richardo Virdunenſi, & Willelmo S. Benigni Divionenſis Abbatibus fuiſſe a propoſito deterritum referunt Glaber Rodulphus lib. 4. cap. 1. apud Ducheſnium tom. 4. ſcriptor. hiſt. Franc. pag. 41; & Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdun. apud Labbæum tom. 1. Biblio. Mſs. pag. 174: qua de re adeundi Baronius ad annum 1024. n. 5, & ſeqq., Pagius ad eumdem ann. n. 3, & Cuperus in hiſtor. Chronolog. Patriarch. Conſtantinopolit. parergo 5. n. 331, & ſeqq.

Dimidio denique Sæculo XI, ideſt anno 1053, ſchiſma, quod in ſepulcro jam annis 167. jacuerat, Michael Cerularius, ſocio adhibito Leone Acridano, decennio, poſt quam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præfuiſset, animo id facinoris præmeditatus, tandem extumulavit. Rabie pluſquam canina, ob quam cauſsam neſcio, niſi ea ſit communis, ſcilicet Græcorum Patriarcharum ambitio Romano Pontifici ſubjici neſcia, nolenſque, in Romanam actus Eccleſiam dicteriis, ſcriptis, geſtiſque debacchari, inſoleſcere, & deſævire cœpit, priſtinas cum Photio conſepultas calumnias refingens, conduplicans, & exaggerans, ut cauſsam obtenderet aliquam concordiæ cum Latinis abrumpendæ, in culpam potiſſimum Romanis Pontificibus vocatis. Parum habuit in Latinos Conſtantinopoli degentes furoris ſui venenum effudiſse, niſi ad ceteros Græci ſermonis Patriarchas, litteras daret atra bile in Latinos aſperſas, quibus illos in ſchiſmatis caſtra pertraheret, odioque, quo ipſe efferveſcebat, in Latinos pariter inflammaret. Sicuti ſcintilla in magnum ſæpius excreſcit incendium, ita ſchiſma a Cerulario inceptum magis,

ma-

magisque in dies amplificatum, ex aliarum etiam Ecclesiarum accessione viribus adauctum, eó devenit demum, ubi nunc est, Orientem omnem depascens, & depopulans pejus, qua Turcarum Tyrannis depopuletur, & depascatur. Schismati tam diro, quam diuturno extinguendo, extirpandoque Romanos Pontifices tam subito, & instanter, quam sedulo, & indesinenter totos incubuisse, jam nostra est oratione ostendendum. Provinciam hancce primus aggressus S. Leo IX. epistolam illam ordine primam quam eruditam, tam efficacem capit. 41. constantem ad Cerularium exaravit, quo nihil a schismatico viro latinis objectum, quod luculenter non diluat, latinæ Ecclesiæ dignitate loco stabilita suo; nihil viro schismatico ad rectam frugem reducendo idoneum, quod liquido non demonstret, Græcanicæ Ecclesiæ veteri doctrina in lucem educta. Frustra tamen cum litteræ, tum Legationes adhibitæ cum homine, qui jacta jam alea in proposito abruptæ pacis animo pertinacissimo inhærebat.

Qui post S. Leonem in S. Petri Cathedra deinde consederunt Pontifices, quid non egerunt monitis, precibus, minis, præceptis, ut schismate relegato Græcos ad Romanæ Ecclesiæ gremium revocarent? Stephanus IX. spartam hancce Legatis suis imposuit, quam ipso a morte præoccupato ad exitum perducere nequiverunt. S. Gregorius VII. in epist. 18. lib. 1. ad Michaelem Græcum Imper. quanti interesset, ut gentiles sui, schismate ejurato, ad Romanæ Ecclesiæ societatem regrederentur, expressit: quinimo in epist. 31. lib. 2. ad Henricum Imperat. Latinum in Orientem ipse proficisci se paratissimum, turbatas ibidem Religionis res pacaturum, exhibuit. Urbanus II. Alexium Comnenum ab inferenda Latinis noxa absterruit, atque a schismate recedentem amplexus christianis sacris restituit; si fides adhibenda Bertholdo, nam hoc alii inficiantur. Barii in Apulia Synodo anno 1098. habita, cui Græcorum quamplurimi, Latinorum vero 85. supra 100. interfuerunt Episcopi, quorumque os, & ingenium fuit S. Anselmus Cantuariensis, vetus Ecclesiæ utriusque fœdus feriit: quod brevi tamen ob Græcorum animi levitatem disruptum est denuo. Eugenio III. schisma extinguere quam perniciosum, tam pertinax votis summis exoptanti, viribusque, quibus vale-

bat, cunctis enitenti aliquando spes affulsit, fore ut Ecclesiarum res bene cederent, & ex voto succederent: nam Viterbii anno 1145. ex Armenia, & Syria Nuntios acceperat suo, gentisque suæ nomine fidem nuncupantes, quos recta doctrina, rituumque disciplina eruditos ad sua dimisit: cum Græcis tamen res infecta fuit. Simili flagrantissimus studio Hadrianus IV. legato, litterisque missis ad Manuelem Comnenum Imperat., & ad Basilium Acridanum Metropolitam apud Græcos magni nominis virum de redintegranda concordia tractatum iniit: qui effectu quidem caruit, Græcis in contraria studia abreptis, ac in schismate obfirmatis; nihilo tamen minus Basilius rescribens Pontificis esse partes undique populos in catholicam coagmentare concordiam, & offendicula, quæ impedimento esse possent, e medio tollere fassus, & professus his verbis est: *Unitatem Ecclesiarum sine offendiculo constituere tuæ Sanctitatis erit; quæ Christi exemplo, velut e Cælo prospiciens, distantia in unum congregare vult, & potest.*

Cum Emin. Baronio ad annum 1119. apposite observat ejusdem abbreviator Illustrif. Spondanus ad annum 1155. Doctioribus Græcorum firmiter persuasum fuisse, quod quamvis fas esset in quibusdam ritibus a Romana discrepare Ecclesia, eidem tamen in fidei unitate necessario fore adhærendum. Conjecturam capit ex laudatis Basilii litteris, quibus se ab Ecclesiæ Romanæ societate minime abscissum haud obscure indicat. Johannem Comnenum item animo erga Latinos fuisse non male affectum conjicit ex epistolis tum S. Bernardi ad Eugenium III; tum V. Petri Cluniacensis 16. ad ipsum S. Bernardum; 39. ad ipsum Imperat., qua eumdem suscipit in confratrem, & comparticipem spiritualium bonorum Congregationis Cluniacensis: quod non fecisset, si is a fœdere Romanæ Ecclesiæ fuisset longe sepositus: & 40. lib. 2. ad Johannem IX. hujusce nominis Hieromnemonem dictum Constantinopolit. Patriarcham, qua obsecrat, ut Cœnobium olim Constantinopoli suorum Cluniacensium juris, ac dubio procul a Cerulario ablatum, ipsis restitueret. Sub Innocentio II. P. M. ab unione ineunda cum Romana Ecclesia multum non abhorruisse eumdem Johannem Comnenum, nec non Leonem cognomento Stypem Patriarcham, documento esse potest disputatio,

quæ

quæ sub eodem temporis habita videtur Constantinopoli cum Niceta ab Anselmo Havelburgensi, ut ipsemet indicat in exordio lib. 2. Dialog. apud Dacherium tom. 1. Spicileg. Manuelem etiam Comnenum in Romanum Pontificem animo fuisse propensum, si fraude, doloque non fecit, probant tum Encyclica ad Græcorum Episcopos, qua controversiam de anathemate contra fictitium Mahometis Deum e libellis Catecheticis delendo, ne offendiculo Muhametanis id esset, ad Romanum Pontificem deferendam dixit: tum epistola 48. inter relatas a Duchesnio tom. 4. rerum Francic. ad Ludovicum VII. Galliarum Regem, a quo fuerat sollicitatus, ut Alexandrum III. ceu legitimum S. Petri successorem haberet, & coleret, cui rescribens *Condignam*, ait, *reverentiam ipsius Sanctitati exhibemus, & orationum ejus participes fieri optamus*: tum facultas, qua Hugoni Etheriano Constantinopoli degenti librum de processione Spiritus S. contra Græcos scribere permisit: tum indictio Synodi, in qua de concordia inter Ecclesiam utramque reconcilianda tractatus iniretur: tum legatio anno 1168. ad Pontificem decreta, qua spondebat ab se Græcam Ecclesiam ad Romanæ unitatem, obedientiamque reducendam, Italiam quinimo ab se Sedi Apostolicæ subjugandam, modo Occidentale Imperium tum a Friderico turbatum in se transferret. Postulationem tamen parum æquam, parumque latinæ rei sive civili, sive sacræ utilem Pontifex rejecit, ut patet ex actis Vaticanis Alexandri III. apud parentem Annal. Eccles. ad annum 1170. n. 54, & seq. Synodus quoque infeliciter successit, impedimentum fœderi ineundo apponente fastu suo, quo Pontifici submitti nolebat, ac furore, quo in Latinos æstuabat, Friderico I. Imp. teste in epistola anno 1178. ad Henricum filium apud Martene tom. 1. Collect. vet. Monum. pag. 911., Michaele III. cognomento Anchialino Patriarcha Græco, de quo legendus Leo Allatius lib. 2. cons. capp. 12, & 18, ubi a Græcis effusas sive in Latinos querelas, sive laudes in Patriarcham istum, quas postea refingere non puduit Casimirum Oudinum in Comment. de script. Eccles. tom. 2. pag. 1532., propulsat, & profligat. - -

Tot vicibus, tantisque viribus etsi tentata unio inutiliter cessisset, animum tamen non despondit Innocentius III, nec felicio-

licioris fortunæ spem omnino abjecit: nam ab Alexio Angelo Imp. Legatis, litterisque rogatus, ut Græcorum Imperium vice reddita per Legatos, litterasque visitaret, arrepta incunctanter opportunitate Legatum, litterasque ordine 353, & 354. lib. 1. Constantinopolim anno 1213. ad Imperatorem, & ad Patriarcham direxit, deditque, quibus utrumque vehementer urgebat, ut ad Romanæ Ecclesiæ Christifidelium Matris, ac Magistræ unitatem tum redirent ipsi, tum ut redirent ipsis subditi Græci enixe satagerent, ab eadem secedendi nullum jus, nullamque rationem obtendi posse ostendens. Piam quidem Pontificis de utriusque Ecclesiæ unione sollicitudinem laudibus celebravit Patriarcha Johannes X. cognomento Camaterus, dubitationes tamen quasdam de Primatu Romanæ Ecclesiæ proposuit: Imperator quoque bene facti quasi pœnitens, Imperium quinimo sacerdotio præpollere litteris probare suscepit, ita hanc declinandi ab inceptis viam iniens. Quibus respondens Pontifex lib. 2. epist. 202, & 209. dubitationem omnem diluit, & sustulit, dignitatem vero suam defendit, locoque stabilivit: hujusque sententiam habes descriptam hoc tomo super. art. 1. §. 2. pag. 105. Patriarcham huncce aliquandiu tempori servisse, & unionem cum Romana Ecclesia simulasse scribit Anonymus Latinus expeditioni a Latinis contra Græcos susceptæ præsens in epist. apud Martene tom. 1. Thesauri novi anecdot. pag. 788. At a Latinis anno 1204. Constantinopoli capta, ac Camatero Urbe excedere coacto, effectu frustrata est tentata ab Innocentio unio: nam Græci animo valde abalienati manere in schismate maluerunt. Ad Honorium III. epistolam dedit Nicolaus Alexandrinus Patriarcha, qua suo, gentiliumque suorum nomine, obedientiam Pontifici, obsequiumque despondebat, ex qua jure Sollerius eumdem germane orthodoxum arguit. Refertur vero a Raynaldo ad annum 1223. Majorem in spem ad frugem Græcos tandem revocandi assurexit Gregorius IX: siquidem a Germano II. Græco Patriarcha litteras acceperat querelis quidem aspersas, uti notavit Raynaldus ad annum 1232. n. 46, & 50, sed quæ speciem quoque præseferrent voti, quo ad utriusque Ecclesiæ unionem adspirabat. Quam proinde ut ad optatum perduceret exitum epist. 56. lib. 6., & 111. lib. 7. reci-

reciproce Pontifex reddidit, Nunciis adjectis de tanto acturis negotio. Habita est ab his cum Græcis Nicææ collatio de duabus prætensis schismatis caussis, scilicet de processione Spiritus S. a Filio, deque Eucharistia conficienda in Azymo. Germanus Græcos suos caussa cadere videns, id effugii excogitavit, ut diceret dirimi hanc disceptationem nequire, ceteris Patriarchis insciis, & inconsultis: cum his haberi Synodum oportere, ut communi suffragio dissidio finis imponeretur. Habita est reapse apud Nimphæam Bithyniæ oppidum Synodus, cui nec Nunciorum Romani Pontificis, nec reliquorum Patriarcharum desiderata est præsentia: disputatum utrinque de caussis dissidii: quo tamen exitu? Qualis alias, quique a Græcorum pertinacia fuerat utique expectandus; a quibus imo ad Pontificem non tam fidei, quam erroris professio de Spiritus S. processione a solo Patre exarata est. Adeundi, qui diffuse de his agunt, Waddingus, & Raynaldus ad annum 1232, & seq., & Echardus de Scriptor. Ord. Præd. tom. 1. pag. 911, & seqq. Dolorem, quo ob Græcorum obstinationem vehementer angebatur Gregorius, lenivit haud mediocriter Orientalium aliorum ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam reditus, de quibus recole dicta tom. 1. art. 7. §. 2. pag. 216, & seq., & hoc tom. 3. art. 1. §. 2. pag. 106, & seq.

Innocentius IV, Alexander IV, Urbanus IV, & Clemens IV. nec difficultate ineundæ demum unionis, quam toties frustra tentatam a Decessoribus noverant, perterriti; nec Græcorum pertinaciæ superatu haud quaquam facilis, quæ optatissimæ paci impedimento fuerat toties, pertæsi, a sollicitudine, studioque nove, naviterque impendendis non destiterunt, unionisque negotio urgendo potioribus, quibus valerent viribus, quæque pares suis essent votis. Enim vero Innocentius post quam sibi gratulatus fuisset quammaxime opera sua de propagata fide apud gentes sive Ethnicas in Europa, puta Borussos, Norvegios, Wandalos, Gothos; sive Schismaticas, & superstitioni deditas in Asia, & Africa, puta Jacobitas, Nestorianos, Bulgaros, Maronitas, Tartaros, Saracenos, eo cum læto exitu, ut Nestorianorum, & Jacobitarum Patriarchæ ipsi fasces submiserint suos, fideique professione nuncupata, totos in ejus obedientiam se, obsequiumque

que transdederint: Tartarorum quoque plurimi ad sacra nostra transierint, tametsi eorumdem Princeps Bajotnojus rei Christianæ infensus, ab inferenda nostris noxa non desineret, litterasque ad Pontificem ipsum superbiæ, & superstitionis refertissimas dederit: Saracenorum etiam Satrapæ litteris urbanitatis plenis rescribentes Pontificem titulis quam magnificis, tam veris extulerint, & exornarint, adeoque ut spes non modica affulgeret, fore ut Turcarum etiam Soldanus ad ejurandam superstitionem, Religionemque christianam amplexandam posset perduci, animum ad Græcos convertens, ad unionis negotium ineundum eximios ex Ordine Minor. viros Constantinopolim misit: a quibus quidem apud Johannem Ducam, & Manuelem Patriarcham demandata provincia egregie perfecta est, eoque perducta, ut confecta fuisset concordia, nisi inopinata Pontificis, & Imperatoris mors intercessisset: eo enim usque illi a nostris fuerant impulsi, ut in fœdus tandem consenserint, feriendique conditiones honestas, & pacta licita consignaverint ad Pontificem deportanda, a quo fuisse probata auctor est Alexander IV, de quo mox. Quæ quidem lucem adhuc majorem acciperent, si ad manus esset Manuelis epistola ad Innocentium IV., quam inter Mss. Cod. Bibl. Bodlejanæ n. 131. extare testatur Oudinus de script. Eccl. tom. 3. pag. 177. Confer interea Waddingum ad annum 1249. n.4, & seq., ac Raynaldum ad annum 1256. n. 47, & seqq. Ceterum anno 1250. Græcos in Albania, Cypro Insula, finitimisque Regionibus commorantes ejuratis cum schismate erroribus ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam traductos fuisse liquet ex epistolis 59, 61, & 62. lib. 8. ejudem Innocentii. Legere etiam juvabit epistolam Innocentii ad Ottonem Tusculanum Legatum suum in Regno Cypri, quæ in ejus Regesto extat sub n. 10. Pontif. anno 11, apud Labbæum tom. 11. Concil., & Harduinum tom. 7. pag. 363, & seqq., qua Græcorum ritus, qui tollerari, vel aboleri possent, vel deberent capitibus 26. præscribit. Velim autem scias rituum minime tollerandorum albo adcensitum eum abusum inter alios sub n. 11, quo Missam celebrare, antequam Matutinum officium persolvissent, Græci illi consueverant: *Sacerdotes*, inquit ibidem Innocentius IV, *Missam celebrare, priusquam*

usquam officium matutinale compleverint, non præsumant. Hoc obiter observatum volui, ut videres a Tractatoribus Christianæ Moralis prætermissum, quod gravissimum erat stabiliendæ sententiæ de præcepto recitandi Matutinum ante Missam, argumentum: hocque me argumento persuasum Latinorum complurium abusum Missas passim, quodque pejus, absque ulla legitima necessitate, peragendi, ante persolutum officium Matutinum, ægre admodum ferre.

Quæ a Prædecessore optime incepta fuerant, pari studio ad felicem, si superis placeret, exitum perducere gestiens Alexander IV. pacta, sive capitula pacis ab Innocentio probata iterum confirmavit, quæ descripta habes par. 1. art. 7. §. 2. pag. 217, Legatumque misit, a quo unionis opus perficeretur. De Legationis ejusmodi tamen exitu non liquet: suspicari est negotium suspensum fuisse, aut infectum, Græcis nequaquam sincere agentibus, aut facile gestorum pœnitentibus, aut a Latinis rerum summa in Oriente potientibus res optime gestas fastidientibus. Adeundus interea Alexander IV. in epistola 325. lib. 2, qua ab se cum Græcis acta exhibet. Sincerius agere visus est Michael Palæologus: nam unionis negotium sub Urbano IV. vehementius cœpit urgere, semel, ac bis missis qua legatis, qua litteris. Sed operæ pretium non erat summis Pontificibus, nihil magis, quam numeris omnibus officium absolvere suum desiderantibus, & satagentibus, adjicere stimulos: vix enim id intellexit Urbanus, ut extempore lætitia perfusus Legatos ex Ordine Minor. delectos cum litteris multa eruditione refertis dirigens, nihil eorum prætermisit, quibus unionis negotium promoveret, ac si fas esset, ad optatum exitum perduceret. Verum eodem, quo eam vehementer urgebat, anno 1264, ad quem adeundus Waddingus, Urbano defuncto, unio perfecta non est ante Pontificatum B. Gregorii X: quamquam, quem Urbanus excepit, Clemens IV. pari studio procurandæ Græcæ Ecclesiæ pacis flagrantissimus sub decessore institutum de unione tractatum instaurare, novis legatis, novisque litteris, quas ad annum 1267. refert Raynaldus, directis non destiterit. Quo pacto demum in Concilio Lugdunensi II. a Gregorio X; quorumque potissimum opera, hoc est Hieronymi

Asculani, deinde in Pontificatu Nicolai IV. Concilio viam felici auspicio parantis, ac S. Bonaventuræ in Concilio ipso partem magnam gerentis, evadendique aditum Græcis omnem præcludentis, dixi, opinor, abunde par.1. art.3. §.3. pag. 294, & seq., & art.7. §.2. pag. 220, & seqq., ubi ad hanc unionem confovendam, confirmandamque collatæ egregiæ curæ ab Innocentio V, Johanne XXI, Nicolao III, qui & particulam *Filioque*, cujus veniam fecerant Innocentius IV, & Alexander IV., a Græcis Symbolo adjici injunxit, Martino IV, Nicolao IV, Bonifacio VIII, Clemente V, &c. obiter etiam sunt insinuatæ. Prætereo prætterea silentio pias de proferendis Ecclesiæ finibus, propagandaque fide, & ad fidem deviis revocandis curas Nicolai IV, & Johannis XXII, quorum prior Missionariorum, quos ex Ordine tum Prædic., tum Minor. delegerat, quibusve propagandi ubique gentium Verbi divini provinciam demandarat, (cujus postea studia egregie prosequutus est Clemens V.), opera ad christiana sacra perductos Sclavos, Saracenos, Græcos, Bulgaros, Cumanos, Indos, Tartaros, Walachos, Colchos, Syros, Iberos, Ruthenos, Georgianos, Armenos, Jacobitas, Nestorianos lætatus est: posterior vero, postquam Armenis a schismate græcanico abstractis Romanæ Ecclesiæ moribus, ritibus, dogmatibus mancipandis, incubuisset, sollicitudinem speciatim induit de Græcis revocandis ad gremium Ecclesiæ: ei etsi levem spei radium concordiæ redintegrandæ injecisset Andronicus Junior, apud quem arrepta perinde opportunitate semel, & iterum, adhibita etiam Philippi Galliarum Regis opera, adjunctisque ad Johannam Imperatricem litteris, quas ad ann.1333, & seq. exhibet Raynaldus, unionis negotium urgere vehementer non omisit.

Tentata toties irrito conatu concordia tam diuturna non fuit, quam fuisset post diutinos tot labores in Concilio Lugdunensi consumata: nam paullo post Græcis pro ingenio facili ad defectionem fidem datam fallentibus, disrupto fœdere, etsi sacramenti religione confirmato, vetus instauratum nedum, sed adauctum est schisma, adeoque ut ingentes frustrarit impensos labores a Pontificibus, qui a B. Gregorio X. ad Benedictum XII. reparandæ unioni incubuerant. Frustra ergo quum sibi quoque cessisse

fiffe operam, quam ad frugem Græcos revocandi contulerat, Benedictus XII. confpexiſset, exitu feliciori fe convertit ad agendum de fide cum Tartaris, ac de fœdere cum Armenis: ad illos Evangelii præcones ex Ord. Min. mittens cum litteris, quibus Magno Chamo gratulabatur egregium in chriſtianos ſtudium, gratiaſque agebat ob rem chriſtianam in Imperio procuratam, propagatamque, una cum fidei chriſtianæ ſumma, qua Tartari vel ad fidem ſuſcipiendam allicerentur, vel in ſuſcepta confirmarentur: ad hos vero errorum catalogum ex eorum libris excerptorum, quos ejurare deberent, ac fidei formulam, quam profitentes ſe impoſterum ad S. Romanæ Eccleſiæ ritus, doctrinamque compoſituros pollicerentur. Nec minorem animo ſollicitudinem induit Clemens VI. ſive de Armenis in fide confirmandis, a quo miſsum ad Conſolatorem fidei exemplar deſcriptum habes ſuper. art. 1. §. 2. pag. 114, & ſeq., ſive de Græcis ad frugem urgendis, ad quorum Imperatores, Principes, Patriarchas, Epiſcopos, & Monachos Montis Atho, quorum magna erat tum temporis apud eos exiſtimatio, litteris datis, adjectiſque Legatis, Græcos utroque modo ad unitatem revocare intendit: ad idem facilius impetrandum, contra Turcas, & Tartaros ipſorum capitibus incumbentes ſuppetias pollicitus. Incæpta hæc auſpicatiora fecit Johannes Palæologus: nam Innocentio VI. ſacramento fidem obligavit ſuam, dandique operam, ut ab omnibus ſuis deinceps obediretur, & ad gremium Eccleſiæ Romanæ Græci cuncti redirent: qui deinde ab Urbano V. litteris, legatiſque conventus, Romam ſe conferens, ejuratis cum ſchiſmate erroribus, formulæ fidei a Pontifice præſcriptæ ſubſcripſit, ejuſque exemplo plerique alii viri Principes Romanæ Eccleſiæ fidem profeſſi ſunt, in eaque ſe vivere, & commori velle conteſtati. Adiſis Raynaldum de his fuſe diſſerentem ad annos *1356*, *1366*, & *1369*. Obſervatu digna eſt conditio, quam juramento ſuo Imperator adjecit, videlicet niſi ſtaret promiſſis, Imperii periculum in ſe ſuſcipere, in Manuelem filium transferendi, quem obſidem ſummo Pontifici daret. Philotheum Patriarcham Conſtantinopolit. tum pariter unioni conſenſiſse ex litteris Urbani V. ad eumdem, nec non ad Niphonem Alexand., & Lazarum Hieroſolym. augurantur Raynaldus ad annum *1367*. n. 11.

n. 11., & Rayærus in Acoluthia offic. Græc. tom. 2. Junii. At repugnant Leo Allatius de libris Eccles. Græcor. dissert. 2, Bzovius ad annum 1339. n. 19, & Cuperus hist. Chronolog. in Philotheo, iccirco quod Palamitarum hæresi fuerit infectus, atque in Triodio Græcorum a schismaticis ipsius ceu sancti memoria recolatur, tanquam ejus, qui Romanam Ecclesiam pro viribus oppugnavit.

Pium redintegrandæ unionis cum Romana Ecclesia propositum visus est præseferre Manuel Palæologus: quippe qui Martino V. spem fecisset quam magnam fore, ut Græci in Latinorum dogmata ultro concederent, modo vicissim Latini ad Græcorum vota se met non nihil inflecterent. Quæ desiderarent Græci quamvis Pontificem haud præterirent, exploratum tamen etiam misit Antonium Massanum Ord. Min. Gener. Ministrum, qui inspiceret, inquireret, perpenderet, si quæ Græci peterent, ejus generis essent, quæ cum divinis dogmatibus componi ullo absque incommodo quirent, sin minus operam daret, ut ab incongruis petitionibus Græci decederent, quin a concordia perficienda abalienarentur. Officio peregregie defunctus est suo Missus, cui si defuit exitus, in culpa fuere Græci concordiæ ineundæ moras nectentes ex Concilii necessitate, interea causati istius celebrationi impedimento esse res in Oriente turbatissimas; expectandumque quoadusque rebus tranquillitate redita, tempus affulgeret ineundi de unitate tractatum. Horum fidem faciunt Legationis acta in Concilio Senensi relata tom. 8. edit. Harduini pag. 1018, & seqq. Inductum id tandem temporis cum Eugenii IV. Pontificatu est, quo Græci ducibus Johanne Palæologo, & Josepho Patriarcha nedum Romanæ Ecclesiæ reconciliati sunt, sed Nestoriani, sed Jacobitæ, sed Æthiopes, sed Syri, sed Mesopotameni, sed Armeni, sed Chaldæi, sed Maronitæ, sed Cyprii, quorum omnium ad Romanæ Ecclesiæ gremium accessione mirum in modum auctum Eugenii IV. gaudium est: quæ omnia, quia alio in loco abunde exagitata sunt, hic summis veluti attigisse digitis sufficiat. Non prætermittendum tamen, quin pro meritis castigetur Petri Suavis Polani, sive Pauli Sarpii hominis schismatis ingenio totius imbuti temeritas, qua pro sua Pontificibus summis de-

detrahendi, ac certiora historiæ Ecclesiasticæ monumenta in dubitationem adducendi libidine, ac licentia, effutire non erubuit, ad fucum vulgo faciendum ab Eugenio IV. fuisse ostentatam tot Græcorum, Orientaliumque Nationum accessionem ad suum Concilium, fraude, doloque confictam specie obtendendi Synodum celebriorem, quam fuisset reapse, quamque Basileensi Synodo opponeret. Eugenium postea imitatos Paulum III, & Julium III. complurium Orientalium ad suum Tridentinum Concilium adventum, & ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam regressum jactitasse; ut apud vulgum hujusmodi lucro Germaniæ jacturam abunde excusarent. Sane eas omnes Orientis gentes ad Romanæ Ecclesiæ gremium remigrasse, ejusdemque fidei, ac potestati se se integre, demisseque permisisse, fidem indubitatam faciunt Legationum, ac litterarum utrinque obitarum, editarumque monumenta adhuc extantia apud Annalium Eccles., & Conciliorum collectores Waddingum, Raynaldum, Spondanum, Labbæum, Harduinum &c; Scriptores de rebus Pontificum Johannem Stellam, Platinam, Panvinium, Duchesnium, Ciaconium, Pagium, &c. Tractatoresque de actis Concilii Florent. Horatium Justinianum, Augustinum Patricium, & Maimburgum ipsum hist. Schism. Græcor. lib. 6., (quem tam frustra, quam inique carpit Franciscus Bruys hist. Pontif. tom. 4. pag. 133. ob id, quod rectissime scripsit pag. 362. in generalium Conciliorum albo, si quod alterum, Concilium Florentinum utique fore collocandum, argumento, & documento esse Græcorum, Latinorumque quotquot eidem interfuerunt, aut de eo scripserunt: atque in eodem, si quando, Concilio quammaxime dogmata definienda fuisse diligenter, accurateque vexata, & discusa), quæ quidem monumenta, si quis vellicare adhuc non vereatur, apage eum, qui pomeridianæ luci, qua levis ipse aciei facile offenditur, tenebras offundere tentat. Sed scurram hunc, ac sychophantam videsis dignis vapulantem a doctis. Pallavicino hist. Concil. Trid. lib. 13. cap. 4.

Ut ut sincere sancita unio videri potuisset, paullo post tamen Constantinus Palæologus Græcorum Imperatorum postremus schismatis abolendi studium nedum remisit, sed imo se totum ad amplificandum contulit, quin absterreri quiverit sive ab Eu-

Eugenio IV, five a Nicolao V. interminante, ni ceffaret a lacessenda conviciis Latina Ecclesia, retroque ad eidem reconciliandam Græcam fedulo fe converteret, Urbis, & Imperii excidium a Turcis infra triennium inferendum. Vaticinium Pontificium probavit eventus, nam anno 1453. Conftantinopolis capta eft: unde non erat cur Maimburgi hac de re narrationem hift. fchif. Græc. lib. 6. par. 2. pag. 294. ludibrio haberet Brujus hift. Pontif. in Nicolao V. pag. 162. homo farcafmis in Pontifices haud illiberalis. Tantum autem abfuit, ut Græci Pontifici five monenti, five minitanti aufcultare, moremque gerere voluerint, ut potius ad majus Pontifici ipfi conflandum opprobrium ad Huffitas Bohemos anno 1451. infcripta, quam e Græco Cod. Mfs. Prag. Bibl. Caroli IV. Imper. defcriptam, latineque redditam publici juris fecit Gafpar Nydpruchius, qui Maximiliano II. erat a confiliis, cuique epiftolæ fubfcripti leguntur Græcorum Epifcopi fex, horumque primo loco Macarius, quem abfque dubio Patriarcham Conftantinopolit. pronunciat Brujus pag. 135; fed fallitur egregie, nam hoc nomine Coftantinopolitanæ tum Ecclefiæ præerat Gregorius dictus Meliffenus, five Mammas germane orthodoxus, Macarius ifte vero Nicomedienfis erat Antiftes, & Schifmaticorum Antefignanus, illos, ideft Bohemos, laudibus cumulaverint, quod Romanis aures non accommodarent fuas, fintque adhortati, ut fecum una contra Romanos ftarent, & in Concilio Florentino conftituta flocci, naucique facerent. Equidem auctor eft Æneas Sylvius, poftea Pius II, in Europæ defcript. cap. 3. anno feq. 1452. Ifidori Rutheni Epifcopi Conftantinopolim a Nicolao V. legati opera redintegratam quodammodo unionem fuiffe: quod ipfum confirmat Ducas in hift. Byzant. cap. 36, & Chalcondylas lib. 8. de rebus Turcicis: quin infuper anno 1440. Metrophanem II, quem poftremum ante captam Conftantinopolim Patriarcham falfo pronuntiat Robertus Creygthonus, quique poft Metrophanem anno 1445. Conftantinopolitanam fedem confcendit, Gregorium Mammam, utrumque egregie catholicos fuiffe, fœderifque in Concilio Florentino fanciti retinentiffimos oftendunt Leo Allatius de confens. lib. 3. cap. 4, & Cuperus hift. Chronolog. Patriarch. Conftantinopolit.

polit. parergo 10, & §. 130. eosdem liquido, ac luculenter a calumniis Syropuli, & Creygthoni vindicantes testimoniis absolutissimis Georgii Phransæ lib. 2. cap. 17, & seqq., Theodosii Zygomalæ in hist. polit. Constantinopolit. apud Crusium lib. 1. Turco Græciæ, Henrici Warthoni in append. ad hist. litt. Cavæi, quorum auctoritas sive schismaticis, sive hæreticis suspecta esse nequit, Georgii Trapezuntii Græciæ orthod. tom. 1. pag. 578, & Johannis Gobelini in Comment. Pii II. lib. 11. pag. 300, a quibus Gregorius exul Romæ obiisse traditur: hanc tamen unionem paucorum fuisse, parumque sinceram prodit Ducas loc. ind., observantque Pagius in Nicolao V, & Cuperus prælaudatus: quin etiam anteà sub Eugenio IV. ab Abyssinis initam eodem simulationis laborasse morbo conjicere est ex Richardo Simonio hist. Crit. Christ. Orient. pag. 33.

Age modo ceterorum Pontificum enixas curas Græcorum reliquiis ad gremium Romanæ Ecclesiæ recolligendis impensas compendio veluti complectamur, ut tandem alió libera properet oratio nostra. Pius II. eò primum intendit animum, ut Turcas, si fieri posset, christianæ Religioni subjugaret, facile hinc futurum ratus, ut rei christianæ in Oriente collapsæ summa restitueretur: eaque de re ad Mahometem II. eruditam, elegantemque ab eo exaratam epistolam commemoravi arr. 1. §. 2. pag. 120, & seq. Non moror heic autem Mornæi Duplessii convicia, quibus epistolam hanc lacessere ausus est: nam eadem abunde diluit, depexuitque Coefetellus, adeoque ut Rivetus, & Brujus pro Mornæo respondentes, nonnisi convicia conviciis accumulaverint. Voti compos minime factus, studia ad eos convertit, quibus veteris Religionis christianæ radius adhuc affulgeret, ad frugem pellicendos: quod ei quidem ex sententia successit: nam Ludovici patria Bononiensis, professione Minoritæ opera David Trepezuntius Imperator, Georgius Armeniæ Rex, aliique Georgiæ, Iberiæ, & Mesopotamiæ Principes ad Romani Pontificis obedientiam transducti sunt. Præterea a tribus Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano per litteras, legatumque visitatus, fidei professionem, nec alteram ab ea, quæ fuerat in Florentino procusa, excepit: quibus quid festivius optimo Pontifici contingere poterat? Paulo II. de mySte-

myſterio Trinitatis, ac Dominicæ Incarnationis erudiendum ſe ultro demiſit Petrus Antiochenus Maronitarum Patriarcha. Alexandro VI. ſpem non levem ingeſſit Conſtantinus Georgianorum Rex fore, ut ad fœdus in Floren. Concilio ſancitum accederet: ut accederet autem quantocius a Pontifice ſtimuli admoti ſunt. Leoni X. nihil accidebat antiquius, quam ut a veteri, una, veraque religione, ſive ob ſchiſma, ſive ob hæreſim extorres ad eamdem revocarentur ſive Maronitæ, ſive Abyſſini: itaque effecit, ut Petrus quidem Maronitarum ſacris præfectus in Romanæ Eccleſiæ fidem tranſcriberetur: David autem Abyſſinorum Princeps litteris Leonis, quas Card. Bembus lib. 9. epiſt. 41. deſcribit, permotus in Imperio, quo late patet, ſuo chriſtianam Religionem propagari, Chriſtoque nomen dari permiſerit. Clemens VII. cum amplificandæ rei chriſtianæ, tum curandis pravis Græcorum affectionibus animum applicans, Baſilium Moſcovitarum Ducem a Schiſmaticorum caſtris abſtractum veræ Chriſti Eccleſiæ conglutinare conatu omni enixus eſt. Nec ſane a feriendo religionis fœdere admodum ille abhorrebat, potuiſſetque ad exitum perduci, niſi Principum Germaniæ diſſidia, Lutheranæque in dies ingraveſcentis impietas, e cujus re maxime erat, ne hujuſmodi Moſchorum cum Romana Eccleſia ſocietas iniretur, interceſſiſſet. Res ei tamen ex ſententia ſucceſſit cum Armenis, Maronitis, & Americanis, quorum acceſſione repletus abunde locus eſt vacans a Latinis illis ſegregibus, quos ad Lutheri caſtra tranſire inſana libido inceſſerat. Acceſſit & aliud, quo S. Romanæ Eccleſiæ amplitudo in remotiores Africæ Regiones ſe extendit: nempe Davidis Æthiopum Regis ſupplices litteræ, quibus poſtquam modeſte fuiſſet conqueſtus ſe a Pontifice ſive litteris, ſive Nuncio non fuiſſe viſitatum, in eaque fide, quam Proavo ſuo Eugenius IV. tradiderat, confirmatum, obteſtabatur obnixe, ut viros quantocius mitteret, a quibus gens tota de Romanæ Eccleſiæ ritibus, dogmatibus, & moribus inſtrueretur. Quis vero ambigat id officii actutum a Pontifice fuiſſe præſtitum, remque chriſtianam in Æthiopia impenſa opera procuratam? Qui Davidi patri ſucceſſit, Claudius paribus votis apud Paulum III. inſtitit, ut homines mitteret, a quibus jam pridem initum cum parente fœdus inſtau-

instauraretur : interea Pontifici se fasces submittere, fideique sacramento obstringere scribens. Quid vero rescripsit Pontifex, nisi, quod par esset studio, quo pridem flagrabat religionis amplificandæ, aut reparandæ in Africa, videlicet ambabus ulnis in Ecclesiæ sinum Æthiopes se amplecti, missurumque quamprimum, qui christiana sacra in Æthiopia curarent. Julio III. nihil jucundius obtingere potuit, pro ea, quam animo præferebat sollicitudinem quammaximam rei christianæ ubique curandæ, quam Syræ Ecclesiæ a Romana diutino sive Nestorii, sive Eutychetis schismate divulsæ aggregatio, de qua adeundi Augustinus Oldoinus in addit. ad Ciacconium, & Andreas Masius, a quo acta hujusce legationis latine reddita Bibl. PP. inserta sunt.

Pio IV. partes implenti suas procurandæ gentium omnium salutis, spem fecerat quam magnam Gabriel Coptorum Patriarcha, quippe litteris fidei, suæque demissionis testibus exaratis, ad Romanæ Ecclesiæ unitatem se vehementer adspirare significaverat, ideoque, ut in proposito maneret, sed imo perficeret eum Pontifex fuerat adhortatus. At inconstans animi vir, fluxæque fidei quasi bene acti pœnitens, ab incepto paullo post resilivit, spemque omnem fœderis ineundi præcidit. Spe frustratus sua Pontifex curam, animumque convertit ad evellenda schismatum, errorumque semina, quæ a Græcis in Siciliam, gratia vitandæ Turcicæ servitutis, transfugis, cæteroqui nomine catholicis, in dies spargebantur: quod Constitutione anno 1564 edita præstitit, & præcavit. Gregorius XIII, si quis unquam, is fuit utique, qui Religionis aut redintegrandæ apud Schismaticos, aut restituendæ apud Hæreticos, aut amplificandæ apud Barbaros totius animi nervos intendit. Itaque qua Legatis, qua litteris Regem Cocini convenit de nomine Christo nuncupando : Japponios invisit, illorumque tres Reges ad Christiana sacra traduxit. Indos Malabaros Christianos S. Thomæ nuncupatos Nestorii errores dedocuit; eorumque sacris præfectum Angamalensem Antistitem obedientia sibi obstrinxit. Jacobitarum misertus, a Dioscori deliramentis abstrahere adlaboravit : inque eis Nehemem Antiochenum Patriarcham ad frugem regredientem, submittentemque fasces humaniter habuit : ab altero vero Alexandrino Patriarcha, quem Jo-

hannem nomine ſuſpicatur Sollerius, quam veris, tam illuſtribus titulis Pontifex ipſe inſignitus legitur apud Kircherum. Fructum ipſius laborum fuiſſe oportet, quod Metrophanes Græcorum Patriarcha ab obedientia ipſi impendenda non admodum abhorruerit, ſi vera referunt Stephanus Gerlachius in epiſt. ad Martinum Cruſium lib. 4. Turco-Græciæ, Augerius Giſlenus Busbequius Ferdinandi I. Imper. apud Turcas Orator in epiſt. 4. Legat. ſuæ apud Cuperum: quodque Hieremiam Patriarcham alterum Conſtantinopolit. ad Apoſtolicæ Sedis amplexandum fœdus animo facilem, pronumque fecerit, ſicuti tradunt Poſſevinus in defenſ. Kalend. Gregor. ſect.4. cap.6; Victorellus in addit. ad Oldoinum tom. 4; Spondanus ad annum 1582. n. 18; & Thomaſſinus vet., & novæ diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 16. Quid ab eo commemorem acta cum Maronitis, Cypriis, & Moſchis, quos qua a ſchiſmate, erroribusque avulſos, qua in fide, unitateque confirmatos, qua a Græcanicis affectionibus expurgatos Romanæ Eccleſiæ ſive ad ſtudium accendit, ſive gratiis adauxit? Nec referam ſuppetias Johanni Regi Ceilani in India Orientali Inſulæ Minoritarum opera ad ſacra noſtra una cum viginti ſubditorum millibus traducto, eaque de cauſſa Regno exſpoliato, a Gregorio ſubmiſsas. Rem de Religione bene cæperat etiam cum Coptis: nam in Cairo anno 1582. Concilio indicto, tribuſque ſeſſionibus abſoluto, Neſtorii, & Dioſcori ejuratis erroribus, in catholicorum ſententiam conceſserant, fideique dato ſacramento Pontifici Romano obedientia ſe devinxerant: niſi quod poſtmodum ad ingenium pro animi levitate regreſſis, confectum de Religione negotium fruſtra ceſſit. Feliciori ſucceſsu in Sinas rem Chriſtianam invexit: ubi aperto Miſſionariis aditu, longe, lateque propagandæ fidei locum patefecit. Nolim cetera a Gregorio XIII. præclare geſta perſequi, de quibus magis adeundus in Gregorii Annalibus Johannes Petrus Maffejus edit. Rom. 1742: vereor enim ne faſtidium creem iis, qui brevitate delectantur, a prolixa vero oratione abhorrent.

Quò vero aliò vergebat ſtudium, quo vehementer urgebatur Clemens VIII, quam ad reſtituendam, reſarciendamque rem Chriſtianam collapſam, ad reducendos in rectam devios, redu-

ductorum vero deformatos ritus, moresque reformandos? Ergo ejus curæ cessit, quod Patriarcha Coptorum fidei professione Romano Pontifici se manciparet: quod Rutheni infimo obsequio Romanæ Ecclesiæ nomina sua, votaque nuncuparent: quod Gabriel VIII. hoc nomine Alexandrinus Patriarcha ad formulam ab Eugenio IV. præscriptam fidem suam exigeret, & Pontifici exhiberet: de qua adeundus Baronius ad calcem tom. 6: quamvis enim acta ibidem descripta revocare in dubium non sit reveritus Richardus Simonius hist. crit. de fide, & moribus Orient. pag. 134. edit. Francof. 1684, indubia facit exemplar epistolæ a Kirchero descriptæ in supplem. Podromi Copti pag. 517. Id etiam effecit, ut Albanenses Græco ritu transigentes, qui apud Latinos degerent, ritibus suis nonnullis minus rectis desuescerent, receptisque in Ecclesia Romana se coaptarent: generatim vero Græcis ad frugem regredientibus formulam præscripsit fidei, quam profiteri deinceps deberent. Paulus V. Orientalium Patriarcharum Oratoribus, inque iis Maronitarum, quos Petrus, Chaldæorum, quos Elias, & Armenorum, quos Melchisedech miserant, auditis, jussisque Dioscori, aut Nestorii, aut Gnaphæi errores execrari, fideique professionem emittere, cujus præscripserat formulam, communione sua cohonestatos ad propria dimisit. Legenda Pauli V. Constitutio 77. Urbanus VIII. pro sollicitudinis partis fructibus percepit solemne obedientiæ sacramentum, quod Congi Reges, quod Imperator Æthiopiæ ipsi nuncuparunt, verbis hisce: *Nos ipsos, & universum Imperium nostrum ante SS. D. N. Urbani VIII. pedes Romanæ Ecclesiæ perpetuo subjicimus*. Quin etiam obsequio eidem se demisisse ex Patriarchis Alexandrinis Matthæum III. hoc ordine tradit ex Kirchero Sollerius; ex Constantinopolitanis vero Timotheum II, & Cyrillum Contarenum testatur Dionysius Guillius Soc. J. apud Allatium lib. 3. conf. cap. 11; qui de Cyrillo isto id inficias ivit in epist. ad Nihusium; sed Athanasium II. cognomento Patellarium Urbano VIII. reconciliatum inter eos recenset, qui de Romano Pontifice optime promeriti sunt. V. Innocentio XI. ex Chaldæa, ex Syria, ex Persia, ex Phœnicia, quó longe, lateque curas intenderat suas, Diœceses amplissimæ obedientia se obstrin-

gentes, ei pari, qua rei christianæ amplificandæ afficiebàtur, sollicitudini Pontificem lætitia affecerunt. Innocentio XII. Æthiopum, & Sinensium conversioni viribus cunctis incumbenti, missis Verbi divini præconibus tum numero plurimis, tum doctrina, virtuteque præstantibus, qui ubicumque gentium illarum Evangelii lumen inferrent, ex earumdem quamplurium ad Romanam Ecclesiam accessione, non una caussa fuit, cur de secundis rebus Romanæ Ecclesiæ succedentibus gratularetur. Eadem studia erga Sinenses consectatus est Clemens XI, sed etiam ad Coptos extendit: ex his vero Samuel Capasulis Patriarcha Alexandrinus denominatus erroribus cum schismate ejuratis, sacris nostris se adjunxit, ideoque dignum se præbuit, qui Pallio adaugeretur, postquam fidei professione in obedientiam Pontificis integre se transcripsisset. Denique Benedictus XIV. P. M. pro ea quam propagandæ Religionis, purgatissimæque retinendæ, animo gerit sollicitudinem, ritibus Græcanicis, Malabaricis, Sinensibus repetitis Constitutionibus plurima eruditione, parique elegantia cumulatissimis optime consuluit. Pleraque horum simillima recole, si libet, par.1. art.7. §. 2, & hac par. 2. art.1. §. 2, ubi perinde loca indicantur, unde ista sunt derivata. De schismate, quo sive Germanica, sive Gallicana, sive Anglicana a Luthero, Calvino, Jansenio una cum hæresi invecto dilacerantur etiamnum Ecclesiæ, verba non facio, ideoquod neminem lateant ingentes, quibus eo excindendo Romani Pontifices adlaborarunt, curæ, quamvis ut plurimum eas schismatis pertinacia fefellerit, quodque sparsim in opere, prout opportunitas locum fecit, de eo me loquutum memini; & alioquin vereor, ne si orationi præstitutam mensuram excedam, vel liberali fastidium lectori moveam, ut proinde detrimentum operis non sit finem dicendi fecisse.

Post hæc autem quis probus æquanimiter ferat Protestantium, ac in his Juriæi hist. du Pap., & du Calvin. en paral. 3. p. pag. 87, & Brujæi hist. des Papes tom. 2. pag.377, & seq. edit. 1732, impudentissimam cum insigni ignorantia adjunctam audaciam, qua totam in Romanorum Pontificum ambitionem, qua sibi ab arrogando temere in Ecclesia universa Primatu temperare aut nescivere, aut noluere, a quo ex adverso quammaxime abhor-

horrebant Græci, Græcanici schismatis caussam refundunt? Equis enim ignoret adhuc Pontificis Romani Primatum, ejusdemque appendicem, jus videlicet ad ipsum appellandi, quo pro bono pacis exspoliasse se Pontifices quam Græci illi, tam heterodoxi isti vellent, ex divina institutione descendere, ita utriusque Ecclesiæ Patribus sive Græcis, sive Latinis jugi, unanimique sententia docentibus, ideoque ut se illo mulctare Pontificibus ipsis nec liberum sit, nec licitum: ac proinde quam in ipsos Pontifices, in Græcorum potius superbiam, qua illis fasces submittere detrectant, omnem schismatis caussam refundendam esse quis non intelligat? Quamquam etsi hæc caussa fuisset una, unica tamen certe non fuit. Quin ad remotiora monumenta refugiam, sufficiat adire apud Cl. Josephum Simonium Assemanum tom.3. Bibl. Orient. pag. 639. epistolam Synodicam e Conciliabulo Constantinopoli anno 1722. habito a tribus Patriarchis Græcis Hieremia Constantinopolit., Athanasio Antiocheno, & Chrysanto Hierosolym., subscripta ab aliis etiam duodecim Archiepiscopis, & Episcopis, ac transmissa Græce, & Arabice ad Græcos Antiochenæ Diœcesis, in qua octo potissimi adversus Latinos propugnantur errores: videlicet oppugnantur Primatus Romani Pontificis; Processio Spiritus S. a Filio; Panis azymus in confectione Eucharistiæ; Purgatorius ignis, & locus a Paradiso, & gehenna distinctus; Beatitudo Sanctorum, & pœna damnatorum statim post mortem, ante postremum judicii diem; Suffocatorum usus; Sabbati jejunium; Parvulis post baptismum denegata Eucharistia, & Chrismatis unctio. Ejus generis erunt ne ista, quæ pacis bono a Pontificibus litari quam deberent, tam possent? Næ, qui ita existimant, maximo in errore versantur! Age vero graviori, quod videtur, acriusque a Protestantibus urgetur, argumento occurramus. Ajunt itaque: Romana Ecclesia suos vice plus simplici passa manes, ac repetitis schismatibus misere pessumdata, quomodo alienis curandis malis præsto esse potuit, aut id officii præstandi gratia a Deo speciatim delecta haberi potest, dicique divino consilio schismata Ecclesias alias scindentia ab eadem deleta? Quæ etenim alia toties schismate dilacerata, quoties Romana discissa fuit, quam sane vicibus 24. a Felice II. ad Benedictum XIII, hoc
est

est ab anno 354. ad annum 1417, dilaniatam tradit Episcopus Civitatensis in Chronica recollect., quam Ms. extare in Biblioth. Basileensi testatur Johannes Hallervordus in Spicileg. histor. Latin., & ex eo Fabricius in Bibl. med., & inf. latin. lib. 3. pag. 383. edit. Patav. 1754. Quinimo, si exactior ineatur calculus, non minus quam unum supra triginta schismata e Romana Ecclesia erupisse, octoque supra triginta pseudo-Pontifices seditionis facem prætulisse comperientur.

Atqui quam longe abs æquo, justoque aberrant heterodoxi, qui exinde a Romana abhorrendi Ecclesia occasionem arripiunt! Elucescere enim exinde magis, magisque potissimam Dei providentiam erga S. Romanam Ecclesiam affirmo, & confirmo, quam privilegio singulari firmitatis ita fulcivit, ut quati quidem schismatibus aliquando posset, prosterni tamen non etiam posset: *Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*, sicuti ei pollicitus est in S. Petro Christus D. Quam ob pollicitationem egregie Bachiarius in opusculo de fide, quod ad cod. Bibl. Ambrosianæ, priorisque edit. castigatum edidit, ac dissert., & notis illustravit doctiss. Franciscus Florius, pag. 7. de Romana loquens Ecclesia, *De qua*, inquit, *nunc non una, sed duæ, vel tres, aut eo amplius hæreses pullularunt: & tamen nulla earum Cathedram Petri, hoc est Sedem fidei, aut tenere potuit, aut movere*. Ex quo loco Cl. Ludovicus Muratorius in prolegomeno ad hunc libellum arguit Bachiarium exegisse non equidem sub S. Leone M., ut vulgo creditum est, bene vero sub finem Sæculi IV, sub quem Helvidio, & Joviniano venenum suum Romanis Civibus propinare quidem contigit, at Cathedram Petri inficere nulla ex parte succedere potuit. Quod dico, eventu rerum, exituque confestim comprobo, per singula cursim schismata excurrendo, quibus Romana Ecclesia a primæva ad devexiorem ætatem lacessita, sed non labefactata legitur. Novatianus, qui omnium primus in S. Cornelium schisma conflavit, a bonis omnibus odio habitus fuit, inque tribus Conciliis Romano anno 251. a S. Cornelio; Carthaginensi anno 252. a S. Cypriano, & Antiocheno anno 253. a S. Demetriano pessime audivit: ejusdem vero reliquias exagitavit deinde S. Innocentius I, ac penitus denique profligavit S. Cælestinus I.

De

De Felice, qui Liberii locum illegitime occupasse a plurimis fertur, opportuniori dicam in loco, ubi Pontificatum utriusque conciliare, atque a labe omni liberare operæ pretium faciam. Ursicinum, qui dignitatem legitimo Pontifici invidebat, S. Damasus in duabus Synodis Romanis anno 366, & 378, & S. Ambrosius in Synodo Aquilejensi anno 381. diris cunctis, uti dignus erat, devoverunt. Quinimo Synodicis ab Episcopis Synodi Italiæ, & Aquilejensis obsecrati Gratianus, & Valentinianus Imperatores Ursicinum,ejusque partiarios lege lata exules in Gallias amandarunt: ex quo concidit id, quod scribit auctor libri Pontificalis, videlicet Ursicinum Roma pulsum Neapolitanæ Ecclesiæ fuisse præfectum. S. Damasum vero ab invidia, quam ipsi conflarunt Ammianus Marcellinus lib. 27. cap. 3; Faustinus, & Marcellinus in libello ad Imper., refingereque non est veritus pro temeritate Basnagius ad annos 366. §. 9, & 368. §. 6. abunde liberant, & abstergunt Fleurius hist. Eccl. lib. 16, & Bailletus ad diem 11. Decemb. Eulalio in locum S.Bonifacii I. irrumpere, & Symmachi Urbis Præfecti favore Honorio Imp. obrepere ,habereque propitium obtigit aliquando. Verum ex epistola Cleri Romani Eulalii electionem illegitimam suspicatus Imperator, ad suspicionem omnem amovendam, ut de utrius electione legitima dilucide constaret, utrumque in judicio Synodi Ravennatensis, qua infecta, alteram Spoleti indixerat, cui adesse quoque Africanos Episcopos desideraverat, de causæ veritate experiri jussit. At ex illicita agendi ratione, quam tenuit Eulalius, hunc illegitimum esse,retro vero ex Romani Cleri relatione legitimis electum suffragiis Bonifacium comperiens, illum loco pelli, hunc autem gradu stare præcepit. S. Bonifacio dignitatem confirmatam fuisse in Synodo 250. Episcoporum denarrant Baronius ad annum 419. n. 34, & Bailletus ad diem 25. Octob.: sed fictitiam Synodum emunctioris Critici naris expungunt. Eulalium Nepesinæ Ecclesiæ deinde præpositum refert Auctor libri Pontificalis, sed penes ipsum fides pariter esto.

Neque dispar Laurentii, quem in S. Symmachi locum insiliendi ambitio invaserat, finis. Nam vel Theodorici Ariani Regis, ad quem contendentium utraque pars caussæ vincendæ gra-

tia

tia confugerat, postquam longe plures Symmacho suffragatos constitisset, sententia, loco deturbatus est Laurentius, quem subinde, ut ab Ecclesia turbanda desisteret, Pontifex Nucerinæ præfecit Ecclesiæ. At is quietis impatiens, quum instaurato schismate in Apostolicam Sedem insilire denuo tentasset, turbasque ciere non cessaret, in Synodo Romana IV. excommunicatione perculsus, & a Theodorico a Patribus Synodi rogato in exilium pulsus dignas pro nefario schismate pœnas dedit. Dioscorus paucis diebus schismati, quod adversus Bonifacium II. accenderat, superstes Romanam Ecclesiam turbandi vix locum habuit. De Vigilio, qui in S.Silverii viventis sedem irrepsit, dicam alibi, ubi de ipso copiose dicendum erit. Petrus, & Theodorus ad Johannis V. vacantem Cathedram viritim, prout faverent qua uni Cives, qua alteri Milites, inhiabant: sed mox divino monitu a Clero, cujus e vestigio in vota a Civibus, ac Militibus certatim concessum est, consensu unanimi Conon electus est. Quo fatis functo, populoque in partes distracto, Theodorus hinc, Paschalis illinc Pontificatum adipisci pertentarunt. Verum in unum convenientes Clerici, Judices, Cives, Milites S. Sergio communibus suffragiis dignitatem detulerunt: cui statim, ac sponte fasces submisit Theodorus; Paschalis vero in schismate pertinax, in Monasterium detrusus fato pessimo finem vivendi fecit. Repugnat hic quidem Baronius ad annum 701. n. 8, sed hac in re sequi malim Fleurium hist. Eccles. lib. 40. n. 39, & Pagium in S. Sergio. Theophylactum loco S. Pauli I. ea præsertim ratione plerique e Romano populo dici Pontificem exoptarunt, quod nefas putarent fratri fratrem, scilicet Stephano II. Paulum, vicissim in Summo Pontificatu succedere: nihilosecius a Cleri, populique potiori parte electus Paulus suo loco stetit, eique gradu cedere Theophylactus coactus est. Ita vix exortum schisma evanuit: quod instaurare Constantinus visus est, qui, priusquam S. Paulus e vita migrasset, militum, pluriumque e plebe favore stipatus ejusdem invaserat sedem, statimque ut invasam sibi stabiliret, cum Pippinum Francorum Regem litteris datis, tum Synodo indicta Episcopos Italos sibi devincire studuit. Hominis ambitioni supparasitati equidem

sunt

sunt Episcoporum nonnulli, non ita prudens, sagaxque Pippinus, qui fraude se decipi non est passus, haud ignorans illum malis artibus in Sedem Apostolicam irrepsisse: ac purum, purumque commentum est nullo monumento suffixum, uti fatetur Franciscus Bruys ipse, quod finxit heic Daniel Maresius e Calvinistarum grege in *Tableau des Papes*, de Oratoribus a Pippino missis ad Constantinum; de quibus nihil subolitum Fleurio lib. 43. n. 52, & Pagio in Constantino. Sed & quorumdam factione eamdem dignitatem pervaserat Philippus, de qua tamen paullo post dejectus, alteri digniori integram dimittere compulsus est: optimatum enim, Clerique facto conventu legitimis suffragiis electus est Stephanus III, aliis IV: Constantinus etiam anno ab invasione elapso dejectus, oculisque erutis in Monasterium detrusus; qui anno sequenti 769. in Synodo a Stephano damnatus schismatis pœnam luit. Dignum observatu decretum est, quo in Synodo hacce sancitum a Stephano legitur de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis a Constantino ordinatis, videlicet ut ad frugem regredientes *a Stephano Papa benedictionis susciperent consecrationem, omniaque, quæ idem Constantinus in Ecclesiasticis Sacramentis, & divino cultu egit, iterata fuissent* (legendum alii volunt *iteranda essent*), *præter sanctum baptismum, atque sanctum Chrisma*. Hinc difficultas exorta gravissima de sacrarum Ordinationum iteratione in opiniones diversas, & adversas distraxit Theologos: a Constantino, non secus ac a Formoso deinde Ordinibus sacris initiatos revera a Stephano III, & Stephano VI. iterum fuisse consecratos propugnantibus Morino de sacr. Ordinat. par.3. exercit. 5. cap.5, Cabassutio, ac nuper doctis. P. Johanne Hiacyntho Sbaralea Ord. Min. Conv. in disput. de sacris pravorum Ordinat. complures opinionis suæ patronos cap. 2. conglomerante: quibus adjungi possunt Valesius in not. ad Theodor. lect. lib. 1. cap. 9; Dupinius in Biblioth. cent. 4; & Binghamus tom. 2. Orig. Eccles. Contra vero pugnantibus post Auxilium Presbyterum lib.2. de Ordin. Formosi cap.4. apud Morinum in append. de Ord., & Sigebertum in Chron. ad an. 903. apud Pistorium tom. 1. Script. rer. German., Baronio ad annum 769. n. 6; Francisco Hallier de sacr. elect., & ordinat.

p.2. sect.3.cap.2.; Christiano Lupo par.3. in differt.2. proœmiali; Natali Alexandro hist. Eccles. ad sæcul. VIII. cap. 1. art. 8; Gaspare Juvenino in Comment. hist. dogmat. de Sacram. differt. 8. de Sacram. Ord. q. 6. cap. 2.; Ludovico du Mesnil doctr., & discipl. Eccles. lib. 42. n. 1., Honorato Tournellio qu. 5. de Sacram. Ord. art.1; Pagio Brev. hist. Crit. Chron. in Stephano III; Carolo Wittassio de Ord. charactere, & Johanne Laurentio Berti de Theolog. discipl. lib. 36. cap. 14.

In Eugenium II. schismate insurrexerat Zinzinus, sed paullo post invasa dignitate se abdicere adactus est, atque ita schisma abolitum: quod ut imposterum præcaveretur, ab Eugenio decretum est, aut eodem curante, a Lothario Imp. lege sancitum, cujus mentio fit a Paulo Diacono in suppl. lib. 6. de gest. Langob., & in fine libelli de Episcopis Metensibus, atque a Sigonio de Regno Ital. lib. 4, ut Romani Pontificis consecratio, (non electio, uti scite adnotavit Doctiss. Thomassinus veter., & nov. discipl. par. 2. lib. 2. cap. 25. num. 6.), coram Imperatoris Oratoribus deinceps perageretur, iccirco ut præsto ii, paresque turbis coercendis, quæ tum cieri contingeret. Eugenii decretum, sive mavis Lotharii legem confirmasse deinde legitur Johannes IX apud Labbæum tom. 9. pag.505, Harduinum to.6. par.1. pag. 489, & Papebrochium in Conat. Chron. ad Johannem IX. num. 4: comprobarunt denique Otto I., & Henricus I. Imperatores apud Baronium, & Pagium ad annum 962. num.3. Porro haud absimilis decreti mentio occurrit apud Gratianum Can. 28. *Quia sancta* dist. 63. sub nomine Stephani Papæ; & sub nomine Leonis Can. 9. *De Capitulis* dist. 10; Can.31. *Inter nos* dist.63;& Can.41. *Nos si* 2.q.7. Atqui inter eruditos non convenit utri ex his Pontificibus homonymis Canones ii tribuendi sint. Locum a Gratiano laudatum Stephani appellato nomine Stephano IV, seu V. proculdubio fore tribuendum pugnat Cl. Ludovicus Muratorius Rer. Italic. tom. 2. par. 2. pag. 128. ex Canone 11. Concilii Romani sub S. Nicolao I. anno 863. celebrato, quo decretum Stephani Papæ memoratur, intelligendumque de Stephano IV. vir doctus jubet. Verum doctiss. Sebastianus Berardi in suo Gratiano emendato par.2. tom 2. cap.73. conjecturam hanc elevat,

vat,

vat, censens Canonem hunc 11. ex Nicolao I. a Muratorio memoratum commode referri posse ad Concilium Romanum anno 769. sub Stephano III. habitum, in quo multa etiam salubriter fuisse decreta ad schismata auferenda occasione electionis Pontificis observat. Stephano IV. fuisse suppositum, ac proinde inter pseudoepigraphos reputandum Canonem illum 28. opinantur Baronius ad ann. 816. n. 101, Cointius ad an. 817. n. 3, Natalis Alexander hist. Eccles. ad sæcul. IX, & X. cap. 1. art. 2, Papebrochius in Stephano IV. num. 2; Berardi loco mox laudato, & alii. Contra vero Stephano VI, sive VII. tribuendum fore, genuinumque esse decretum affirmant Pagius ad annum 825. num. 30, & 897. n. 4, & seq., ac Sandinus annot. 5. ad Stephanum IV. Propius veritatem attigisse mihi videtur Doctiss. Berardi, dum subinde cap. 76. observans Canonem 11. a Muratorio tributum Concilio Romano anni 863. sub S. Nicolao I, apud Mansium tom. 1. supplem. Concil. pag. 929. ex Anselmo Lucensi lib. 2. adversus Wibertum tribui S. Leoni IV. in Concilio Romano anni 853., in quo confirmata est Synodus sub Eugenio II. habita an. 826, conjecturam facit pariter tribuendi eidem Leoni IV. Can. 28. dist. 63. Stephano tributum. Quod attinet ad Canones a Gratiano tributos Leoni, hujus nomine Can. 9. dist. 10, & Can. 31. dist. 63. venire S. Leonem IV. sive in epist., sive in allocutione ad Lotharium Imperat. in confesso est, quamvis in ejus interpretatione Glossographi inter se discrepent. At Canonem 41. caus. 2. q. 7. adscribendum Nicolao II. indicare videtur Ivo par. 5. cap. 22. Leoni III. tribuendum autumant Conringius ibidem in notis, Baluzius in præfat. ad Capitul., & Berardi cap. 76. Contra vero Conrigium pugnat Pagius ad annum 847. n. 11, tribuendum existimans Leoni IV. in epist. ad Ludovicum Augustum, ideo quod mos ille consecrandi Pontificem coram missis Imperatoris nonnisi post obitum Eugenii II inceperit: præterquamquod Leo III. eo tempore consecratus est, quo Carolus M. Urbis dumtaxat defensor erat, nec ad eum Leo legatos misit, nisi post suam consecrationem. Denique Leonis nomine, cujus mentio fit in diplomate Ottonis, & Henrici Imperat., Leonem VII. designatum contendit Papebrochius: e contra ex eo nomine diploma falsitatis arguit Goldastus: sed

 utrum-

utrumque refellit Pagius ad ann. 962. n. 4. diploma genuinum contra Goldastum, & eo in diplomate loqui de Leone IV. contra Papebrochium ostendens.

Redeundo nunc in viam, ex qua paullisper deflexeram, Anastasius, qui adhuc Presbyter anno 853. a S. Leone IV. gradu fuerat deturbatus, equidem adversus Benedictum III. legitime electum insurgere non destitit: sed gradu perinde, in quem irrepserat, post triduum a Clero, populoque cedere compulsus, quinimo ab Hadriano II. præterea ob flagitia, quibus evaserat infamis, christianis sacris interdictus, vix, ac ne vix quidem Romanam turbandi Ecclesiam, incommodisque afficiendi locum habuit. Sergius schismatis alter incentor adversus Johannem IX, ut ex Flodoardo in frag. de Rom. Pontif. apud Mabillonium par.2. Sæculi III. Bened., atque ex ipsius epitaphio ostendit Pagius, non autem adversus Formosum, veluti perperam scripsit Luitprandus lib.1. cap. 8, a quo plerique alii decepti sunt, e populo suffragatores quidem aliquos reperit, quorum ope Pontificatum ascendit: at parte, quæ Johanni fuerat suffragata, prævalente huic fasces submittere compulsus est Sergius: qui tamen postmodum jure postliminii Pontificiam dignitatem adeptus est, atque quidem legitimis suffragiis ipsi delatam. Christophori, qui Leonem V. e loco dejectum in carcerem detruserat, hæc fuerunt fata: in ipsius sedem insiliens mensibus 6,, aut 7. vi, ac tyrannide tenuit; sed ab eadem deturbatus a Sergio III, de quo mox, ac primum in Monasterium detrusus, ac postea in vincula conjectus, ea in misera captivi conditione mortem adspexit; totumque in ipsius caput schismatis incommodum recidit. Ansam, quam hinc avide pro more Protestantes arripiunt, pravis quorumdam Pontificum factis abutentes ad incorruptam Ecclesiæ veritatem, unitatemque oppugnandam, apposite profligat Clariss. Mabillonius, adeundus, si placet, in præf. ad Sæculum V. Bened. §.1. Atrocius erumpere schisma visum est adversus Johannem XII, hujus in locum subrogato Leone VIII. ab Ottone I. Imperatore, indigna sane pro beneficio rependente Pontifici legitimo, a quo, ut observatum a Pagio est ad an. 962. n. 1., ex Germanis omnium primus sacris Imperii insignibus, & infulis exornatus fuerat,

quove

quove modo a Johanne XII. ad Germanos Imperium fuiſſe tranſlatum advertit Nicolaus Alemannus de Lateran. Parietinis cap. 10. Paullo poſt tamen Leo manem dignitatis larvam exuere, locoque cedere legitimo Pontifici debuit, a quo in Romana Synodo una cum ſibi devotis Epiſcopis diram ſententiam excepit. Poſt Johannis obitum iterum ad Apoſtolicam Sedem ambitioſus homo adrepſit, operam commodante Ottone, ac ſubrogatum Benedictum V. ſubmovit, abireque exulatum adegit. Verum probis omnibus fuit inviſus, brevique Deo vindice infelici fato ſuo finem ſchiſmati fecit. Quod ad diploma a Leone iſto pſeudo-Pontifice in gratiam Ottonis editum, oſcitanterque a Gratiano diſt.63. Can. 23. *In Synodo* relatum, attinet, operam profecto ludunt Petrus de Marca lib. 8. Conc. cap. 12, Melchior Goldaſtus tom. 1. Conſt. Imperial. pag. 29, & ſeqq., Ludovicus Maimburgus hiſt. de decad. del Emp. lib. 1., Paulus Sarpius de benef. pag. 107, & ſeqq., Franciſcus Bruys hiſt. des Papes tom. 2 in Leone VIII. pag. 254, aliique ſubleſtæ hujuſce fidei homines, dum non ſecus, ac ſimile Hadriani I. Carolo M. privilegium elargitum defendere, ac propugnare non deſiſtunt. Utrumque enim diploma profligatæ fidei, improbatæque prorſus auctoritatis liquido adeo, locupleterque demonſtrarunt Baronius ad an. 774. n. 15, & 964. n. 21; Gretzerus in apolog. Baronii cap. 19, & contra Replicatorem cap. 14; Pagius ad eoſdem annos; Sandinus in diſput. de falſa Synodo ſub Hadriano I; Berardi in Grat. emend. par. 2. tom. 2. cap. 80, aliique, ut opus non ſit rem numeris abſolutam retexere.

Bonifacius VII. denominatus, qui non prius Pontificia dignitate potitus eſt, quam ſæva morte Benedictum VI. peremiſſet, non magis propitios expertus eſt ſuperos: ſiquidem elapſo vix menſe ab invaſione ſedis, exulem Conſtantinopolim aufugere compulſus, ac paullo poſt a Benedicto VII. in Synodo anno 975. excommunicationis telo fuit confoſſus. Quamquam fatis functo Benedicto, Romam Conſtantinopoli regreſſus, in Johannem XIV. violentas injiciens manus, e ſede arctum ad carcerem rapuit, cui demum vitam ademit, ut ejuſdem nece viam ſibi ſterneret ad vacantem invadendam ſedem. Verum hic duorum Pontificum ne-

nefarius interfector, deprecatus a probis omnibus, diu in humanis agere non debebat: igitur repentina morte post menses 4, aut 6. e medio eum sustulit ultor Deus: post mortem vero plebis ludibrio, ac vindictæ patuit ipsius cadaver, ut ex veteri Codice Vaticano refert Baronius ad annum 985. Johannes XVI, qui Gregorio V. in fugam conjecto, locum ipsius occupaverat, schismatis, quod ad decem menses protraxit, quot scilicet Apostolicæ sedi ceu prædo incubuit, pœnas justas dedit, nam primo in Synodo Ticinensi anno 997. præsidente Gregorio V. ab Italis, Germanis, & Gallis Episcopis sacris christianis, ac Sacerdotio interdictus est; ac postmodum oculis, lingua, & naribus diminutus exemplo suo docuit pessime ei cuncta succedere, qui Romanam Ecclesiam schismate perturbare, ac scindere non pertimesceret. Hac occasione Romam profectus S. Nilus fertur, cujus effusa caritas erga miserabilem illum exauctoratum, egregiaque reverentia erga legitimum Pontificem documento esse potest, quo demum loco humana, quove divina ab homine christiano haberi debeant. Adisis S. Petrum Damiani in epist. 1, & 2. ad Cadolaum, & Fleurium lib. 57. n. 50. Benedicto VIII. legitimo Pontifici dignitatem, cujus fuerat ipse appetentissimus, Gregorius vix abstulerat, Urbe excedere illo compulso, quum S. Henricus Imperator anno 1013. pervasori in ordinem redigendo præsto adfuit: cujus ille adventu perterritus fuga se surripuit, locumque integrum legitimo Pontifici permisit. De Benedicto IX, Silvestro III, (quem in duos perperam dispescuere Ughellus, & Brujus), & Gregorius VI., qui tres simul (non quatuor, ut Romanæ Ecclesiæ amplificaret calumniam, veluti scribit mox cit. Brujus hist. Pontif. tom.2. pag.332.), aliquando Pontifices audiverunt, quibusque postea abdicatis, aut sponte, sicuti Benedicto, & Gregorio, quibus legitimum jus favebat, aut coacte, veluti Silvestro illegitime intruso, quartus, ac quidem legitimis suffragiis est suffectus sub nomine Clementis II, siquidem copiosius dixisse me alibi memini, non est cur denuo heic disputem. Confer tamen Papebrochium in Conatu chron. hist. differt. 36, alias 21, Pagium ad an. 1044. n. 1, & seqq., & Lupum ad Concilium Rom. VII. S. Gregorii VII. tom. 6. Porro Gre-

Gregorium VI. auctorem fuisse Militiæ Papalis adversus invasores ditionum S. Romanæ Ecclesiæ, post quem militiam habuisse S. Leonem IX, & S. Gregorium VII. adnotat Benedictus XIV. de Serv. Dei Beatif., & Beat. Canon. lib.3. cap.36, laudatque hanc in rem Christianum Lupum ad Concilia Gener.,& Provin. tom.3. vet. edit. pag. 365, edit. nov. tom. 4. pag. 172: unum tamen S. Leonem IX. armatum exercitum duxisse ibidem observat. Benedictum X. hoc indignissimum utique nomine, utpote cujus ignominiæ refertissimam imperitiam verbis suggillavit gravissimis S. Petrus Damiani in epist. 4. lib. 3. ad Henricum Ravennatem Archiep., seditiosorum armata manus ad Apostolicum Thronum anno 1058. admoverat, quem decem circiter menses tenuit, donec a Nicolao II. loco detrusus, ad Pontificis pedes provolutus, veniam precibus obtinuit, ea lege, ut deinceps a Sacerdotalibus officiis suspensus, laica communione contentus esset.

De acerbiori schismate a Cadolao sub Honorii II. nomine adversus Alexandrum II. anno 1061. excitato hæc accipe. Hominem flagitiis fœdissimum, atque ab hominibus proletariis, profligatisque inauguratum asperrimis imprimis insectatus est S. Petrus Damiani epistolis cum ad eumdem, tum ad Cunibertum Taurin. conscriptis, lib. 1. epist. 20, & 21. Præterea eidem infamiæ dica inflicta, dignitas adempta fuit, & Alexandro II. legitimis electo suffragiis adjudicata a Synodis Osboriensi anno 1062, & Mantuana anno 1067, uti contra Baronium; qui eam ad annum 1064. retraxit, ostendit Pagius n. 1, & seqq. Nugatur vero, turpissimeque hallucinatum se prodit Franciscus Bruys, dum in Honorio II. pag. 417. electionem hujus quidem ex Imperatoris adjecto consensu sanare, Alexandri vero ex eodem consensu denegato infirmare præsumit. Postremo eumdem pseudo-Pontificem Alexandto II. Pontifici legitimo proculdubio venia petita, schismatisque pœnitentem fuisse reconciliatum quidam ferunt; quidam vero pessima morte periisse in schismate pertinacem: de quo adeundi Baronius ad annum 1064; Pagius Senior ad eumdem annum; Pagius Junior in Alexandro II; veteresque alii Scriptores apud ipsos. Potiorem, quam in Romanam

manam Ecclesiam, in Ecclesias Italiæ, & Germaniæ incommodorum partem intulit schisma adversus S. Gregorium VII. instauratum: cujus initium ab anno quidem 1076. repetendum est, referendumque in pseudo-Synodum Wormatiensem, in qua multa falsorum criminum persona optimo Pontifici imposita, mortisque intentatis minis Henricus Imperator præ furoris in Pontificem æstu impotens ab Episcopis extorsit, ut Pontificis ejurata obedientia decretum ederetur, quo eidem sua abdiceretur dignitas. Adversa fonte tanto facinori intercesserunt Adalbero Wirtzeburgensis, & Herimannus Metensis: eorum vero, qui mortis timore perculsi fœde prævaricati fuerant, postea facti pœnitentes, cumprimum opportunitas affuit, a Pontifice flagitii veniam poposcerunt. Incrementum subinde accepit schisma eodem anno 1076. in pseudo-Synodo Papiensi, in qua schismatici Episcopi Imperatori schismatico adhærentes anathema sibi a Pontifice inflictum in eumdem Pontificem retorquere ausi sunt: corroboratum est deinde anno 1080. in Conciliabulo Moguntino ab Episcopis 19; consumatumque demum in Brixinensi eodem anno ab Episcopis 30, a quibus jussis ab Henrico Imp. S. Gregorio abrogata dignitas Guiberto, dicto subinde Clementi III, delata est: ex qua a Pontifice depositus, quinimo plus vice simplici a populo anno 1084, 1089, & 1094. depulsus, ejusdem simulacrum tamen ad obitum usque, annum videlicet circiter 1100, contumacissime retinuit. Igitur ad 23. annos schisma protraxit, uti tradit Domnizo in vita Mathildæ, ad annos vero 20. pseudo Pontificis imaginem affectavit, ut habet Hugo Flaviniac. in Chronico Virdun. Cæterum Guiberto viventi pauci Henricianæ factionis partiarii adhæsere, probis omnibus aversantibus: mortuo vero monumentum aliquod ponere nullus cogitavit, adeoque ut omnis ejus periisset memoria, nisi loci, in quo execrabilem vitam finivit, litteris demandasset Ordericus Vitalis hist. Eccles. lib. 10.

E contra S. Gregorius VII, etsi laudum suarum obtrectatores habuerit impudentissimos, dum viveret, inter quos familiam duxere Sigebertus in Chron., & Benno in libris duobus de Gregorii vita, & rebus gestis, plus vice simplici Protestantium opera recusis, in fasciculo rerum expet., & fugiendarum ab Orthui-

no

no Gratio, & Eduardo Brounio; in Catalogo testium veritatis a Matthia Flaccio; Lectionum memorab. tom. 1. a Johanne Wolfio; a Reinero Reineccio, & in Apologia pro Henrico IV. a Melchiore Goldasto, in qua ullo absque delectu, omni diligentia, quotquot sibi visi sunt in quapiam vel levissima re Gregorio VII. adversi, conglomeravit, quos Gretzero opponeret: quin etiam nec defuerint, qui post obitum veteres recoquere in eum calumnias non destiterint, e quibus præsertim Aventinus Annal. Bojorum lib. 5, Mornæus Duplexius in Mysterio iniquit., Rivetus in defens. Mornæi; Bayle in dict. hist. crit. in Gregorio VII; Heydegerus histor. Papat. ætat. 4; Casaubonus exercit. 15; Conringius exercit. academ. 5; Heiss histor. Imperat. lib. 2. in vita Henrici IV; & Bruys tom. 2. histor. Pontif. in Gregorio VII: nec defuerint quinimo ex nostræ communionis hominibus, qui erga optimum Pontificem se parum æquos præbuerint, uti Fleurius histor. Ecclef. lib. 62, uti Natalis hist. Eccl. ad Sæcul. XI., & XII. dissert. 2; uti Bossuetius defens. decl. par. 2. lib. 4. cap. 7; uti Gilbertus de Choyseul in epist. ad Martinum Steyaertium &c; ab his tamen calumniis abunde S. Gregorium liberarunt, & absterserunt, sive dum in vivis adhuc ageret, sive post obitum apologiis pro ipso adornatis, elogiisque laudum refertissimis conscriptis probi Scriptores omnes; inter quos præcipui Bonizo Sutriensis in procemio Syntag., Willelmus Metensis apud Mabillonium tom. 1. Analect., S. Anselmus Lucensis, Paulus Bernriedensis apud Muratorium tom. 3. Script. rer. Ital., Bertholdus Constantiensis, Gerhohus Reincherspergensis apud Gretzerum, Willelmus Malmesb., S. Petrus Damiani, Otto Frising., Lambertus Scafnaburg. apud Maimburgum, Marcus Antonius Marsilius Columna apud Ughellum tom. 7. Ital. Sac., Guillelmus Apuliensis lib. 5, Domnizo in vita Mathildæ, Leo Ostiens. in Chron. lib. 3, Hugo Flavin. in Chron. Vird. apud Labbæum tom. 1. bibl. lib. Mss. &c. Ex Recentioribus vero Gabriel Naudæus in Apologia Magnor. virorum de Magia accusat., Coefetellus in resp. ad Mornæum, Maimburgus ipse decad. de l' Emp. lib. 3, Baronius passim, Bellarminus de Rom. Pont. lib. 4. cap. 13, Gretzerus in apolog. pro Gregorio VII, ubi quinquaginta recen-

ſet, qui pro eo egregie ſteterunt, a quibus nec longius plerumque abſuerunt Bælius in Lexico hiſt., & Dithmarus in vita ejuſdem Pontificis, Pagius uterque, Senior ad annum 1085. n. 8, & Junior in S. Gregorio VII, Sfondratus in Gallia vind. diſſert. 2, Papebrochius in Conatu, & in annot. ad vitam S. Gregorii VII. die 25. Maji, Mabillonius Sæculo VI. Bened. par. 2, Vincentius Ludovicus Gotti adverſus Picenin. in colloq. Theolog. polem. 11, & S. Gregorii VII. vindiciis, Franciſcus Denghien, aliique, quos digno propterea elogio mactavimus par. 1. art. 8. §. 1. pag. 344. Poſtremo S. Gregorii VII. memoriam plurimis illuſtrarunt, vindicaruntque Romani Pontifices: nam ejuſdem imaginem coloribus expreſſam inter Sanctos collocavit anno 1453. Anaſtaſius IV: Martyrologio nomen inſcripſit anno 1584. Gregorius XIII: Officium ejus in honorem recitari in Eccleſia Salernitana conceſſit anno 1609. Paulus V; in Eccleſia Romana Alexander VII, in Ordine Ciſtercienſi anno 1704, aut ſeq., ac in Ordine univerſo Benedictino anno 1710. Clemens XI; in Eccleſia univerſa an. 1728. Benedictus XIII, a quo anno ſeq. 1729. die 17. Sept. decreto edito damnata eſt Inſtructio Paſtoralis Epiſcopi Antiſiodorenſis, qua ejuſdem Officii recitationi juxta formulam præſcriptam intercedere præſumpſerat: egregia merita denique recoluit, ac celebravit Benedictus XIV. de Serv. Dei Beatif., & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 4. §. 10.

Guibertum brevi temporis intervallo conſecuti alii tres pſeudo-Pontifices ſchiſmatis, flagitiorumque hæredes, facto impetu adverſus Paſchalem II. inſurrexerunt: ſed eorum hic exitus. Albertus eodem ſuæ intruſionis die Synodi Romanæ ſententia vinculis mancipatus, in Monaſterium detruſus eſt: haud abſimilem Theodoricus ſuffectus a ſchiſmaticis ſortem ſubiit: nam poſt dies 105. Synodi decreto in Monaſterium pariter conjectus eſt. Maginulphus, aliis Aginulphus, dictus Silveſter IV. paullo poſt a Romanis, quos arte negromantica ſibi devinxerat, & auguriis, præſtigiiſque dementaverat, eoque nefario modo Pontificatum fuerat adeptus, comperta fraude, pertæſis ſacerdotio exutus, & ab Urbe ejectus, abire exul adactus, ex miſeriis, inopia, maliſque aliis interiit. Contra Burdinum, qui Gregorii VIII. aſſumpto

to nomine se in S. Petri Sedem ingesserat, inaneque Pontificis ab Henrico V. delatum gerebat simulacrum, Gallos imprimis gravissimis litteris sollicitavit Gelasius II. legitimus proculdubio Pontifex. Habito ad hæc Capuæ Concilio anno 1118. illum diris cunctis devovit: quam quidem pœnam secundò in Synodo Remensi anno seq. 1119. in eumdem districxit Callistus II; a quo ad carcerem quæsitus Burdinus, quamvis aliquandiu fuga a vinculis liberum abire eidem licuisset, captus tandem, ac in Cavense Monasterium conjectus, exinde vero extractus, arctæ custodiæ in arce traditus, turbandi Ecclesiam, vitamque traducendi finem fecit. Quid morer Anacletum II, & Victorem IV. Innocentio II. legitimo Pontifici locum invidentes, quos demum divina vindicta insectata palam fecit non divino nutu, auspicioque Pontificale fastigium illos fuisse adeptos? Anacletus, cujus flagitiis cuncti genus fœdissimam vitam, frontis integumento detracto, ad oculum depingunt S. Bernardus in epist. 126. ad Episcopos Aquitaniæ, & Arnulphus Luxoviensis de schism. cap.3. apud Dacherium tom.2. Spicileg. pag.336, quamvis litteris, legatisque Imperatores sive Romanum, sive Græcum, Regesque cum Jerosolymorum, tum Galliarum, atque Episcopos, si posset, omnes, ad partes suas pertrahere conatus sit, ei tamen e re sententia non cessit: nam Innocentio II, exiguo admodum excepto numero, integre, jugiterque studuerunt Ecclesiæ Græca, Italica, Gallicana, Hispanica, Germanica, Hierosolymitana, Anglicana, uti liquidis testimoniis tradunt S. Bernardus in epist. 125. ad Gaufredum Carnot., Auctor Chron. Magdeb. apud Mabillonium in præfat. ad S. Bernardi Opera, Lotharius Imper. in litteris Encyclicis ad Reges, Episcopos, Principes, & Christifideles omnes apud Dacherium tom.1. Spicileg. pag. 480; Ernoldus in vita S. Bernardi lib. 2., &c. Anacleto ex adverso in Synodis Stampensi, Remensi, ac Pisana anathema ter irrogatum, ac tandem septimo ab invasione anno subita intercessit mors: qua quidem non subito extinctum est schisma, siquidem Anacleto suffectus est Victor anno 1138; sed is vix duos implevit menses, ut opera S. Bernardi ad frugem reductus, dignitate se abdicans, Innocentio, rogata venia, desponsaque obedientia, integrum se demisit.

Quatuor illorum prædonum, quos unum post alterum Friderici II. istius schismatis incentoris furor Alexandro III. legitimis suffragiis electo objecerat, quis, putas, finis fuit? Victor IV, quamvis in pseudo-Synodo Papiensi anno 1160, (ad quam accersitus a Friderico Alexander præsentiam denegavit suam, ideo quod de Pontifice indubio ferre judicium ad Synodi partes non pertineret: quam præclaram, veramque Pontificis sententiam æqui bonique facere dedignatus non modo, sed vellicare non dubitans Fleurius hist. Eccles. lib.70. n. 40, Historiæ Ecclesiasticæ monumentis nihil obscuris aut cum injuria abusum, aut circa illorum intelligentiam cum ignominia hallucinatam se ostendit:) quamvis, inquam, in pseudo-Synodo Papiensi, quin etiam Laudensi anno 1161. optime audivisset; in Synodis Nazarena anno 1160. a Græcis, & Tolosana 1161. ab Anglis, & Gallis legitimi Pontificis loco, & honore habitus est Alexander III: Victor vero in Synodis Monspeliensi anno 1162, & Turonensi anno 1163, cui interfuisse Cardinales 17, ex Anglia, & Gallia Episcopi 124, aliique in dignitate Ecclesiastica constituti 114. feruntur in Actis Vatic. Alexandri III. apud Baronium ad ann. 1162, Sacerdotio, Christianisque sacris est interdictus. Quis interea non demiretur insanissimam schismaticorum audaciam, qua ad pseudo-Pontificis adaugendas partes splendidissima propinare mendacia non abstinuerunt? Itaque suæ Papiensi Synodo adhæsisse Reges Angliæ, Hungariæ, Bohemiæ, & Daniæ scripserunt in Encyclicis e Synodo exaratis: consensisse Episcopos circiter 50; utrique vero contendentium consensum suspendisse suum Reges Angliæ, & Galliæ scripsit eodem schismate afflatus Eberardus Bambergensis ad cognominem Saltzburgensem: Synodo Laudensi adstipulatos Episcopos, & Abbates numero indefinito multos, necnon Reges Daniæ, Norvegiæ, & Bohemiæ cum Archiepiscopis 6, Episcopis 20, Abbatibus vero longe compluribus, pati fide refert Otto Morena in Chron. Laudensis homo eadem schismatis labe inquinatus: quin Victor ipse pseudo-Pontifex ad Romanos scribere non est veritus epist. 408. inter relatas a Duchesnio tom. 4. rer. Francic. ad suas accedere partes non dubitasse Ludovicum VII. Galliarum Regem. Atqui ex fraude, mendacioque hæc omnia composita animadver-

tit Fleurius lib.70. n. 42, & manifestissime adparet ex litteris Ludovici VII. apud Duchesnium loco indicato 431. ad Manuelem Græcorum Imperat., cui auctorem se præbet, ut pro legitimo Pontifice dubio procul haberet Alexandrum III; Alexandri ipsius ad Arnulphum Lexoviensem, qua a schismaticis confictas calumnias detegit; ejusdem Arnulphi ad Episcopos Galliarum, qua Victoris iniquam intrusionem perstringit, Alexandro vero adhæsere Galliarum tum Regem, tum Præsules religioni duxisse prodit; Fastradi Claravallensis Abbatis ad Omnibonum Veronensem Antistitem apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1585., qua perhibet in Conciliabulo Papiensi non adfuisse, nisi 44. Episcopos ad Friderici vota compositos, vocemque trementes: in Concilio vero Tolosano vel a schismaticis agnitam electionem Victoris illegitimam, legitimis vero celebratam votis Alexandri, eique impense se devovisse Angliæ, & Galliæ Reges: quibus consentanea tradunt Guillelmus Neubrig. lib. 11. rer. Anglic. cap. 9, & Auctor hist. Vizeliac. lib. 4. referens præter Anglos, & Gallos, partes Alexandri III. adjuvisse Scotos, Hibernos, Siculos, Hispanos, Sardos, Italos majorem partem, & Germanos complures occulte ob Friderici metum. Victori denique, cujus vitam ignominiæ, vitiorumque ingentium refertissimam descripsit Petrus Blesensis in epist.48, verso in insaniam, misere extincto supremum sepulcri officium denegatum a Canonicis Ecclesiæ Lucensis, & S. Frigdiani referunt Acta Vatic. Alexandri III, Collectio epist. S. Thomæ Cantuar. a Lupo adornata lib. 1. epist. 7, & Fleurius hist. Eccles. lib. 71. n. 7. Paschalis III. Victori suffectus anno 1164, postquam a pseudo-Synodo Herbipolensi anno 1166, (quam falso magnificatam a Friderico, ejusque auctoritatem ex numero exaggeratam in epistola encyclica, liquet ex epistola Anonymi ad Alexandrum III. apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1615.), confirmatam sibi dignitatem accepisset, triennio post, idest anno 1168, cancri morbo percussus, sanie fœtida diffluens infelicissime fini suo concessit. Qui ipsi subrogatus est, Callistus III, reconciliato cum Alexandro III. Friderico, & ipse ad frugem regrediens anno 1178, dignitate se abdicans, ad Pontificis pedes provolutus, veniam deprecans, schismatis pœnitens humanissime ab Alexandro habi-

habitus est. Denique Innocentius III. eodem anno a schismaticis inauguratus, biennio post, idest 1180. Pontificis jussu comprehensus, Caveas in exilium, & carcerem ejectus, conjectusque est. Itaque pertinacissimo schismati, quod annos 21. perduraverat, ut superis placuit, finis impositus fuit. Confer ad hæc Acta Vatic. apud Baronium ad cit. annos, Acta Concilii Veneti anno 1177, & Alexandri III. epistolas ad illud spectantes apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1653, & seqq.; Auctores ab ipso laudatos ibidem, ac Romualdum Archiep. Salernitanum in Chron. eodem loci pag. 1667.

Non opus est multis disserere de pseudo-Pontifice NicolaoV, sive Petro Corbario a Ludovico Bavaro anno 1328. Johanni XXII. objecto: nam brevi, idest biennio elapso, desipere desiit: ad Pontificis legitimi pedes se abjiciens, collo in laqueum inserto, veniam, vitamque efflictim deprecatus, utraque quin una cum contubernio Palatii a Pontifice benigne donatus est. De schismatibus cum adversus Urbanum VI, tum adversus Eugenium IV. creatis impræsentiarum dicere non præstat, siquidem abunde, opinor, par. 1. tom. 1. art. 4. §§. 2, & 3. dictum abs me videri potest. Hinc manum tamen haud retraham, quin brevem hanc notam adjungam, ex qua eo loci subobscure adnotatis nonnihil lucis affundatur, minusque accurate, diligenterque art. 9. §. 2. animadversis supplementi loco accedat: videlicet mihi quidem valde quam devios æqui, justique videri indiscriminatim eos incedere, qui erga Pontifices sive legitimos, sive imo illegitimos, nimis aut ex amore, aut ex odio omnem veritatis, urbanitatisque extra limitem licenter excurrunt. Sortem iniquam, & utrinque infestam subiit Felix V, probris quam immerenter, tam illiberaliter proscissus tam ab his, a quibus illegitimi Pontificis loco, Eugeniique hostis, veluti a Pogio, habitus est, quam ab illis, a quibus legitime in Eugenii vices subintroductus, veluti a Daniele Maresio in *Tableau des Papes* pag. 145, existimabatur. Maresio unum ego opponam Lenfantium hist. belli Hussit. tom. 2. pag. 25, Pogio vero Æneam Sylvium in descript. Europæ cap. 43, & hist. Concilii Basil. lib. 2; qui proculdubio propius ad veritatem accessisse mihi videntur, dum ejus eximias virtutes insigni mactare elogio non dubi-

dubitarunt: earumdem enim quam expressum, tam egregium specimen censeri debet animi, nescio an magnitudo, an demissio, qua dignitati ultrocitroque delatæ sive obstitit, sive abdixit: non tam vero testimonium, quam remuneratio reputari potest singulare privilegium, quod non tam ipsius proprium, quam Principibus successoribus factum commune voluerunt Nicolaus V, Sixtus IV, Innocentius VIII, Julius II, Leo X, Clemens VII, Julius III, Gregorius XIII, Clemens VIII, Innocentius XII, Benedictus XIII, & Benedictus XIV: quo de privilegio nominandi ad Ecclesias vacantes diffuse agitur in relat. histor. edit. Taur. 1731; & in Bibliot. Ital. tom. 9. pag. 97, & seqq., ex hac vero a Francisco Bruys histor. Pontif. tom. 4. pag. 164, & tom. 5. pag. 564, & seqq.; adeundique prætereа Card. Ossatus tom. 2. epist. 141, & Thomassinus vet., ac nov. Discipl. par. 2. lib. 2. cap. 40. num. 11. Ex dictis hactenus denique illud obiter non desinas observare, quod si quando, Deo permittente ad majorem providentiæ singularis manifestationem, S. Romana Ecclesia schismate turbata est, turbarum hujusmodi incommoda perpessas continuo fuisse ceteras per Orbem Ecclesias; restitutaque Ecclesiæ Romanæ tranquillitate, facile ad tranquillitatem easdem remigrasse: ut intelligas ex Romana Ecclesia in ceteras, velut a capite in subjecta membra, unitatis bonum derivare, aut ex ejus privatione, malorum partem magnam profluere: propterea D. O. M. providentia factum fuisse, ut Ecclesia Romana, siquidem schismatibus ab Ecclesiis procul eliminandis præposita, nullo unquam schismate ipsa subrueretur.

Ex Jure componendi, definiendique Controversias in Ecclesia cum Græca, tum Latina enatas.

§. II.

AD alterum præcavendum, quod Unitatis Ecclesiasticæ bono ex volontatis humanæ vicissitudine ingrueret, discordiarum ingens periculum, e re erat Ecclesiæ, Divinæque quammaxime dispositioni congruerat, ut hominibus universis homo unus incum-

incumberet, qui ad unam omnes componere voluntatem posset; ut Christianis omnibus præesset unus Romanus Pontifex, qui omnibus ad unum compellendis votum par esset. Equis enim tam sibimet hebes, quam humanarum rerum hospes, qui adhuc ignoret homines conditione, studiis, affectibus ita comparatos, ut quam in diversas, adversasque opiniones sunt faciles distrahi, tam inde divelli sint difficiles, indeque probe non perspiciat, quæ, & quot possent ex hominibus ita proprio ingenio permissis, ac ita privatis opinionibus præoccupatis, in Ecclesiæ perniciem, & schismata emergere, & scandala erumpere? Divino itaque factum consilio, ut nulla unquam in Orbe universo controversia fuerit excitata, cui extinguendæ Romanus Pontifex non præsto adfuerit, itque ab altero nullo, præterquam a Romano Pontifice extincta efficacissime, penitusque fuerit, omnium retro sæculorum experientia nos docet, totque historiæ Ecclesiasticæ monumentis demandata exempla demonstrant, ut ex innumeris, quæ suppeterent, nonnulla delibare sufficiat, quantum scilicet pretium operæ patitur. A primo itaque Ecclesiæ sæculo exordiendo, atque a celeberrima, quæ circa Paschatis celebrationem emersit, controversia, ut quod in præsenti quæstione positum est, certa via, & ratione perquiri, & investigari possit, observare non pigeat 1, quod Ritus celebrandi Pascha certa die, stataque bifariam olim spectatus fuit, pro re scilicet vel ad fidei dogmata, vel ad leges meræ disciplinæ spectante. Primo modo spectatus, quatenus Pascha Judaico more Luna 14. perageretur, aliisque ritibus, ac typis Judæis olim religiosis perficeretur, errori Quartadecimanorum ortum dedit, eumque Ecclesia omnis semper est execrata. Secundo vero modo spectatus, pro re scilicet ad puræ, putæque disciplinæ caput pertinente, varius pro varia Ecclesiarum disciplina obtinuit, quique isto nomine Quartadecimani audierunt aliquando, illo ab errore innoxii abierunt, donec schismate creato Pontificibus summis obaudire, dictoque obedientes esse detrectaverunt. Quartadecimanos profecto illos, qui Pascha Luna 14. ex Judaica superstitione, Judaicisque ritibus observarent, pessime semper in Ecclesia habitos fuisse, atque Judaicæ superstitionis insimulatos indubium ex dicendis evadit. Non ita Quartadecimanos

nos illos, qui Pascha quidem Luna 14, non etiam Judaico more recolebant, uti constat ex congressu S. Polycarpi cum S. Aniceto; ex epistola S. Irenæi ad S. Victorem; & ex factis SS. Pii, Hygini, Thelesphori, & Sixti, a quibus cum Ecclesiis Asiæ Pascha Luna 14. celebrantibus communionem integram conservatam fuisse, inque communionis signum ad Episcopos illarum Ecclesiarum, (aut dum Romam adventassent, veluti locum S. Irenæi exponunt Rhenanus, & Antonellus de Titulis a S. Evaristo distributis, aut etiamsi Roma longe abessent, uti explicant Valesius, & Massuetius), Eucharistiam, juxta morem, transmissam auctor est S. Irenæus in cit. epist. ad S. Victorem apud Eusebium lib. 5. histor. Eccles. cap. 24.

Observare 2. juvat, quod solemnem illum morem Paschatis celebrandi Luna 14. septem Asiæ Ecclesiæ acceptum referebant S. Johanni Evang., a quo se fuisse fundatas gloriabantur, ita affirmantibus S. Polycarpo apud S. Irenæum in præcit. epist., & Polycrate apud Eusebium lib. 5. cap. 23., & apud S. Hieronymum de script. Eccl. cap. 56. Verumtamen hic recolendi Paschatis ritus a S. Evangelista Asianis Ecclesiis traditus œconomiæ, ac dispensationi merito erat deputandus, qui scilicet ad breve dumtaxat tempus, quemadmodum in Judæa legalium observatio, fuerat indultus, quatenus ita suavius Judæi ad fidem pellicerentur, ac sensim perfectioribus christianæ Religionis institutis assuescerent: Quamobrem SS. Anicetus, & Victor Pontifices MM. rati tempus illuxisse tandem, quo a S. Johanne indultus ritus aboleretur, id pro sui officii particula strenue executi sunt. In Ecclesia vero Romana, a qua in ceteras dimanaverat, is ritus jugiter viguit, ut Paschale festum nonnisi Dominica proxime sequente Lunam 14. perageretur; isque ritus ab Apostolica traditione fuerat derivatus, idest a S. Petro acceptus habebatur. Traditionis ritus testes accedunt locupletes contra S. Polycarpum S. Anicetus, & contra Polycratem S. Victor apud Eusebium lib. 5. capp. 23, & 24, ac S. Leo M. in epist. ad S Proterium Alex. apud V. Bedam de rat. tempor. cap. 42. Agnita quoque eadem traditio fuit a Synodis Cæsareensi, Pontica, Osroena, Corinthiaca, Lugdunensi, Romana, ac tandem a Nicæna, de quibus paullo post; præterea a

S. Ignatio in epist. genuina ad Philippenses; a S.Proterio in epist. ad S. Leonem apud V.Bedam loco cit.; ab Acesio Novatiano Episcopo sub finem Concilii Nicæni apud Socratem lib. 1. cap. 10; quamquam fide apud Valesium in Not. ad hunc locum valde quam laborat hæc Socratis narratio; assertaque tandem eadem traditio, additis momentis neutiquam contemnendis, a S. Ceolfrido Abbate Monasterii SS.Apostolorum Petri, & Pauli in Anglia in epist. ad Naitanum Pictorum Regem, quam ex V.Beda lib.5. hist. Angl. cap. 22. Chiffletius, & Harduinus edidere to.3. Conc. pag.1850. Quo circa dignos plane, qui vapularent multis, se præbuerunt Socrates lib.5. cap.22., quem Novatianis partibus studentissimum agunt Baronius, & Labbæus de script. Eccles., etsi eum ab invidiosa nota ista abstergant Petrus Halloixius *in* Not. ad vitam S. Irenæi pag. *664*, & Henricus Valesius de ipsius vita, & scriptis, ac Sozomenus lib.7. cap.19, dum uterque affirmare non dubitavit Paschale festum nulla antiqua traditione statæ diei celebrandum fuisse illigatum, ideoque in cujusque libero arbitrio positum esse, quando mallet, illud peragere, tanquam ritum, qui puras inter putasque Ecclesiarum consuetudines computatum, qui religione integra diversus pro Ecclesiarum diversitate esse potest.

Prælibatis his, operæ jam pretium est ostendere prudentia, ac fortitudine plenam fuisse S. Aniceti, ac perinde S. Victoris agendi rationem: illius quidem cum S. Polycarpo Smyrnensi Episcopo; istius vero cum Polycrate Antistite Ephesino. Enim vero œconomia adhuc utendum cum Asianis ratus S. Anicetus, S. Polycarpo Romam profecto persuasit quidem, ut veteri, qui S. Johanni ferebatur acceptus, more abolito, ad Romanæ Ecclesiæ ritum accederet, nolenti tamen vim non intulit, veluti S. Victori referebat S. Irenæus apud Eusebium, affirmatque Eusebius ipse lib. 4. cap.13: modo tamen a more Asiatico celebrandi Pascha Luna 14. procul abesset omnis Judaicæ superstitionis suspicio, sicuti licet conjicere ex Libello Synodico, cujus auctor in Cod. Ms. Regio 2951. dicitur S.Cyrillus Hierosolym., apud Moynium vero tom.1. pag. 68. Germanus Episcopus Constantinop., edito a Johanne Pappo, ab Alberto Fabricio tom.11. Bibl. Græcæ, Harduino to.5. pag.1491 &c., ubi (si veritate tamen relatio nititur), refer-

refertur Synodi Romanæ anno 170. sub S. Aniceto, cui præsens adfuit una cum aliis decem Episcopis S. Polycarpus, Decretum adversus eos, qui Judaico more Pascha peragerent. Vicissim S. Victor ea omnia, quæ Legalium observationum speciem aliquam præseferrent, tandem abjicienda fore arbitratus, discedendumque sibi a dispensatione, quam aliquando decessores sui adhibuissent, eo vel maxime, quod Blastus Presbyter, Judaicorum rituum inducendorum caussa, in Romana Ecclesia schisma conflasset, indicta Romæ Synodo, cui Theophilus Cæsareensis cum aliis Episcopis 14. interfuisse legitur in præcit. Libello Synodico, Paschale deinceps festum Dominica prima, diem Lunæ 14. proxime subsequente, peragendum ubique præfinivit; in Asianos vero pristinæ consuetudini pertinaciter inhærentes anathema intorsit. Qua in re quidem potestatis suæ terminos neque transversum unguem transgressum, ejusdem quin imo præclarum specimen præbuisse, exinde liquet profecto, quod Pontificio Decreto de Paschatis celebratione obediendum sibi, obsequendumque communi suffragio existimarunt Synodi qua Orientis, qua Occidentis hac occasione celebratæ, inter quas, ut de Romana mox recensita taceam, atque ex præscripto quidem Pontificis indictas, memorantur Cæsareensis in Palæstina sub Theophilo Cæsar., & Narcisso Hierosolym. ex 12. Episcopis a V. Beda lib. de æquin. Verno, de qua videndus etiam Bucherius de doctr. temp.pag.469; Pontica in Asia ex Episcopis 14. sub Palma; Osroena ex 18; Corinthiaca in Græcia sub Bacchyllo ex 8. Episcopis ab Eusebio lib. 5. cap.23; Mesopotamena ex 18. ab Auctore Synodici; Lugdunensis in Gallia ex Episcopis 13. sub S. Irenæo ab Eusebio lib. 5. cap. 24; ac deinde Arelatensis 1; necnon Nicæna demum œcumenica Can.21. ex editis ab Ecchellensi, in epistola Constantini Imp. ad Episcopos absentes apud Theodoretum lib.1.hist. Eccles. cap.10, & apud Eusebium de vit. Constant. lib.3.capp.16,& seqq. Quid imo quod Polycrates ipse Ephesinus in epistola ad eumdem S. Victorem apud Eusebium lib. 5. cap.24, & S. Hieronymum de script. Eccl. cap. 45. non nisi moris gerendi Pontifici M. gratia Synodum Ephesi abse habitam haud obscure indicat, quamvis eadem in Synodo morem in Asia receptum, tametsi a Romano Pon-

tifice reprobatum, Pascha recolendi Luna 14, quamcumque in diem incideret, S. Johannis Evang. toties jactata traditione, confirmare non exhorruerit, ut proide ab eodem Pontifice una cum erroris sociis, sibique enixe studentibus Episcopis Asianis, tum litteris asperrime fuerit objurgatus, tum ab Ecclesiæ liminibus exclusus, sacrorumque consortio interdictus?

Ab hoc tempore partium esse suarum Romani Pontifices reputaverunt Ecclesiis omnibus diem individue præfinire, quo ab omnibus per Orbem Pascha celebraretur, adeo ut, si quæ deinceps circa diem Paschatis a Pontifice definitum suboriretur difficultas, de eadem quidem in Synodo Provinciæ disceptare liceret, Romano tamen Pontifici rescriberetur pro definitione Ecclesiis omnibus de Paschatis die præstituendo; cujusmodi de re expressa sententia est S. Innocentii I. in epist. 11. in edit. Concil. ad Aurelium Carthaginensem, ac S. Leonis M. in epist. 88. ad Ravennium, & 94, alias 64. ad Marcianum Augustum. Profecta hinc est antiqua consuetudo Formatarum, quo nomine designabantur inter alias Litteræ Paschatis encyclicæ, quibus a Pontifice indicebatur, quali ejus anni Dominica celebrandum esset proximum Pascha: quas litteras quidem dirigi consuevisse Primatibus, ac Metropolitis, a quibus deinde Suffraganei Episcopi, ab iis vero sibi subjectæ Ecclesiæ de ea die admonendæ essent, nos edocent Concilia Arelatense I. anno 314. Can. 1. relato a Gratiano de Consecr. dist. 3. Can. 26. *De observatione Paschæ*; Carthaginense III. an. 397. Can. 1, & 41; & Carthaginense V. an. 401. Can. 7, in Cod. Can. Eccl. Afric. Can. 51, & 73, & apud Gratianum de Consecr. dist. 3. Can. 24. *Placuit.* Hinc is quoque processit antiquus mos, quem Cassianus Collat. 10. cap. 1. commemorat, quo a Diacono inter Missarum solemnia in die Epiphaniæ sacro futurus ille dies celebrando Paschati a Pontifice definitus promulgabatur, cujusmodi moris mentio occurrit in Conciliis Aurelianensi IV. anno 541. Can. 1, & Bracarensi II. an. 572. Can. 9, inserto Dist. 3. de Consecr. Can. 25. *Placuit*. Hinc profectus tractatus de Paschalis celebritatis ratione elucubratus a S. Ambrosio, atque ad Episcopos Æmiliæ directus epist. 83, quo Decretum non modo a Nicænis Patribus de Paschate celebrando recenset, sed etiam Cyclum decem-

decemnovalem subEneadecateridis nomine inductum ad inveniendam, statuendamque diem quotannis recolendi Paschatis. Hinc provincia illa imposita Patriarchis Alexandrinis, siquidem Astronomiæ peritia Ægyptii præcellerent, inquirendi in futurum Paschatis diem, eumdemque sedulo exploratum Pontifici Romano indicandi, ab eodem ceteris deinde Ecclesiis indicendum, veluti abunde liquet ex cit. epist. *64*. S. Leonis; ex epistolis Paschalibus Theophili Alex. a S. Hieronymo Latinitate donatis, quarum tres prostant tom. 3. Bibl. PP. edit. Paris., atque ex epist. item Paschali S. Proterii Alex. ad S. Leonem M., quam inter Leoninas edidit Quesnellus, rejecitque ad calcem operis de doctr. temp. Petavius; ex Conciliis Arelatensi I, & Nicæno, de quibus loquuntur præcit. locis SS. Ambrosius, & Leo; constatque ex epist. Synodica ad Ecclesiam Alex., ex epistola Constantini ad Ecclesias apud Eusebium lib.3.de ejus vita cap.*16*,& seqq.,atque ex S.Athanasio in lib. de Synodis Arim., & Seleuciensi.

Quocirca ut Alexandrini Præsules computationem inire, certa ratione Paschati inveniendo accommodam, possent, magna diligentia, studioque constitutus fertur a Patribus Nicænis ille unde viginti annorum numerus, deinde *Aureus* dictus, ut ab eo normam aliquam, & mensuram acciperet calculus Paschalis, quo perinde Cyclo 1*9*. annorum Præsules Alexandrini usi sunt, ad indagandum Paschatis diem. Ex hoc Cyclo postea Theophilus periodum 100. annorum confecit; quæ potius quam periodus, Tabula Paschalis diei merito potest, Paschalia festa ad annos 100. subjecto calculo exhibens: quo subinde Theophili calculo abolito, novum ex Cyclo 1*9*. adornavit S. Cyrillus ejusdem Theophili nepos, ac in Sede Alexandrina successor; scilicet Cyclum annorum *95*. expressit, qui nempe ex quinque Methonicis, sive quinquies repetito Cyclo decemnovali,exsurgit. Hinc factum, ut quum anno 444. a Theophilo in Cyclo Paschali Paschatis dies diei 23. Aprilis fuisset indictus, errasse vero Theophilum suspicarentur S. Leo, aliique Latini Episcopi, in hanc rem S. Leo cum S. Cyrillum Alex., tum Paschasinum Lilybæi Antistitem consuluerit, a quibus tamen calculus Theophili confirmatus est. Factum quoque, ut quum secundo anno 455. in Cyclo Paschali Theophili dies

dies Paschatis die 24. Aprilis celebranda indicaretur, errorem vero esse in Theophili Cyclo S. Leo iterum, Occidentalesque existimarent, idem Pontifex epist. 68. eumdem Paschasinum, & epist. 95. edit. Quesnelli, sive 65. edit. vet., quæque perperam Eudoxiæ Augustæ inscripta legitur, Julianum Coensem interrogaverit, quibus admonentibus recte a Theophilo an. 455. diem 24. pro die Paschatis adnotatam, Pontifex adquievit, uti liquet ex ipsius epist. 112. ad Marcianum August. ex descriptis a Quesnello ex Cod. Ms. Card. Grimani. De his duabus controversiis sub S. Leone circa Pascha excitatis loquitur S. Prosper in Chron. ad annos 444, & 455; præstatque adire Eminent. Norisium in Fastis Consular. e Bibl. Cæsarea erutis pag. 41, & seqq., ac Pagium ad an. 453. n. 13, & seqq., qui præterea adiri poterit de dissidio circa Paschatis Occidentales inter, & Orientales anno 417. sub S. Zosimo excitato ad eumdem an. n. 21; Norisius etiam in dissert. de Synodo V. cap. 3. de simili dissidio exorto sub Justiniano Imp., idemque Pagius ad an. 545. n. 6, & seqq.

Postremo quum Cyclus Paschalis a Theophilo adornatus anno 480. absolvendus esset, tæderet quoque Pontifices ab Alexandrinis Præsulibus rationem dimetiendorum temporum, ad legitimam Paschatis diem designandam, mutuare: præterea, quum Cyclus 19. annorum ab Alexandrinis usurpatus suo non careret vitio; aliunde vero Cyclus vetus annorum 84. Romanis olim facer erroris caussa esset, quippe qui die 1. horis 6. minutis 51. Solis periodum anteibat post revolutos annos 84, ut huic incommodo occurrerent Romani Pontifices hanc adornandam spartam Latinis hominibus demandarunt: hanc S. Leo concredidit Hilario S. R. Ecclesiæ Archidiacono, a quo in Victorium Aquitanum translata est, qui Cyclum Lunarem 19. annorum restituit quidem, ac retinuit, sed ipsum duxit per Cyclum 28. Solarem, atque ex utroque suam periodum annorum 532. confecit, de qua sermonem habent Synodus Aurelianensis IV. Can. 1; Gennadius de vir. Illust. cap. 88, Sigebertus de script. Eccles. cap. 20; & S. Isidorus de Origin. lib. 6. cap. 17. Confer & Bollandum tom. 1. Jan. pag. 354, Cointium tom. 1. pag. 588, & tom. 4. pag. 870, ac Mabillonium de studiis Monast. pag. 391. edit. Gall.; deque dissidiis circa Pascha-

ſchatis celebrationem hinc ortis Hiſpanos inter & Gallos annis 577, & 590. adeundi S. Gregorius Turon. lib. 5. cap. 17, & lib. 10. capp. 20, 23, ac 24, Bucherius de doctr. temp. cap. 10, & Pagius ad annos 573. num. 4, ac 594. n. 3. Victorinum Cyclum, ſive Canonem Paſchalem Victorii, quem poſtea edidit Bucherius, & Commentario illuſtravit, primum refutavit Victor Capuanus, de quo Beda de rat. temp. cap. 49, correxit poſtea Dionyſius Exiguus anno 527. apud Bucherium, atque Æquinoctia, & Novilunia iis locis fixit, quibus antea fuerant tempore Concilii Nicæni. Dionyſii computo hæſit Eccleſia Romana; donec eum Cyclum emendatione indigere videns, nihil non egit, ut Kalendario hanc demum compararet opem, illudque ad rectitudinem redigeret. Quam igitur maxima animi contentione operam inceperant ab anno 1511. Julius II, & Leo X, cujus hac de correctione litteras, atque Propoſitiones 13. ex diſceptationibus pluries habitis Pontificis ejuſdem juſſu recollectas legere eſt apud Cl. Manſium in ſuppl. Concil. tom. 6. in addit. ad Concilium Later. V. pag. 702, & ſeqq., perfecit tandem, numeriſque abſolvit ſuis anno 1582. Gregorius XIII, qui adhibitis rei Aſtronomicæ peritis, ac præſertim Aloyſio Lilio Veronenſi, cui Epactarum Cyclus acceptus referendus eſt, rationem tandem adinvenit, poſuitque in tuto Paſcha deinceps ſtata die peragendi.

Retro nunc ad SS. Anicetum, & Victorem rurſum ſermo eſt reflectendus, ac eorum refellenda hallucinatio, qua utrique Pontifici tam ſplendidum in hoc de Paſchate negotio ſupremæ poteſtatis uſum aut eripere, aut valdequam imminuere aggreſſi ſunt. Principio Valeſius in Notis ad Euſebium lib. 5. cap. 24. adverſus Baronium pernegat S. Polycarpum ob cauſſam Paſchatis veniſſe Romam ad S. Anicetum, ſed ob alias privatas cauſſas, quarum occaſione pariter de Paſchate egerit. Quoad vero S. Victorem ſpectat, duo heic Pontificiæ infallibilitati, poteſtatique ſupremæ infenſi, ad obruendam utramque, obtrudunt. 1. Factum negant, quo videlicet affirmamus a S. Victore Aſianos in errore obfirmatos a communione fuiſſe præciſos, contra ipſi contendentes intra minas hæſiſſe Pontificem, ac litteris perſtrinxiſſe Aſianos contentum, ulterius non proceſſiſſe. Id vero probare nituntur cum ratione,

tione, tum auctoritate: ratione primo, quia pro re mere ad disciplinam spectante putandum non sit, Pontificem voluisse tot Asianas illustres Ecclesias a communione sua abscindere: auctoritate postea, videlicet S. Irenæi, qui in epist. ad S. Victorem ipsum ab irrogando anathemate, atque a tot Asiæ Ecclesiis a Corpore Ecclesiæ universæ amputandis deterruit, ipsius decessorum SS. Aniceti, Pii, Hygini, Telesphori, & Sixti proposito exemplo, a quibus cum Asianis pax nullatenus fuerat perturbata: ex Firmiliano in epist. 75. ad S. Cyprianum, qua circa ritum celebrandi Pascha alterum ab Romana Ecclesia in Ecclesiis aliis observatum ait, quin propterea aliquando ab Ecclesiæ pace discessum sit: ex Eusebio, qui lib. 5. cap. 24. refert quidem S. Victorem Asiaticos a communione arcere in animo habuisse, reipsa tamen non arcuisse, sed anathema illud deprecatum fuisse S. Irenæum, dehortatumque Pontificem, ut ab eo abstineret. Similia scribere inquiunt S. Hieronymum in Catalogo cap. 46; Nicephorum lib. 4. capp. 38, & 39; ac Photium in Bibl. Cod. 120. 2. Ex facto arguunt, quod si tanti facta olim fuisset, quanti nunc facienda a nobis contenditur, Pontificis Romani potestas, ac ipsius in definiendo infallibilitas nulli dubitationi fuisset supposita, neque putandum fore utique, quod tot Asiæ Episcopi S. Victoris judicio intercedere ausi fuissent; neque quod pro inobedientibus apud Pontificem sequestres Episcopi alii, ac præsertim S. Irenæus, accedere voluissent.

Non opus est multis obniti ad hæc adversariorum obtundenda tela, quæ in adversarios ipsos tam facile, quam valide retorqueri possunt. Neque principio multam operam conteram in vexanda, exagitandaque Valesii opinione, quæ nullo altero, nisi levissimo imaginationis suæ, momento innixa invictissimis subvertitur testimoniis S. Irenæi apud Eusebium lib. 4. cap. 14; S. Hieronymi de Script. Eccles. in *S. Polycarpo*; & Auctoris Chronici Alexandrini ad Consulatum Tertulli, & Claudii Sacerdotis, qui incidit in annum Æræ vulgaris 158. juxta Pagium, aut 160. juxta Baronium, Pontificatus S. Aniceti 8. Præter quam quod universim in more positum jam tum, ut ad Pontificem undique, gravibus Ecclesiarum urgentibus caussis, Episcopi properarent; testis est locuples S. Cyprianus in epist. 41, & 52. edit. Pamelii. Ad alte-

alteram objectionis partem, quæ respicit eam, quam cum Asianis rationem agendi tenuit S. Victor, duplex apto responsum. 1. Factum firmari a viris doctiss. Schelestratio Antiq. illust. par. 2. dissert. 1. cap. 3; Pagio in Crit. Baronii ad annum 196. n. 2; Petro de Marca lib. 3. Concord. cap. 3; Tillemontio tom. 3. Monum. hist. Eccles.; Massuetio in differt. prævia ad opera S. Irenæi; Coutantio in differt. de controversia circa Pascha §. 1, aliisque, quibus utroque pollice subscribendum puto, a quibus factum confirmatur tum firmissimo rationis momento, tum apertissimis Scriptorum testimoniis. Atque quidem Tillemontius tom. 2. pag. 460. observans a S. Irenæo in epist. ad S. Victorem, ceteris ejus decessoribus memoratis, SS. Soterem, & Eleutherum non adjungi, ideo adjunctos non fuisse suspicatur, quia illi primum Asianos Romam adventantes more Asiatico Pascha Romæ celebrare prohibuerint, unde veri sit valdequam simile controversiam de Paschate S. Anicetum inter, & S. Polycarpum cœptam paullatim exarsisse magis, ac magis; ideoque neque respuendum videtur Ven. Bedæ, & Adonis testimonium affirmantium tum demum ab Eleuthero de Paschate Decretum editum fuisse, atque a Victore confirmatum. Confirmandi Decretum, aut, si placet, Decretum procudendi, eidemque obfirmato animo obluctantes Asianos anathemate plectendi, S. Victori, præter decessorum exemplum, altera suberat ratio. Nempe quamvis S. Anicetus dispensatione adhuc sibi c. m Asianis opus esse aliquando sit arbitratus, contentusque id persuadere S. Polycarpo, intra hortationes hærens, ab ulteriori adhibendo jure abstinuerit, postquam tamen indulgentia hujusmodi, ac dispensatio hæresi, ac Schismati validandis occasio visa est; siquidem in Asia Montanistæ, ut auctor est S. Pacianus in epist. parænet. ad Sympron., & ipsi Pascha Luna 14. peragendum, secus autem agentes errore duci omnino affirmabant, tametsi ab aliis Quartadecimanis Asiaticis differrent in eo, quod ii Solis cursum, isti vero Lunæ Judæorum more observabant, uti traditum est a Sozomeno lib. 7. cap. 18; Romæ vero Blastus Presbyter, referentibus Tertulliano lib. de Præscript. cap. 53, Eusebio lib. 5. cap. 19, & Nicephoro lib. 4. cap. 30, Judæorum pariter more Pascha celebrandum contendebat, adeoque ut a Cle-

ro Romano eidem contradicente schismate se præciderit, compluribus aliis in partem suam perductis, quamobrem a S. Eleuthero Presbyterii gradu fuerat abdicatus, atque ab Ecclesiæ communione abjectus; propterea S. Victori locum indulgentiæ non amplius faciendum persuasum approbe fuit, iccirco quod non eadem esset præsens Quartadecimanorum caussa, atque fuerit sub tempus S. Aniceti, sub quo ullo absque periculo hæresis, ac schismatis, ulloque absque piaculo ea celebrandi Paschatis diversitas permissa fuerat, quæ non ita permitti impræsentiarum poterat. Pernecessarium itaque ad propulsandum erroris periculum, ac partium insuper suarum esse reputans procurare, ut Ecclesia universa in eodem uno celebrandi Pascha cum Romana ritu conveniret, Pascha Dominica die post Lunam 14. proxime sequente peragendum deinceps decrevit, utque Decreto suo ab omnibus ubique Ecclesiis obtemperaretur, Synodorum opera sedulo curavit. Et sane in S. Victoris sententiam incedendum sibi fore intelligentes Ecclesiæ sive Orientis, sive Occidentis, Synodis, de quibus superius, ubique jussu Victoris celebratis, ultro citroque in eam S. Victoris iverunt sententiam, cui denique calculum adjecit suum Nicæna Synodus, adeo ut ab eo deinceps tempore Quartadecimani in errore manentes inter hæreticos, & schismaticos habiti sint. Putasne igitur pro re ad disciplinam dumtaxat pertinente imprudenter tot coaluisse Concilia, ab hisque hæresis, atque schismatis infamiæ plenam notam severius, quam par fuisset, Quartadecimanis impactam? Viden itaque, ut accusari S. Victor nimiæ asperitatis nequeat, dum Asianos sanctioni cum ab se, tum a tot Synodis editæ adquiescere detrectantes ab Ecclesiæ communione abscidit, quin paris, pejorisque criminis tot Concilia condemnentur?

Factum præterea confirmant expressissima testimonia S. Epiphanii, qui Hæresi 70. Audianorum liquido affirmat sub S. Victore ob contentiones obortas circa Paschatis celebrationem Orientales ab Occidentalibus divulsos pacificas ab se invicem litteras non accepisse: quod indicium certum est Schismatis, cujus profecto non alteram proferre caussam est, quam excommunicationem in Orientales a S. Victore vibratam. Eusebii, qui lib. 5. cap. 24. distincte perhibet

hibet anathemate a Pontifice Asianos proscriptos: *Datis*, inquiens, *litteris, universos, qui illic erant, Fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronuntiat*: atque ita Eusebium interpretatus est Rufinus, eumque ita etiam intellexit Socrates lib. 5. cap. 22, ut vel ipse Valesius vidit. Neque propterea secum pugnare videri potest Eusebius, quum S. Victorem dicit conatum esse Asianos abscindere: nam & abscidit, dum eos revera sua a communione removit; & conatus est abscindere, dum ab eorum communione Episcopos ceteros removere etiam studuit. Nicephori, qui lib. 4. cap. 38. apertissime tradit anathematis telum a S. Victore in Asianos fuisse revera intortum: *Quam ob caussam*, inquiens, *& subito litteras conscripsit* (S. Victor), *quibus illos* (Asianos) *publice notabat, omnesque simul a communione prohibebat*: unde mirari valde subit Eusebium, & Nicephorum ab adversariis pro sua opinione prolatos fuisse: quorum similia habet quoque Auctor Synodici apud Labbæum tom. 1. Concil. pag. 600. a S. Victore Polycratem anathemate plexum affirmans. S. Nicolai I. tandem, qui in epist. 9. ad Michaelem Imperat. constantissime asserit a S. Victore Asianos, eidem Pontifici morem gerere circa Paschatis celebrationem renuentes, ab Ecclesiæ communione fuisse abscissos. Esto ergo S. Irenæus Pontificem fuerit deprecatus, ne in tot Asiæ Ecclesias excommunicatione animadverteret, vel non est exauditus, uti quidam existimant iccirco, quod putent post acceptas a S. Irenæo litteras S. Victorem in Asianos anathema distrinxisse: qua in re S. Victori magis ex officio agenti, nec nisi diligenter perpensa rei gravitate, de qua agebatur, quam S. Irenæo de rei æquitate subdubitanti, sententia adhærere satius arbitrarer: vel exauditus est hac ratione, uti quibusdam visum est, ideo quod, persuasi S. Victori litteras S. Irenæi redditas non fuisse, nisi post latam jam in Asianos sententiam, Pontificem in sententia non perstitisse autumant, sed Asianis paullo post communionem, pacemque restituisse. Quo alterutro modo plane intelligi commode possunt idem S. Irenæus, Firmilianus, S. Hieronymus, Photius, & Anatolius Laodicænus horum similia loquutus apud Bucherium pag. 444; videlicet pronum est putare loquutos illos fuisse, aut eo de tempore, quo cum Asianis pax adhuc

 inte-

integra consistebat, antequam a Pontifice abrumperetur; aut de eo, quo pax Asianis ad preces S. Irenæi demum reddita est.

Ad 2. repono ex facto pessime argumentari Adversarios; quandoquidem argumentum ipsosmet magis, quam nos premeret, & ad incitas adigeret. Præterquam enim Polycrates etsi pertinax id a Pontifice non recte quidem factum reposuit, sub gravissima pœna Asianos a prisco ritu suo Pascha recolendi prohibendo, potestatem tamen ita faciendi non ivit inficias; quam reprehensionem prætermissurum non fuisse hominem in proposito obfirmatum, si vel levis adfuisset de Pontificis hac potestate dubitandi locus, nullus dubito, S. Victoris sententiæ tum aquiescere Asiani non modo noluerunt, sed neque subinde Synodi Nicænæ sanctioni, post quam in errore permansisse adhuc Syros, Cilices, & Mesopotamenos perhibet S. Athanasius lib. de Synodis, ac longe post Pictos quoque, Scotos, ac Britones tradit V. Beda lib. 2. hist. Angl. capp. 2, & 19, ac lib. 3. capp. 3, 4, 17, & 24. Exinde vero arguere ne est istis omnibus persuasum fuisse, quod Ecclesia universalis prærogativa infallibilitatis careat, potestateque obligandi omnium fidem, obedientiamque? Deinde, si istos demas, qui Pontificiæ suam præferre sententiam non sunt veriti, ceteri omnes per orbem Episcopi sive Orientis, sive Occidentis in S. Victoris sententiam utique communi voto convenerunt: quam igitur Pontifici M. detractam prærogativam ex paucorum inobedientia volunt Adversarii, nos Pontifici eamdem adsertam potiori jure ex omnium ferme accessione, obedientiaque adstruimus. Præterea Adversarii dum ab Asianis S. Victorem neutiquam infallibilem fuisse creditum contendunt, ab iisdem Asianis pariter nequaquam ab errore immunes reputatos fuisse Episcopos quotquot S. Victori adhærentes affirmare coguntur: atque ita Asianos eo deterrimo in errore versatos, juxta Adversarios, oportet, ut Ecclesiam universam errare posse putarint. Viden, ut quas demum in ambages præpostéra ipsis animo infixa opinio Adversarios conjiciat! Postremo Controversia de Paschate, prout S. Victori cum Asianis erat, non ad fidei dogma, sed ad caput disciplinæ spectabat, Adversariis affirmantibus, aut spectare censeri potuit, sicut in simili diximus alibi de quæstione circa Anabaptismum; eaque

que de re S. Irenæus ab irrogando in Asianos anathemate ut sibi temperaret, S. Victori auctorem se præbuisse existimari potest, eam in rem proposito suorum Prædecessorum exemplo, qui Asianos propterea ab Ecclesiæ unitate abscindendos non putarant. Quorsum ergo ex facto ad disciplinam pertinente, vel saltem pertinere reputato, argumentum traducitur ad factum spectans ad fidei dogmata, in istoque haud infallibilis deducitur Pontifex, eo quod in illo falli, & fallere non sit nescius? Verbo: cur a facto circa disciplinam gradus fit imprudentissime ad factum circa dogma, nisi quia pessimæ causæ patronis meliora sane momenta non suppetunt? Sed de hac controversia hactenus.

Ad alteram accedo non minus celebrem Controversiam, quæ circa pacem Lapsis in persecutione Decii concedendam, aut denegandam emersit: hinc contendentibus Lapsis Ecclesiæ communionem sibi reddendam, etsi lapsum prævia pœnitentia nondum eluissent, multoque magis, si a Confessoribus Libellum impetrasent: illinc S. Cypriano, ejusque Collegis negantibus iisdem Lapsis Communionem, donec præfinitis pœnitentiæ legibus fecissent satis; Confessoribus vero vitio dantibus, quod in concedendis Libellis faciliores, quam par foret, se præberent. Cui controversiæ, ut clarius ejusdem exitus, exindeque Pontificis Romani jus in ejusmodi controversiis dirimendis innotescat, brevis est præmittenda tum Libellorum, tum Lapsorum notitia. Libelli igitur, qui Lapsis a Confessoribus concedi solebant, litteræ erant, quas Lapsi a Confessoribus in carcere detentis accipiebant ad Episcopos, a quibus in fidelium consortium admitterentur. Tanto siquidem in honore habebantur Confessores, quorum nomine veniebant Martyres designati, ut illorum preces repellere, aut ab illis commendatos despicere, invidiosa res, ac ferme inhumana Episcopis videretur; sicuti fide affirmant sua S.Cyprianus in epist. 11, 13, 14, 15, 18, 19, 20, 23, & 29; ac Tertullianus in lib. ad Martyres, & lib. de pudicit. cap. 21. Eorum, qui Christum confessi fuissent, quadruplex gradus fuit: illorum, qui Extorres, illorum, qui Professores, aliorum, qui Confessores, & tandem qui Martyres dicebantur. Extorres ii erant, qui ne Christum negare cogerentur, neve per ipsos Religio dispendium subiret, spon-

spontaneo exilio se subtrahebant: ita non verbo, sed facto Christum confitebantur. Professores ii dicebantur, qui non interpellati Martyrio se ingerebant: Confessores, qui licet Christum confessi, ac carceri mancipati, nondum tamen quæstioni fuissent addicti: Martyres denique alii designati, qui a Confessoribus non differebant; alii consummati, qui pro Christo mortem objissent; alii vindicati, qui nempe ab Ecclesia eorum Martyrio, & caussa Martyrii discussis albo SS. Martyrum forent adscripti. Porro Confessores Lapsis pacis libellos tribuentes pacem illis non concedebant, sed Episcopis pro Lapsis supplicabant, ut concederent. Confessorum autem gratia aliquid de Ecclesiasticæ disciplinæ rigore Lapsis Episcopi relaxabant. Constat id ex S.Cypriano in epist. 11. ad Martyres, 12. ad Populum Carthagin., 14. ad Clerum Carthagin., 15, & 23. ad Clerum Romanum: ex Conciliis Illiberitano Can. 25, & Arelatensi I. Can. 9. Qua in re fides non adhibenda Tertulliano Montanistæ est, qui lib. de pudicit. cap. 22, ut Ecclesiæ disciplinam hancce in invidiam vocaret, finxit a Confessoribus potestatem dimittendi peccata fuisse usurpatam, atque Lapsis impertitam absolutionem, id Ecclesia dissimulante, aut illis deferente.

Quandoquidem vero, quia Confessores nimia Lapsorum importunitate aut decepti, aut permoti vel pro omnibus indiscriminatim, vel pro his, quibus ob flagitiorum multitudinem, aut gravitatem potius quam relaxari, pœnitentiam augeri deceret, apud Episcopos sequestres agerent, disciplinæ Ecclesiasticæ rigor in dies enervari videbatur, solemne esse cœpit Episcopis qua verbo, qua litteris, qua Diaconis directis Confessores monere, ne in dandis libellis pacis præter modum Lapsorum petitionibus adnuerent, atque ita sub obtentu indulgentiæ, ingens disciplinæ Ecclesiasticæ vulnus inferrent: quam in rem legendæ epistolæ S.Cypriani 10. ad Clerum Carthag., 11. ad Confessores, & Martyres, ac 12. ad Plebem fidelem. Quia vero Confessorum quorumdam eó quoque devenerat indulgentia, ne dicam imprudentia, ut indistincte libellos darent his verbis conscriptos: *Communicet ille cum suis*: etiam ullo absque delectu, nullo præhabito Episcopi assensu, nullaque præscripta temporis ratione, propterea id pa-

id pariter cautum ab Episcopis est, ut in libellis nominatim designarentur Lapsi, quibus pacem indulgeri postulabant; iis dumtaxat libelli darentur, quorum proxima satisfactioni pœnitentia esset; nec nisi ad Episcopi nutum, penes quem esset pœnitentiam pro modo culparum ad preces Confessorum aut retinere, aut remittere; nec nisi vim haberent hujusmodi libelli, nisi ab eorum obitu, ac post sedatam persecutionem, eo tamen excepto casu, quo ante peractam pœnitentiam, ac redditam pacem, in mortis discrimen venissent Lapsi, quo casu plena concedebatur indulgentia. Constat id ex cit. S. Cypriani epist. 10. ad Clerum Carthag., 12. ad Confessores, 13, & 14. item ad Clerum suum, & 15. ad Clerum Romanum. Lapsi quoque quadruplicis fuerunt generis: alii siquidem Sacrificati dicti sunt, qui hostias Idolis immolassent, vel immolatas gustassent: alii Thurificati, qui scilicet thus Idolis adolevissent: Idololatræ æque omnes, qui quemlibet Religionis cultum soli Deo proprium Idolis publice impendissent: Libellatici, qui ut tormentis se eriperent, soluta pecunia libellos securitatis a Magistratibus impetrassent, eorum lapsum, & cultum Idolis adhibitum attestantes, quo modo ab inquisitione abirent immunes; aut qui apud Acta scripto testati fuissent se Christum ejurasse, ac Idolis studere, quales describit Plinius ad Trajanum lib. 10. epist. 97. scribens. Qui pecunia numerata dimissionis libellos emissent, absque mentione ullius in Religionem flagitii, ab omni lapsu immunes habuit S. Petrus Alexandrinus in suis de pœnitentia Canonibus can. 12, ea quidem rationis specie, quod pecunia redimi injusta vexatio possit: exemplo quoque eorum, qui in actis Apostolorum leguntur pro Paulo, & Silla traditi datis pecuniis fuisse dimissos.

Jam vero ex Lapsis plurimi, ex Presbyteris quinque, scilicet Felix, Fortunatus, Iovinus, Maximus, & Repostus, qui & ipsi fuerant lapsi, ex Confessoribus insuper Lucianus quidam nomine, in S. Cyprianum, ceterosque Africæ Episcopos audaciter insurgentes, Lapsis omnibus pacem concedendam, quam omnibus datam a Paulo quodam Confessore dicebant, propugnarunt: eò imo audaciæ prorupit Lucianus, ut cunctorum nomine Confessorum libello conscripto pacem cunctis Lapsis concesserit: eò item.

item audaciæ processerunt Lapsi, ut obtentis a Confessoribus libellis in Episcopos impetum facientes, communionem, nulla præhabita satisfactione, per vim extorquerent. Seditionis itaque sedandæ, controversiæque compescendæ gratia S. Cypriano, & ceteris Africæ Antistibus, ceu in re maximi momenti adeunda Sedes Apostolica, aut, ea vacante, Romana Ecclesia vacantis Sedis jura exercens, visa est. Itaque suo, & Collegarum suorum nomine inscriptis ad Romanum Clerum litteris 15, 20, 23, & 29. eumdem certiorem fecit tum turbarum, quas in Africa Lapsi excitarant, tum temeritatis, qua iidem Lapsi sub obtentu libellorum, quos a Confessoribus impetrassent, Ecclesiæ communionem, nulla præhabita satisfactione, prætendebant: tum decreti fiduciarii ab se, & Collegis suis editi, quo Lapsi jubebantur legitimam, consuetamque subire pœnitentiam, donec sedata persecutione celebrari posset Concilium, in quo discussis eorum caussis, cuique pro criminis gravitate imponeretur pœnitentia. Rescriptis Romanus Clerus ad S. Cyprianum litteris inter Cyprianicas 30, & 31. S. Cypriani sententiam confirmavit, de cetero nihil ante creationem Pontificis innovandum decernens: sed erga Lapsos interea se ita gereret juxta Romanæ Ecclesiæ disciplinam, ut iis qui moras possent dilationis sustinere, communio suspenderetur, intereaque pœnitentiæ subjicerentur; infirmis vero ad vitæ finem vergentibus, si vere pœnitentis animi signa proderent, pax non denegaretur. Quæ omnia gravibus firmata rationibus in Orbem universum directa fuisse, atque in notitiam Ecclesiis omnibus perlata idem S. Cyprianus in epist. 52. ad Antonianum perhibet. Porro Clerum Romanum jus sibi asseruisse vacante Sede Apostolica in Ecclesias omnes, partiumque esse suarum existimasse rem, ac disciplinam Ecclesiasticam ubique, ac in Africa quammaxime, ob persecutionis tempestatem procurare, liquido constat ex laudatis ad S. Cyprianum epistolis, quibus tum Ecclesiarum omnium sollicitudinem sibi incumbere scribit; tum Carthaginensi Ecclesiæ, ac S. Cypriano regulas disciplinæ religiose observandas præscribit, rationibusque optimis illum informat, quibus se erga Lapsos gerere deberet: tum in epist. 30. de Privato Lambesitano loquens refert hunc sibi obrepere, ac fraudulen-

lenter litteras communionis elicere ab se tentasse; laudat vero S. Cyprianum, quod juxta morem in Ecclesia sacrum, ad Romanum Clerum eumdem Privatum, ejusque caussam detulisset: *Pro tuo more*, inquiens, *fecisti, qui rem nobis sollicitam nunciare voluisti*. Idem jus in Romano Clero, in eumdem procul dubio a Romano Pontifice transfusum, agnovit idem S. Cyprianus, vir alioquin Episcopalium jurium tenacissimus: siquidem Lapsorum caussam ad illum fuisse referendam existimavit: ab se actorum, aut agendorum qua relationem, qua legem Clero Romano aut reddendam, aut ab eo expectandam agnovit, ita enim in epist. 15. scribit: *Necessarium duxi has ad vos litteras facere, quibus vobis actus nostri, & disciplinæ, & diligentiæ ratio redderetur*: & in epist. 13, *Ut sciretis*, inquit, *& laborem circa omnia & diligentiam nostram, & veritatem ipsam disceretis*. Quinimo in epist. 52. ad Antonianum Romani Cleri decreta in Africa non modo, sed in ceteris etiam Ecclesiis vim legis obtinuisse diserte scribit. Multo magis igitur id juri Pontifici Romano adseruit idem S. Doctor.

Enim vero, ut mox innuimus, circa Lapsorum controversiam a S.Cypriano, Romanoque Clero id modi rite initum fuerat, ut fiduciario decreto Lapsos expectare debere, donec creato Pontifice, sedataque persecutione ipsorum causa discuteretur, statuerint. Quum igitur Pontifex electus est S. Cornelius, ac Decii persecutio sopita, confestim tum a S. Cornelio Romæ, tum a S. Cypriano Carthagine Concilia celebrata sunt, in quibus peremptorio decreto statutum fuit: Communione Libellaticos quidem fore cohonestandos, Sacrificatos non etiam, sed eis plenam agendam pœnitentiam, ita tamen, ut ipsis, morte instante, absolutio non denegaretur. Et certe S. Cyprianum existimasse nihil sibi ea in caussa statuendum, nisi expectata S. Cornelii sententia, exinde constat, quod non prius pro Lapsorum caussa Carthagine Episcoporum copiosam indixit Synodum, nisi postquam a S. Cornelio litteris acceptis, ejusdem perspectam habuisset sententiam: celebrato vero Concilio decreto de Lapsis Romam ad S. Cornelium directo, ejusdem comprobari etiam calculo efflagitavit, quatenus compertum ei esset Conciliorum decreta nihil

valere, nisi Apostolicæ Sedis iisdem accessisset auctoritas. Confer ejusdem S. Cypriani epist. 52. ad Antonianum, cui acceptum debetur Concilii Carthaginensis decretum de Lapsis, ubi etiam testatur a S. Cornelio in Synodo Romana confirmatum fuisse hujusmodi decretum Carthaginensis Synodi, atque epist. 55. ad S. Cornelium, qua rerum ab se ea in caussa gestarum certiorem facit, redditque ex officio rationem. Iis de caussis tum Carthagine contra S. Cyprianum a Felicissimo, & Fortunato Presbyteris, tum Romæ contra S. Cornelium a Novatiano, & Novato schisma ad invidiam conflandam creatum fuit, sive istis, sive illis in oppositum errorem concedentibus: siquidem Lapsis protinus, quin prævia ulla pœnitentia crimina diluisent, Ecclesiæque pacem demeruisent, communionem esse concedendam, & quidem absque ullo proprii gradus dispendio, foresque Ecclesiæ patere debere affirmabant Felicissimus, & Fortunatus: e contra ab Ecclesia Lapsos in persecutione, etiam post actam pœnitentiam, recipi non posse, imo cuicumque etiam crimini post Baptismum patrato nullam ab ea tribui veniam posse asserebant Novatus, & Novatianus: eos tamen omnes tum Romæ S. Cornelius, tum Carthagine S. Cyprianus Synodis celebratis diris cunctis devoverunt: S. Cornelii vero sententiæ contra Novatianos latæ studens S. Demetrianus Antiochiæ Episcopus Synodo Antiochiæ habita, cujus meminit Libellus Synodicus, Novatianum errorem est execratus. Execratas etiam eumdem errorem ducibus earumdem Episcopis, ac maxime S. Dionysio Alexand., Ecclesias Cæsareensem, Æliensem, Tyriam, Laodicenam, Tarsensem, Cappadocem, Syram, Arabicam, Mesopotamenam, Ponticam, Bithynicam palam fecimus in proleg. Adeundi Eusebius lib. 6. cap. 34, & lib. 7. cap. 3; & S. Cyprianus in epistolis 42, 46, 47, 48, 49, 52, 54, 55, & 68. Cum S. Stephano Pontifice Maximo fuit postea S. Cypriano gravissima de Anabaptismo controversia, de qua quia par. 1. art. 8. in proleg. satis dictum, atque demonstratum ex ea nihil Pontificio juri detractum, imo magis magisque idem Pontificis Maximi jus suo positum loco, & pomeridiana luce clarius propalatum, non est cur de ea iterum dicatur.

De controversia sæculo IV. labente excitata circa doctrinam Ori-

Origenis, quam multi omni prorſus ab errore vindicare adnitebantur, aliis viciſſim eamdem ceu multis erroribus aſperſam accuſantibus, quia diſputandi copioſius alibi mihi opportunior incidit locus, id unum heic indicaſſe, ſummiſque veluti attigiſſe digitis ſufficiat, controverſiam hancce, hujuſve occaſione ingentem tempeſtatem exortam, nonniſi Pontificis M. auctoritate compoſitam fuiſſe, tandemque ſedatam. Equidem pacandis turbis, quibus occaſione librorum Origenis Alexandrina præſertim Eccleſia fuerat exagitata, Concilio Alexandriæ convocato Theophilus impenſe ſtuduit: quin etiam Synodica ad Epiſcopos Palæſtinæ exarata ad idem ſtudium adverſus Origenis errores eoſdem accendere conatus eſt; qui perinde Hieroſolymis in Synodum convenientes operam impenderunt omnem, ut tempeſtatem, quam diverſæ, & adverſæ de Origenis doctrina opiniones, in Palæſtinæ Eccleſias pariter invexerant, tandem comprimerent, ac priſtinam conciliarent tranquillitatem. Turbas tamen, quæ Orientis Eccleſias divexabant, indeque ad perturbandas Eccleſias Occidentis tranſierant, penitus compeſcere, ac profligare; homines in utraque Eccleſia doctrina, ac dignitate ſpectatiſſimos, qui in partem utramque, ingentique animorum æſtu, pugnabant, componere, mutuumque ad officium perducere; verbo, controverſiæ quam diræ, tam diuturnæ optatiſſimum tandem imponere finem, unius Pontificis S. Anaſtaſii I. votis, auctoritatique præſtantiſſimæ ceſſit, atque ſucceſſit, adeo ut ab eo tempore, quo a Pontifice M. quæſtio definita eſt, non abſque inſigni temeritatis nota Origenis doctrina adſtrui, defendique a quopiam potuerit. Synodicam porro, quam e Concilio Alexandrino ad Palæſtinæ Epiſcopos Theophilus dederat, quamve S. Hieronymus e Græco Latine reddidiſſe affirmat lib. 3. adv. Rufinum, eamdem eſſe cum epiſtola Paſchali ejuſdem Theophili, qua Origenis errores fuſe exponit, & confutat, quamve idem pariter S. Hieronymus in Latinum e Græco tranſtulit, olim perſuaſum fuerat Labbæo, Baluzio, Pagio, quin etiam Coleto. At ab his utique hucuſque oppido erratum oſtendunt viri doctiſſ. Vallarſius, & Manſius, a quibus genuina illa Synodica ex Codice Mſ. Bibl. Ambroſianæ deſcripta eſt, atque ab illo in nova edit. oper. S. Hieronymi inter

 ipſius

ipsius epistolas n. 92. collocata; ab isto vero exinde in supplem. Concil. tom. 1. pag. 261. translata: quo pariter loci pag. 271. ex eadem Vallarsii edit. Veron. oper. S. Hieronymi regerit epistolam 93, quæ est Synodica ab Episcopis Palæstinis e Concilio Hierosolym. eodem anno 399, ut Mansius ostendit, non autem 401, ut censuit Pagius, ad Theophilum rescripta, ab eodem S. Hieronymo Latine reddita, atque ex eodem Ambrosiano Codice a Vallarsio relata. Sæculo VI. subinde reviviscere visa est eadem controversia: nam Nonnus Origenianæ doctrinæ pertinacissimus defensor, unaque cum ipso Theodorus Cæsareensis, & Domitianus Ancyranus eisdem partibus homines cujusque genus adsciscere, Origenique facere studentissimos adnixi sunt. Verum a Monachis delata Origenis doctrina, una cum ejusdem defensoribus, ad Justinianum Imperat., ab isto vero ad Patriarchas, ac præsertim ad Vigilium Pontificem M., tum ab illis, tum ab isto decretorio judicio doctrina Origenis damnata est; eique damnationi universa adquievit Ecclesia. Legendus Liberatus in Brev. cap. 23: Bossuetio vero hinc avide occasionem arripienti Pontificis Romani privilegiis obtrectandi alibi offendam.

Siquæ unquam magno utrinque animorum æstu fuit exagitata, in quave maxime Apostolicæ Sedis summa resplenduit auctoritas, controversia fuit circa eam propositionem: *Unus e Trinitate in carne passus, sive Crucifixus est*, quam pro aris, & focis defendebant Monachi Scythæ adversus Monachos Acœmetas, a quibus Scythæ in suspicionem Eutychianæ hæresis vocabantur, ac vicissim a Scythis Nestorianæ hæresis dica Acœmetis scribebatur. Desperatissimæ controversiæ peremptorio decreto finem imponere ad unius Pontificis spectasse partes suadet tum postulata sententia a Scythis, ab Acœmetis, a Justino, ab Justiniano, a Vitaliano, ab Epiphanio, a Possessore, a Victore, a Dioscoro, a Legatis aliis, a Ferrando, a Maxentio; tum sententia ipsa prolata a S. Hormisda, a Johanne II, a S. Agapeto, a Vigilio, a S. Martino I. Enim vero Constantinopolim appulsis S. Hormisdæ Apocrisariis, festinatò Monachi Scythæ fidei suæ libello oblato propositioni suæ assensum ab illis extorquere enixi sunt: a quibus repulsam passi, quod zelo tam præpostero, quam pertinaci

naci eam propositionem urgerent ad seditionem usque, propositionem inculcaturos apud Pontificem, selectos socios Achillem, Johannem, Leontium, & Mauritium Romam miserunt. Qui si interea, dum e Pontificio Tribunali penderet caussa, operam dederunt trahendis in partem Africanis Episcopis a Trasamundo Vandalorum Rege Ariano in Sardiniam relegatis, libroque *De Incarnatione*, *&* *Gratia* conscripto in eorumdem gratiam se insinuarunt, ut ipsorum fides accepta illis foret, impetrarunt, quin etiam, ut laudibus celebraretur illorum nomine a S. Fulgentio in altero ejusdem argumenti libro, scilicet *De Incarnatione*, *&* *Gratia* iisdem Scythis inscripto, (ubi de Romana Ecclesia eximia sentire, & eximia loqui S. Fulgentium suo loco observatum est.) Qui si tandem morarum impatientes, antequam judicio experirentur, Roma fuga subduxerunt se se, totum id nihil importat, quo præjudicium inferre Pontificio juri voluerint, sed morem illorum dumtaxat imitari maluerunt, qui caussæ suæ patronos, ac suffragatores, quamvis pernobiles frustra quæsivisse percipientes, caussamque præjudicatam, ac periclitantem intuentes, quum alter effugii locus haud patet, id desperati consilii capessunt, ut judicio fuga se surripiant. Quod apud S. Hormisdam Scythæ, idipsum apud Johannem II. Acœmetæ refugium interjecere, qui suis Romam missis Cyro, & Eulogio, Scytharum assertum a Pontifice condemnari, & proscribi curarunt. Itaque caussa stare, aut cadere utrique intelligebant, prout cadere, aut stare Pontifex jussisset.

Justino, ac Justiniano consilium idem ipsum insedit. Justinus enim in epist. ad S. Hormisdam totius negotii exitum in Pontifis arbitrio esse positum recognoscens, congruum ab eo, concupitumque responsum repoposcit, quo tandem è medio tolli circa propositionem illam dubitatio omnis posset. Et sane ejusmodi in Justino propositi judicio Pontificis se integre permittendi testis est locuples idem Pontifex in epist. 79. ad ipsum rescripta; testis est præterea Justinianus postea Imperator, tum vero Magister Militum, qui nec alteram ab Justino præferebat sententiam, a qua profecto neque discessit, quamvis mutato consilio Monachis Scythis, quibus pridem adversabatur, postea fuerit patrocinatus.

tus. Enim vero in epistolis ad S. Hormisdam tum suo, tum Justini nomine inscriptis supplex accessit sæpe, sive ut Scythis Romam pro rescripto profectis *Firmissimum responsum* daret, quo ad pacem Ecclesia Orientalis componeretur; sive ut sibi ideo scribenti, petentique sententiam aperiret suam, quam ab se habendam tanquam regulam fidei indeflectibilem spondebat: *Id credimus Catholicum, quod vestro religioso responso fuerit intimatum*: quo habito fore, ut Ecclesia universa in fidei unitatem coalesceret, sperabat; neque opera committendum sua pollicebatur, ut abeo transversum unguem vel ambigendo quispiam abluderet, adeoque ut, ne ullus amplius dubitationibus, aut disputationibus pateret locus, esset permissurus. Vitaliano Magistro Militum, atque Scythis addictissimo non alia inerat sententia; siquidem una eademque ipsi, atque Justiniano agendi erat ratio, una cum quo auctor Possessori fuit, ut S. Hormisdam Pontificem M. tum de hac propositione, tum de Fausti Regiensis libris percontaretur. Percontatus is igitur præclaris verbis illis, suum plane in fide Pontificis integre conquiescentem animum significantibus: *A quo magis est nutantis fidei stabilitas expetenda, quam ab ejus Sedis Præside, cujus primus a Christo Rector audivit*: Tu es Petrus &c., pro rescripto celebrem retulit epistolam 70, ex qua intellexit periculosum æque, ac perniciosum esse maxime novas circa fidem agitare quæstiones, sibique ab ea Scytharum exagitanda propositione abstinere satius esse, ac salubrius. Quod pro consilio fecit Possessor, idem pro officio præstitit Epiphanius Constantinopolitanus Episcopus, qui sua e re esse non nesciens turbis hisce consulere, non alia sibi potiori consulendum ratione est ratus, quam illas ad Pontificem referendo, deque illis a Pontifice præstolando responsum. Atqui Pontifici aliud inerat propositum, scilicet ratus satius esse a peremptoria circa propositionem illam abstinere sententia, rescripsit conquiescendum esse in Concilio Chalcedonensi, ac in litteris S. Leonis: qui amplius desideraret, cum apage sic contendere amantem.

In hæc vestigia incedebat Victor Diaconus Scytharum iccirco acerrimus insectator, quod Concilii Chalcedonensis auctoritatem ab ipsis infringi arbitraretur, qui vicissim a Scythis de fide dela-

delatus ad S. Hormisdam, ab hoc vero Romam in judicium postulatus, tum responsurus his, quæ a Scythis objicienda forent, tum certum facturus Pontificem de germana, quæ Scythis hæreret sententia, veluti liquet ex epist. 67. ad Justinianum, Pontifici obedire officii loco habuit, haud ignorans piaculi summi esse genus nolle adquiescere. Dioscorus S. Hormisdæ Legatus, & ipse pariter Scythis infensus, postquam illos ad Pontificem de subiesta fide, ac proclivi ad turbas indole detulisset, vicissim ipse ab illis de fidei suspicione delatus, elucubrata fidei professione apud Pontificem ab omni erroris suspicione se expurgare studuit, paratissimum se exhibens ad aliud præterea dogma quodlibet amplexandum, quod Pontifici esset acceptum: *Exponente*, inquiens, *vestra Beatitudine, necesse est me sequi.* Sed & in communi ad eumdem Pontificem epistola Legati professi sunt: *Nobis quod visum est, scripsimus*: *in vestra potestate est deliberare, quod Vobis Deus imperaverit*, inter epistolas S. Hormisdæ 2. post 62. De hac ipsa quæstione a Severo inquisitus Ferrandus Diaconus, respondit interrogandum potius Apostolicæ Sedis Antistitem: *Cujus sane*, inquit, *doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis*. Denique Johannes Maxentius Scytharum defensor acerrimus, equidem in S. Hormisdam scommata multa ore maledicentissimo effudit, ejusdem epistolam ad Possessorem scripto lacessivit, Pelagiani erroris afflare labe eamdem nec extimens: nihilo tamen minus volens, nolens, nec sibi constans tam Pontificem ab omni procul erroris abesse periculo affirmat, quam Pontificii judicii pondus ejusmodi esse, ut parendi omnibus incumbat necessitas, agnoscit. Principio enim pernegat eam epistolam Hormisdæ esse fœtum, sed potius ab hæreticis venerando ejus nomini fuisse suppositam, quam ex fide Maxentii fictam revera credidit Cochleus, ac præ ista Maxentii epistolam acceptam habuit, operibusque S. Fulgentii adnexuit. Quorsum id? Equidem ut liberius, atque licentius in epistolæ auctorem stylum acueret, ac impune sævidicta effunderet: at quia pariter agnoscebat a probris sibi plane temperandum erga Pontificem, ut qui lædi, ac lacessiri dicto, aut scripto, absque grandi piaculo, nequiret. Præterea totus intento nervo in id incumbit, ut ostendat a Pontifice

tifice circa celebrem propositionem nihil contra decretum, in eo tamen peccatum gravissime, quod Scythis Monachis Romam profectis, a Romanoque Pontifice responsum quærentibus dare distulerit, rectumque veritatis indicare tramitem neglexerit. Quorsum hæc iterum, nisi quia perspectissima ei erat Pontificis infallibilitas, ac suprema jurisdicendi potestas? Evidentior persuasio ista Maxentii fit ex his, quæ subjungit, nempe a Pontifice Scythas communione sua non fuisse abdicatos, quod certo argumento esse contendit Pontificem ab ipsorum propositione non abhorruisse; neque hoc fieri potuisse, si propositio illa a fide fuisset aliena: *Absit*, ajens, *ut ex qualibet parte Catholicæ professioni Romanus Episcopus contradicat*. Quibus ex verbis colligunt viri doctiss. Norisius in Apolog. Monach. Scyth. cap. 2. §. 4, Thomassinus dissert. 18. in Synodum Rom. an. 532. n. 7, & Orsius de auct., & infallib. Rom. Pontif. lib. 3. Pontificiæ infallibilitatis privilegium Maxentio probe fuisse persuasum: ut proinde virgula censoria a Cl. Berti notetur Labbæus, qui tom. 11. imprudenter Jansenistis adnumeravit, qui Maxentii, ac Scytharum patrocinium suscepissent, siquidem præter laudatos in censum istum venirent Lupus, Dionysius SanMarthanus, Duhamelius, Vasquesius, Ortega, & Petavius, ut adnotat vir doctiss. de Theolog. discipl. lib. 27. cap. 6.

Ad hanc Pontificis summam Controversias definiendi potestatem confirmandam plurimum confert prolata sæpe a Pontificibus de hac ipse quæstione sententia, de qua dicere secundo loco proposui. S.Hormisdæ itaque insolens visa est Scytharum petitio, intempestivaque propositio, neque nisi ab hominibus quietis impatientibus, ac indolis ad turbas, novasque res moliendas proclivis, ejusmodi quæstio præpostere mota, quæ turbandæ magis, quam ædificandæ Ecclesiæ erat idonea. Quare propositionem quidem examini non supposuit, suamque circa eam sententiam suspendit; in Schytas tamen ejusdem propugnatores ad seditionem usque asperrime invectus epist.70. ad Possessorem multis insectatus est, & perstrinxit, eosque tantum non hæreticos nominavit. Recteque sane, nam ea propositio revera varios in sensus a veritate devios, puta Arii, vel Eutychetis, distrahi poterat, de quibus agit

agit Lupus in Scholiis ad Synodum V. cap.10, ac reipsa sub ipsa Eutychetis sensus latere videbatur Acœmetis; nec enim latebat Petrum Cnaphæum Eutychianum hominem eo nomine a S. Felice III. in Synodo Romana fuisse reprehensum, quod unum increatæ, individuæque Trinitatis mortuum esse diceret; sub eademque propositione vicissim Arii latere sensum Trifolio Presbytero in epist. ad Faustum persuasum fuerat. Præterea ob eamdem propositionem tragœdiæ multæ, turbæque, in rei Christianæ perniciem semper, sive periculum vergentes, fuerant excitatæ, timendumque erat, ne majori cum periculo, aut pernicie exardescerent. Consopita eo modo controversia sub Johanne II. instaurata est, Scythis, & Acœmetis utrinque adversis frontibus sibi incurrentibus, cui Pontifex finem tandem imponere e re sua ratus, acceptis etiam a Justiniano stimulis, propositionem diligenter ante perpensam approbavit, ac contra pugnantes Acœmetas, nisi errore deposito, confestim decreto ab se edito assensum præberent suum, anathema pronunciavit. *Eos*, inquiens in epist.2. ad Justinianum, *ab omni Ecclesia Catholica esse jussimus alienos, nisi errore damnato, doctrinam nostram quantocius sequi, habita regulari professione, signaverint*: rationemque reddens, cur cum hominibus in luto hærentibus, tanquam cum hæreticis, districte adeo, severeque animadverteret: *Æquum quippe est*, subjungit, *ut qui nostris obedientiam minime accommodant statutis, ab Ecclesiis habeantur extorres*. Similia repetit in epist.3. ad Senatores. Johannis vestigiis insistens Vigilius eidem Imperatori exoptanti, expetentique tum ut tria Capitula proscriberet, tum ut eam propositionem comprobaret, ut quoquo modo faceret satis, tria quidem Capitula suo stare loco voluit, propositionem vero tandiu exagitatam probari sibi perhibuit. Denique S. Agapetus repetitis Justiniani precibus inflexus, Decessoris sui Johannis decreto confirmato, probatoque fidei Edicto ab Imperatore emisso adversus Nestorianos, Eutychianos, & Acœmetas, quotquot eidem fidei professioni ab se approbatæ repugnare deinceps præsumerent, ab Ecclesia projecit, extorresque a Sacrorum consortio pronunciavit: *Huic fidei*, inquiens, *quisquis contradicere præsumpserit, a Catholica communione se noverit alienum*. Hic itaque finis implicatissimæ quæstionis

istius, de qua si plura desideres adhuc, ut Doctis. Norisium in hist. Controv. *De uno in Carne passo* adeas, tibi auctor sum.

Post hæc vero mirari profecto subit tam fidenter, quam falso scripsisse Bossuetium defens. Decl. par.2.lib. 14. cap. 18, quod quamvis S.Hormisdas sententiam temperaverit suam, atque a quæstione dirimenda abstinuerit, nihilominus ab omnibus facile creditum Scytharum proscriptam fuisse propositionem; neque tamen ejusdem Pontificis epistolam ad Possessorem, qua ea propositio credebatur proscripta, prohibuisse, quominus Catholici ubique terrarum, ac præsertim in Oriente propositionem adversus Nestorianos inculcarent, adeo ut eam Edicto edito an. 533. duodecim annis, post datas Hormisdæ ad Possessorem litteras, Justinianus approbare fuerit compulsus, auctoribus, ut fieri solebat, Episcopis, ac præcipue Epiphanio Patriarcha Constantinopolitano: adeoque ex Ecclesiæ consensu invaluisse, ut eo solo obtinuerit, in eoque propterea solo plenam fidei certitudinem esse positam. Hoc præ aliis perhibuisse Ferrandum, ut qui in epist. ad Severum, postquam ea de propositione interrogandum principaliter Romanum Pontificem edixisset, interim tamen expectandum jussit: *Donec universalis Ecclesiæ auctoritate vel pronuntietur suscipienda, vel prodatur abjicienda*: Johannem Maxentium, ut qui in respons. ad epist. S. Hormisdæ Possessori inscriptam, postquam pernegasset eam epistolam Hormisdæ esse fœtum, ejusdemque auctorem esse hæreticum affirmasset, subtexuit, quod si Romanus Pontifex eam propositionem revera proscripsisset: *Nunquam eidem Dei Ecclesia adquiesceret; nunquam ut Episcopum catholicum veneraretur, sed omnino ut hæreticum execraretur*: siquidem eam sententiam universa amplectatur, & veneretur Dei Ecclesia. Quibus plane verbis privilegio infallibilitatis spoliatum Pontificem voluit: Justinianum, ut qui in Legatione, & litteris ad Johannem II, quibus Edictum ab se editum confirmari petiit, Pontificem non jam consuluit quid credendum, sed ut rem certam, atque exploratam retulit, cui nemo profecto, nisi *Judaice*, *&* *Apostatice* contradicat: unde rogavit, ut consensum ei adhiberet suum, ex quo, non vero ex privilegio infallibilitatis præjactato, Orientales Episcopi Romani Pontificis sinceram doctrinam exploratam habe-

haberent: *Plus enim ita*, inquit, *& circa Vos omnium amor, & vestrae Sedis crescet auctoritas, & quae ad nos est unitas, sanctarum Ecclesiarum inturbata servabitur, quandq per Vos didicerint omnes Beatissimi Episcopi eorum, quae ad Vos relata sunt, sinceram Sanctitatis vestrae doctrinam.*

Atqui ex toto historiae contextu, rerumque in hac caussa gestarum serie liquido, aut ego fallor, adparet, aut falsa a Bossuetio assumi, aut vera in alienum sensum intorqueri. Enim vero, ut paucis dicta repetam, abs vero procul abest, quod sive in Oriente, sive in Occidente existimatum fuerit a S. Hormisda Scytharum propositionem fuisse proscriptam in epist. ad Possessorem. Quis enim, quaeso, id existimasset, quum ne existimaret, ad id satis superque esset lectio ejusdem epistolae, in qua plane suo propositio loco relinquitur? Non id existimarunt sane in Oriente Maxentius, ex eo probans eam propositionem non fuisse damnatam, imo potius ab ea Pontificem haud fuisse alienum, quod cum Scythis eam propositionem constantissime propugnantibus, communionem non absciderit. Non Justinus, non Justinianus, non Epiphanius, quandoquidem quum epistola S. Hormisdae ad Possessorem die 13. Augusti an. 520. data fuerit, si ab ea propositionem proscriptam existimassent, non fuisset cur postmodum eumdem Pontificem rogarent etiam, atque etiam, ut circa propositionem illam sententiam aperiret suam, finemque quaestioni faceret: siquidem litterae, quibus hanc in rem sollicitatus S. Hormisdas fuerat, datae leguntur 31. Augusti, & 13. Septembr. an. 520, quae nec ante Novembris exitum Hormisdae redditae fuerunt, ut constat ex nota earum receptionis ibidem addita; imo Justinianus alteram ob idem votum anno 521. exaravit: quibus quia nequaquam fecisset ille satis, propterea ab iisdem rogata iterum cum Johannis II, tum S. Agapeti sententia est. Nec id magis existimarunt in Occidente S. Fulgentius, unaque cum eo exules Africani Episcopi, quorum ipse ad Scythas rescripsit sententiam, siquidem vel prorsus ignarus fuit motae in Oriente, Romamque delatae controversiae, cujus nec meminit eo in responso ad Scythas Monachos. Nec Anatolius Romanae Ecclesiae Diaconus; siquidem de ea propositione, antequam probaretur a Johanne II, consuluit Fer-

randum. Nec Ferrandus, utpote qui de quæstione illa interrogandum præcipue jussit Pontificem. Nec Facundus, ut qui lib.1. cap. 3. multa quidem ad illam probandam propositionem congessit, cui tamen hæreseos dicam a S. Hormisda scriptam nec leviter significavit: sed nec veluti rem ab Ecclesia inter dogmata relatam, nisi post judicium latum a Johanne Pontifice. Nec Liberatus, de hac præsumpta S. Hormisdæ damnatione alte silens. Nec Johannes II, siquidem ne volam quidem rescripsit contrarium suo Decessori placuisse. Sed & S. Agapetus a Johanne eam propositionem utique probatam adnotavit; non item oppositam ab Hormisda.

Exinde parimode palam fit abs vero prorsus alienum, quod præfidenter, impuneque Bossuetius subinfert, videlicet unius Ecclesiæ universæ consensu eam propositionem, quin ullus ex parte Pontificis accederet calculus, obtinuisse. Sed id quibus demum suadere conatur? Uno Justiniani Edicto publici juris facto per Orientem, nec absque Orientalium Episcoporum, ac præsertim Constantinopolitani Patriarchæ consensione. Ergo ne ceu Ecclesiæ universalis sententia habenda erit solius Orientalis Ecclesiæ consensus? Exigua ne, ac pene contemptibilis pars erit Occidentalis Ecclesia, ut de ejus consensu non esset curandum; multoque minori in pretio habenda erat Romana, aliarum alioqui Mater, & Magistra, ut non explorata ejusdem sententia, sive etiam si in adversa sententia versaretur, unius tamen valeret Ecclesiæ Orientalis auctoritas? Ergo ne Ecclesiæ universalis, quæ est Corpus, non amplius pars, eaque præcipua, qualis est Caput, Romanus Pontifex erat habendus, adeo ut posthabita ejusdem auctoritate, præjudicata habenda esset illa propositio? Verumtamen nonne explorandam, expectandamque a S. Hormisda, ac deinde a Johanne sententiam fuisse, sive Epiphanius, sive Justinianus significarunt, atque Justinianus semel, ac bis Edictum ab se editum tum Johannis, tum Agapeti judicio supposuit, utque approbaretur enixis precibus efflagitavit, ut proinde tum demum dumtaxat obtinuisse propositio dicenda sit, postquam Johannis calculo probata fuit, quæ ante id tempus, idest toto decennio, quod ab obitu S. Hormisdæ ad Johannem II. intercessit, in partem utramque fuerat disputata,

tata, ut ostendit Doctiss. Norisius hist. Controv. *de Uno ex Trinitate in carne passo* cap. 8? Ex his postremo fit palam præpostera interpretatione fuisse usum Bossuetium, dum Ferrando, Maxentio, ac Justiniano suam appingit senteutiam, dum illorum germanam vel non est assecutus, vel aliorsum intorsit. Ferrandi, quæ fuerit de Romani Pontificis auctoritate sententia, adnotavimus, quam vero pariter animo præseferret de Episcopis, explicat in epist. ad Pelagium, & Anatolium Rom. Ecclesiæ Diaconos, ubi cap. 6. a Concilio Chalcedonensi neminem appellare jure potuisse scripsit, iccirco quod illi Sedis Apostolicæ accessisset auctoritas: *Qua consentiente*, ait, *quidquid illa definivit Synodus, accepit robur invictum*: & cap. 7. de Episcopis agens in Concilio congregatis, tum demum ab iis decreta obtinere subdit, quum ad Apostolicam Sedem delata ab eadem examinantur, & confirmantur: *Quæ finiuntur*, inquit, *judicantibus Episcopis Sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta diligentius examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, amplectenda sunt, in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent*. Ecce tibi unde Ecclesiæ universalis auctoritatem repetit, qua quidpiam vel recipiatur, vel respuatur! Maxentium, dum dixit sententiam suam in Ecclesia sacram haberi, morari Bossuetius non debuerat: æstu disputationis abreptum hominem tum veritatis, tum honestatis fines prætergressum non ignorabat, quandoquidem S. Hormisdæ sive putido mendacio epistolam 70. ad Possessorem abjudicarat; sive putidiori calumnia tum Nestorii, tum Pelagii calumniam afflare non exhorruerat. Dum autem dixit catholicæ professioni contradicere Pontificem nequivisse, propterea que epistolæ auctorem Hormisdam pernegavit, quid aliud animo reputavit, nisi quod in re fidei Pontifex falli, ac fallere omnino sit nescius, exinde haud inepte concludens S. Hormisdam ab illa propositione neque fuisse penitus alienum, siquidem Scythas communione sua cohonestasset? Is ergo casus, quem inepte de Pontifice hæretico fingit, quemve tanti Bossuetius facit, ejus generis est, quod ex hypothesi impossibili fieri, dicique a Logicis consuevit. Justiniani denique verbis, (quod non æquum agendi genus est), manifeste vim facit. Ab uno Johannis Papæ judicio pendere Ecclesiarum pacem, Episco-

Episcoporumque sententiam scripsit, rogans, repetitis subinde precibus ad Agapetum, propterea, ut tandem illud expromat, Edictumque suum approbet. Quorsum igitur fingitur Justinianus de Pontificis fide experimentum capere voluisse, quæ si minus explorata, sinceraque Episcopis Orientalibus evasisset, tum ab ea recedere eisdem religioni cederet? Quandoquidem non fuisset, cur de Pontificis sententia adeo solliciti essent, si hac haud stante adhuc, aut imo adversante, nihilo tamen minus suam tenere sententiam arbitrabantur, eoque in Ecclesia gradu auctoritatis eam propositionem esse constabilitam, ex quo a Pontifice nequidem detrudi posset. Ad hæc Epiphanius, Justinus, ac Justinianus S. Hormisdam eisdem litteris obsecrantes, ut in Ecclesiasticis diptychis nomina Episcoporum, qui ab Acacio decepti ejusdem olim communione se polluerant, retineri permitteret, intellexerant plane rerum fidei, totiusque Christianæ Reipublicæ summam unum penes Romanum Pontificem integram stare. Sed de his jam nimium, vereor enim ne ludam operam, si longior adhuc videar.

De quæstione mota circa tria Capitula, quæ gravissimas, si quæ alia, in Ecclesia tempestates excitavit, deque schismate hujusce quæstionis occasione conflato, a quo ingentibus veluti fluctibus quassata Ecclesia est, agere locus esset: sed quia de illa quidem par. 1. art. 2. §. 3, de isto vero hac par. 2. art. sup. satis, opinor, superque dictum est, non est cur denuo lectori creetur fastidium. Hac ipsa ratione plerisque hujus genus quæstionibus supersedendum mihi sum ratus, quod opportunior de eisdem agendi tom. seq. art. 9. §. 1. se mihi locus aperiet. Sed & hujusmodi quæstionum superabundans copia, ut ab improbo persequendi omnes labore temperarem, me compulit, earumque haberem delectum, in quibus Pontificiæ hujusce potestatis species illustrior se explicaret. Ad devexiorem itaque descendendo ætatem, sæculo XI. atrox in Ecclesia a Jurisconsultis nonnullis excitata controversia est, quæ exinde Incestuosorum hæresis nomine fuit notata, circa gradus consanguinitatis, eosdem enim propinquitatis gradus, contra Ecclesiasticas regulas, in Matrimoniis numerandos contendebant, qui in successionibus consanguineorum

rum

rum numerari consueverant, in argumentum erroris assumentes laicas leges a Justiniano vulgatas, adeo ut duo Fratres essent in 2. gradu, horum Filii in 4, & Nepotes in 6; sicque seriem genealogiæ finientes, in ceteris gradibus inferioribus connubia contrahendi facultatem facerent. Controversiam compescere S. Petrus Damiani pro viribus adnixus est, tum prolixa ad quemdam Presbyterum epistola, tum opusculo de parentelæ gradibus inscripto ad Cæsenatem Episcopum, & Archidiaconum Ravennatem, tum acerrima disputatione inita cum Jurisconsulto Florentino illius defensore. At controversia adeo a Jurisconsultis pertinaciter defensa, Incestuosisque ad pravum saporem faciens, S. Petri Damiani quidem scriptis vellicari, ac perstringi potuit, nisi tamen Pontificis M. opera penitus convelli, ac prosterni non potuit. Quo itaque efficaci modo demum ab Alexandro II. duobus anno 1065. Romæ celebratis Conciliis sive Jurisconsultorum error, sive Incestuosorum matrimonia explosa fuerint, exposuit S. Petrus Damiani in apolog. de contemptu sæculi, quæ est opusculum 12, cap. 29, fusiusque dicam seq. art. 9. §. 1. Quamquam si neque Pontificis decreto penitus deleri, eque vestigio profligari error potuit, eodem S. Petro Damiani teste, in caussa fuit prava Incestuosorum consuetudo, qua vix ac ne quidem vix fit, ut homines vitio hujusmodi implicati legum sive humanarum, sive divinarum frænis cohiberi, & ad frugem revocari queant.

Fodiendum nunc altius, subruendumque mihi a summo ad imum fundamentum, labidum alioqui valdequam ex laicis constructum legibus, quo suum Jurisconsulti errorem suffulciebant. Ad Romanum Pontificem itaque pertinere impedimenta Matrimonii statuere, aut relaxare, gradus propinquitatis stabilire, aut removere, deque his pro officio proferre judicium, prætet momenta gravissima producta a Duhamelio, Tournellio, Juvenino, Berti, sexcentisque passim de schola Theologis, religiose in Ecclesia recepta praxis ostendit. Sic enim S. Siricius in epist. 1. ad Himerium Monachos, ac Virgines Deo sacras a Nuptiis impedivit; quo impedimento velatas Virgines perinde affecit S. Innocentius I. in ep. 2. ad Victricium; qui etiam in epist. 9. ad Probum de impedimento ligaminis judicium protulit, virum priori uxori e captivita-

te

te reversæ adhærendum, dimissa secunda superinducta, declarans. S. Leo M. in epist. 92. ad Rusticum Episcopis, ac Presbyteris connubii ante ordinationem celebrati opus districte interdixit. S. Augustino Anglorum Apostolo interroganti de gradibus consanguinitatis, & cognationis S. Gregorius M. epist. 64. lib. 11. ind. 4. respondit, non habendam rationem legum Romanarum, sed vel tertia, vel quarta, ubi tamen multi Codices habent, sicuti & Gratianus C. 20. *Quædam lex* 35. q. 2, & 3, in quarta, vel quinta generatione connubio Christifideles licite, ac legitime conjungi; in secunda esse illicitum; cum Noverca copulari gravissimum esse flagitium; cum Cognata pariter conjugium esse prohibitum. Quamquam in epist. 3. lib. 7. ad Felicem Messan. scribit quadam œconomiæ specie cum Anglis recens ad Christiana sacra conversis sibi utendum ratus, circa illos gradus cum eis ab se dispensatum. S. Gregorius II. S. Bonifacio Mogunt. inquirenti de quadam muliere impotente respondit, dissolvendum matrimonium esse, modo matrimonium præcesserit, ac perenne sit impedimentum. Eidem vero S. Bonifacio iterum quærenti S. Zacharias a Gratiano relatus Can. 4. *Parentelæ* 35. q. 5. respondens, computandi gradus consanguinitatis rationem tradidit, quam postea Alexander II. Can. 2. *Ad Sedem Apostolicam* 35. q. 5, & Gregorius IX. Cap. *Vir, qui a stipite De Consang. & affinit.* comprobarunt, hodieque observat Ecclesia. Scilicet Jure Canonico in computandis gradibus Ecclesia secludit stipitem, adeo ut Pater a Filio unico distet gradu; qui stipes in Jure Civili in ordine ad hæreditates adeundas non excluditur, adeout duo Fratres duobus gradibus, non autem uno dumtaxat, distinguantur. Conferendus etiam idem S. Zacharias in rescripto ad Pippinum Francorum Regem cap. 22. S. Nicolaus I. in respons. ad Consulta Bulgarorum cap. 2. consanguinitatis gradus præscripsit, intra quos jungere connubia prohibuit. Horum similiu n refertissimæ sunt Canonum Collectiones, quorum adhuc pleraque art. 9. §. 1. prosequemur.

Ex civilibus equidem legibus aliquæ Jure Canonico approbatæ fuerunt, cujusmodi sunt Novella 22, qua ad experimentum capiendum de impotentia, an perpetua sit, nec ne, ideoque an impedimentum sit matrimonii, triennium conceditur, quam legem Cælestinus

lestinus III. Cap. *Laudabilem de Frigid.*, *& Malef.* approbavit; Lex 26. Cod. *de Nuptiis*, qua Cognatio spiritualis inter impedimenta Matrimonii collocatur, quam Ecclesiæ probatam fuisse patet ex Synodo Romana I. sub S. Zacharia ann.743. cap.5., & Decretal. lib.4. tit.11; LL. *Adoptivus* 14; *Per adoptionem* 17; & *Quin etiam* 55. ff. *De Ritu Nupt.*, quibus Cognationis legalis gradus statuuntur, intra quos Matrimonia contrahi non liceat, quas leges S. Nicolaus I. in Rescript. ad Consulta Bulgar. cap.2. ex lib.1. *Instit. de Nupt.* §. *Ergo non* regessit, relatus ipse Can.1. *Ita diligere* 30. q. 3, & Cap. *Unic. de Cognat. legali*. Vicissim ex legibus Civilibus aliæ Jure Canonico sunt abrogatæ, veluti *Lib.1. Instit. De Nupt.*, & L. *Nuptiæ* 2. ff. *de Rit. Nupt.*, ubi irrita decernuntur Matrimonia inita a Filiis familias absque consensu parentum, & Servorum absque Dominorum licentia, quas ab Ecclesia abrogatas liquet ex Cap. *Cum locum, de Sponsal. & Matrim.* Cap. *Licet*, Cap. *Tua* de *Sponsa duor.*, & Cap. *Dignum de Conjugio Servor.* Ita etiam L. *Uxorem* 15. ff. *de Rit. Nupt.*, qua Matrimonium inter Vitricum, & Uxorem Privigni vetatur, Innocentius III. Cap. *Non debet de Consang.*, *& Affinit.* abolevit. Adeundus, qui de his, aliisque Legibus Civilibus ab Ecclesia aut receptis, aut reprobatis more suo egregie disserit Benedictus XIV. de Synodo Diœcef. lib. 9. cap. 10, & seqq.

Quid ad hæc, quod Romani Pontifices passim de Principum ipsorum Matrimoniis jus dixerunt, eisque robur modo detulere, modo detraxerunt? Ita Vigilius Theodeberto Francorum Regi separationem indixit a Vidua fratris sui, quam sibi conjugio copulaverat. Lotharium ad Theutbergam legitimam conjugem thalamo restituendam compulit S. Nicolaus I; Metensis vero Synodi, in qua perperam de eo divortio fuerat dijudicatum, sententiam infregit. Moras adhuc nectentem Lotharium ad obedientiam demum Hadrianus II. adegit. Lando Leoni Græcorum Imper. Sapienti dicto, etsi contradiceret Nicolaus Mysticus Patriarcha Constantinopolit., tetragamiam permisit. Gregorius V. Roberti Galliarum Regis conjugium cum Berta consanguinea diremit. Ob simile impedimentum a Callisto II, & Honorio II. Matrimonium Willelmi Normanniæ Comitis cum filia Fulconis

Comitis Andegavensium irritum fuit dictum. Honorius III. caussam natalium Adelæ Reginæ Cypri ad suum advocavit tribunal. Cum Boleslao III. Poloniæ Duce Paschalis II. dispensavit super consanguinitatis impedimentum in matrimonio contracto cum Sbislava Russiæ Regis filia: dispensationem vero negavit Philippo I. Gall. Regi super impedimentum affinitatis in conjugio inito cum Bertrada; quod jam antea improbaverat Urbanus II, eam puto ob caussam, quod jampridem, vivente adhuc Berta legitima conjuge, incestuosa Bertradæ consuetudine usus fuisset. Friderici Sueviæ Ducis, postea Imperatoris, matrimonium, ob illicitum propinquitatis gradum, Eugenius III. dissolvit. A Cælestino III. Alphonsus X. Legionis Rex ob incestas nuptias cum Tharasia Sanctii Portugalliæ Regis filia, censuris Ecclesiasticis est innodatus, Regnumque sacris interdictum. Justas ejusdem iras expertus est, aspereque redargutus Philippus Augustus ob Ingelburgis repudium, perperamque a Gallicanis Episcopis prolata sententia rescissa est, omnique robore spoliata. In eumdem Alphonsum X, qui Tharasiam dimittere compulsus, secundas nuptias incestuose pariter cum nepte filia Alphonsi VIII. Regis Castellæ celebraverat, Innocentius III. excommunicationem intorsit, utrique Regno Sacrorum indixit justitium, matrimonium irritum declaravit, ex quo si quam susciperent prolem, spuriam, & illegitimam pronunciavit, atque dispensationem, rogantibus efflictim Regibus, constantissime denegavit. Idem, non autem Leo III, ut est apud nuperum doctiss. Theologum lib. 37. cap. 5. enormi anachronismo, Philippum Francor. Regem ad recipiendam Ingelburgem, repudiandamque Mariam superinductam adegit: Liberos tamen ex superinducta susceptos legitimis natalibus restituit, ingenuitateque donavit. Præterea Henrici Castellæ Regis conjugium cum Malfada Alphonsi Regis Lusitaniæ sorore propinquitatis exceptione dissolvit. Innocentius IV. rogantibus etsi Raymundo Comite Tolosano, ac Raymundo Berengario Provinciæ Comite, dispensationem super impedimento consanguinitatis, in matrimonio contrahendo Raymundum Tolosanum inter, & Beatricem Raymundi Berengarii filiam, invictissime recusavit.

Diver-

Diversam pro diversis, quæ inciderent personarum, temporum, rerumque adjuncta, agendi rationem tenebant Romani Pontifices, diversoque modo propria auctoritate utebantur: sive autem legum Ecclesiasticarum retinentissimos, assertoresque rigidos se præberent, sive ad easdem leges benigne relaxandas indulgentiores, liberalioresque se inflecterent, una Reipublicæ sive Christianæ, sive etiam Civilis utilitas, aut necessitas, bonum unum, ac commodum eorum in conspectum veniebat. Alexander IV. nothos Othocari Bohemiæ Regis filios publicis muneribus quidem, honoribus, ac Principatus juribus fecit idoneos; cautum voluit tamen, ne Nicolaus ejusdem nothus Bohemiæ Regni hæres renunciaretur, nomineque inscriberetur Rex; qua de re legenda ejusdem epistola 125. lib. 6. apud Raynaldum ad annum 1260. n. 21. Sanctii Castellæ Regis incestas cum Maria Alphonsi Molinæ filia, quam tertio consanguinitatis gradu attingebat, nuptias Martinus IV. rescidit. Sanctio mortuo Maria vidua a Bonifacio VIII. precibus impetravit, ut Ferdinandus, una cum filiis aliis, & filiabus ex Sanctio susceptis, legitimorum natalium honore cohonestaretur. Johannes XXII. matrimonium Caroli IV. Galliarum Regis cum Blanca Odonis Burgundiæ Ducis filia initum, ob impedimentum cognationis spiritualis, dissolvit, ac licentiam utrique ad vota alia transeundi tribuit. Henrico VII. Angliæ Regi matrimonii cum Elizabetha Eduardi IV. olim Regis Angliæ filia, in quarto consanguinitatis gradu sibi conjuncta, contrahendi veniam fecit Innocentius VIII; qui vicissim Johannæ Henrici Castellæ Regis unigenitæ, Regnorumque hæredi, in Clarissarum album adscriptæ, e Monasterio erumpere molienti, atque ad paterna jura regredi exambienti, obstitit, manereque in Religiosæ vitæ proposito jussit. Alexander VI. initum a Ludovico XII. Galliarum Rege cum Johanna Valesia matrimonium, ob spiritualis cognationis impedimentum diremit. Ea est, cui postmodum institutus refertur Ordo Monialium Sanctissimæ Annuntiationis B. V. Mariæ. Henrico VIII. Anglorum Regi matrimonii ineundi cum Catharina, quondam Arthuri germani fratris sui conjuge, a Julio II. facultas facta fuerat: quam eidem Regi extorquere nitenti adulterini connubii

cum Anna Bolena contrahendi gratia denegavit Clemens VII. Cum Henrico III. Galliæ Rege Gregorius XIII. indulsit super ipsius matrimonio cum Margarita Caroli IX. Regis sorore contracto, ipsique consanguinea: quam pridem indulgentiam S. Pius V. largiri renuerat, ideo quod nondum Henrici fidem satis perspectam haberet. Clemens VIII. Henricum IV. Galliarum pariter Regem ad dimittendam e consortio Margaritam Valesiam Caroli IX. filiam, ob consanguinitatis gradum, defectumque in eadem consensus, adegit. Mitto longe plura, nam memorata plusquam abunde sufficiunt ad planum faciendum ad Pontificis jus pertinere Matrimoniis impedimenta apponere, & apposita removere.

Gravissima, quæ usque ad schisma exarsit, quave afflicta supra modum, exagitataque Ecclesia est, controversia illa fuit circa Investituras excitata, eas sibi præter fas arrogantibus, ac in principalia jura transcribere adnitentibus, præ aliis Willelmo, & Henrico Angliæ Regibus, Henrico IV, & Henrico V. Imperatoribus, quibus propterea jurgia fuere quam dira, tam diutina cum S. Gregorio VII, Victore III, Urbano II, Paschali II, Gelasio II, & Callisto II. Oportuit tamen a tentata re tandiu tandem desistere, a Pontificibus Investituras invidiosa nota inustas patienter dimittere, earumque defensores pœna excommunicationis gravissima damnatos audire. Ita in Synodis Romana II. anno 1075, Romana V. an. 1078, ac Romana VII. an. 1080. a S. Gregorio VII. Ita in Synodo Beneventana an. 1087. a Victore III; in Melphitana an. 1089, Claromontana an. 1095, Nemausensi an. 1096, & Romana III. an. 1099. ab Urbano II. Ita in Lateranensi an. 1102, Lateranensi altera an. 1104, Guastallensi an. 1106, Trecensi an. 1107, Beneventana an. 1108, Lateranensi an. 1110, altera Lateranensi an. 1111, Viennensi anno 1112, ac Lateranensi tertia an. 1116. a Paschali II, atque in Capuana an. 1118. a Gelasio II. Ita in Synodis Tolosana an. 1119., Remensi eodem anno, Vormatiensi an. 1122, ac Lateranensi I. generali an. 1123. a Callisto II, cui ad laudum cumulum accedit, quod acerbissimam controversiam, quæ quinquaginta per annos Imperium, & Sacerdotium inter se commiserat, tandem, ut Superis placuit, composuerit. Ab Innocentio II. restitu-

ſtitutas Inveſtituras Lothario Imperatori fuiſſe perperam ſcripſit Petrus Diaconus lib. 4. Chron. Caſſin. cap. 97; præ quo fides potius adhibenda Ottoni Friſing. lib. 7. cap. 18, ac S. Bernardo, qui præſens aderat, in epiſt. 150. ad Innocentium II, referentibus poſtulanti Lothario Inveſtituras ſibi reſtitui infracto animo Pontificem reſtitiſſe. Eaſdem Inveſtituras in Anglia uſurpare conanti Henrico Regi obſtitit deinde Alexander III, dataque ad Epiſcopos Angliæ Decretali ab Harduino recenſita ſub n. 28. tom. 6. par. 2. pag. 1398. illum ab hujuſmodi uſurpatione deterruit. Quo de argumento plura non dixerim, quandoquidem in re apertiſſima prolixiorem eſſe non expedit. De Controverſia, quæ in Concilio Remenſi an. 1148. S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales inter & Gallicanos Epiſcopos exorta eſt circa jus condendi Symboli, quod contra Gilberti Porretani errores, Gallicanorum Præſulum nomine adornatum a S. Bernardo, occaſionem præbuit diſputandi: an ſolius Apoſtolicæ Sedis, quod contendebant Cardinales, an etiam Epiſcoporum, quod Gallicani Antiſtites propugnabant, eſſet Eccleſiæ Symbolum condere, quia copioſe par. 1. art. 3. §. 1. diſſerui, eò loci benevolum lectorem dimittere ſatius habeo.

Eodem ſæculo XII. altera in Gallia controverſia, gravis periculi certe plena, excitata eſt circa validitatem Baptiſmi collati abſque verbo exprimente actum baptizantis, ſcilicet vel *Baptizo*, ut apud Latinos, vel *Baptizatur*, ut apud Græcos uſurpari conſuevit. Abuſus in Gallia obtinuerat, ut viri Laici, abſentibus Sacerdotibus, Baptiſmum paſſim adminiſtrarent ſolis verbis illis: *In nomine Patris &c.*, prætermiſſis illis, quæ præmitti ſolent, ac debent: *Ego te baptizo*. Ita refert apud Angelum Manriquez in Annal. Ciſtercienſibus ad an. 1176. tom. 3. Petrus Pontius Abbas V. Claræ vallenſis, ac deinde Epiſcopus Claromontanus in epiſt. ad Mauritium Epiſcopum Pariſienſem, & ad Stephanum Abbatem S. Eburtii, ac deinde S. Genovefæ, ac tandem Epiſcopum Tornacenſem. Qua quidem epiſtola eos de ſententia poſtulavit Pontius, ſcilicet quid ſentirent de Baptiſmo a Laicis, ſine verbis illis *Ego te baptizo*, in neceſſitate collato, ſignificans interea ſibi eam inſidere menti ſententiam, quod nullum

lum sit ejusmodi Baptisma, ob defectum integræ formulæ. Pontio rescribentes Mauritius, & Stephanus in diversam, adversamque invicem sententiam concessere: nam Mauritius pariter cum ipso Pontio Baptismum hujusmodi pronunciavit invalidum, ulla absque dubitatione: at vero Stephanus tametsi modeste, ac temperanter opinionem suam proponens, oppositam tamen propugnavit, validumque Baptismum illum habuit. Exinde in utramque partem fuisse pugnatum, conjicere pronum est, ac facile: quare Pontius non alio potiori modo quæstioni finem imponi posse cognoscens, quam Romani Pontificis omnium suprema auctoritate, illam ad Alexandri III. tribunal detulit, stititque: qua accepta, riteque perpensa rescribens Pontifex celebre Decretum illud dedit, quod habetur lib. 3. Decretal. tit. 42. cap 1, quo quæstionem dirimens: *Siquis*, inquit, *puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S., & non dixerit*: Ego te baptizo in nomine Patris &c., *non est puer baptizatus*. Alexandri III. decreto inhærens denique Alexander VIII, traditionique in Romana Ecclesia religiose, semperque retentæ insistens, cui in Baptismi conferendi ritu substantiali ceteræ in Orbem diffusæ Ecclesiæ jugiter adhæsere, velut ex Ritualibus Græcorum, Ægyptiorum, Syrorum, ac Latinorum, ab Alcuino, Amalario, & Arcudio laudatis, latinitateque donatis a Goario, Thomassio, Mabillonio, Martenio, & Assemano liquet, in quibus ubique legitur verbum *Baptizatur*, aut *Baptizo*, anno 1690. die 7. Decemb. proscripsit hanc propositionem ordine 27: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus*: In nomine Patris &c., *prætermissis illis*: Ego te baptizo. Itaque suo jure omnino cecidit Stephani Tornacensis non modo sententia, cui postmodum accesserunt Petrus Cantor, & Præpositivus, sed etiam Johannis Morini inanis evasit contentio omnis, qua veterum illorum opinioni probabilitatem conciliare adnixus est.

Tot, ac tantis sub media, & infima ætate quæstionibus exagitata personuit Ecclesia, ut si persequi omnes vellem, dispendium operæ facerem, unde dimissis longe pluribus jam publico sermone tritis, pauciores, quæ præ aliis potioris momenti æstimari potuere, summis veluti digitis attingam, brevique oratio-

ne

ne perstringam. De gravissima controversia, cui locum fecit pravis dogmatibus suis Michael Bajus Lovaniensis doctor, socium habens Johannem Hesselium, id unum dicam, nec enim est, cur multus sim in re cunctis manifestissima, a doctiss. Theologis, præsertim Ordin. Minor., pugnatum in adversam partem fuisse, proque virili portione curatum, & procuratum, ut errore exploso, exterminatoque, firma loco suo, fixaque staret fides. A Minoritis Bajanas propositiones erroris, hæresis, aut hujus geminæ ignominiæ nomine delatas ad S. Theologicam Facultatem Parisiensem, ad Archiepiscopum Mechlinensem Cardinalem Granvellanum, ad Hispaniarum Catholicum Regem, sacræque ibidem supremæ Inquisitionis Tribunal, ac tandem ad Pontifices MM. S. Pium V, & Gregorium XIII. Postquam vero plerisque illarum propositionum, nempe duo de viginti numero a Parisiensi Facultate anno 1560. die 27. Jun. Theologica nota fuisset inflicta, ad unam omnes novem supra septuaginta a S. Pio V. die 1. Octobris 1567, subindeque a Gregorio XIII. die 29. Januarii 1579. Constit. incip. *Provisionis nostræ* proscriptas fuisse, ac profligatas. Bajum denique Francisci Toleti opera a Pontifice adhibita ad saniora consilia se recepisse; Lovanienses vero Doctores contestatos Summi Pontificis dicto, ut par erat, probe se obedire, suspicionem prorsus omnem ab se amolitos. Locus heic potius foret faciendus Controversiæ geminæ, tum ei nempe, cui anno 1587. Leonardi Lessii liber ortum dedit, fuitque in caussa pugnarum, quæ hinc inde insignes Theologos inter Societ. J., ac Sacrarum Facultatum Lovaniensis, & Duacensis sunt institutæ, quæque viam paraverunt disputationibus de Divinis Auxiliis postmodum habitis coram Clemente VIII, & Paulo V; tum ei, cui occasionem præbuit Richerii pestilens liber de potestate Ecclesiastica, unde in Ecclesia Gallicana tot excitatæ sunt turbæ: sed de ista satis jam alibi est actum; de illa vero hæc innuisse sat habeo.

Gravior, ex occasione sacris interdictæ Reipublicæ Venetæ a Paulo V, incidit sub initium sæculi XVII. controversia, ingenti utrinque contentionis æstu exagitata, vexataque, de potestate Ecclesiastica, & Civili, earumque justis confinibus. Pro Civili, quam procul dubio ultra justas metas pro studio partium urgebant

gebant, audaces steterunt Petrus Sarpius, alias Paulus Suavis, sive Polanus, ejusque individuus Comes F. Fulgentius; Johannes Marsilius, & Jacobus Leschasserius fidei sublestissimæ homines ad unum omnes. Pro Ecclesiastica pugnarunt adversa fronte, collatoque veluti pede Cardinales amplissimi Baronius, & Bellarminus; virique in utroque jure doctissimi Franciscus Fagnanus, Paulus Comitolus, Josephus Branca, Johannes Bovius, Anonymus Gallus sub assumpto Philareti nomine. Porro Pauli V. cum Venetis dissensio non fuit circa jus, sed circa factum, sive materiam facti; idest non inficias ibant Veneti posse a Pontifice abrogari leges Civiles Religioni adversas, sed leges ab se latas non fuisse hujusmodi, quæ Religioni adversarentur, affirmabant, quæ propterea infringi a Paulo V. possent. Adisis doctiss. Jo. Antonium Blancum de potest., & polit. Eccles. tom. 2. lib. 6. §. 11. egregie de hoc argumento adversus Bossuetium agentem. Huic affinis excitata in Anglia est controversia, occasione accepta a juramento fidelitatis, quo Jacobus I. Rex subditos adstringi volebat ad profitendum, nullum Romano Pontifici inesse jus in Regum temporalia, aut subditos relaxandi ab istiusmodi fidelitatis juramento. In diversas sententias discissi sunt Anglo-Catholici: nam hujusce genus sacramentum præstari Regi posse ullo absque piaculo suadere, ac persuadere conati sunt, doctrinamque de independentia Regum a Pontifice Romano in re temporali veritati omnino inniti demonstrare data opera fategerunt imprimis Jacobus ipsemet Rex, ac post hunc Georgius Blakvvel Vicarius Apostolicus, Rogerius Windgrinctonus, Guillelmus Barchlajus, ipsiusque filius Johannes Barchlajus: pro quo argumento pugnam instauravit postea Thomas Barlovius Anglo-Calvinista. E contra pro Pontificio jure pugnarunt viribus, quibus valebant, potioribus doctiss. Cardinales Perronius, & Bellarminus, Bosius Oratorii Presbyter, Beccanus, Suarezius, & Schulchenius, quorum operum occasione in Gallia, ignem subministrante Richerii opusculo, eadem controversia mirum in modum exarsit, quam perinde in rem operam contulere suam, Pontificioque istiusmodi juri defendendo pariter incubuere Guillelmus Singletonus in discussione Decreti Concilii Lateran. de potest.

test. Ecclesiæ in temporalibus; Vitalengus Bozellus de potest. Pontif. in tempor. adversus Barklajum, & Annibal de Grassis de jurisd. univers. Summi Pontif. in tempor. in Bibl. Roccaberti. Sed PaulusV. duobus Brevibus die 28. Septemb. 1606, & 22. Septemb. 1607. ab hoc fidelitatis juramento Regi præstando Angliæ Catholicos absterruit: neque a gravibus etiam minis abstinuit, donec a Ludovico XIII. impetrasset, ut oblivioni traderetur, obliterareturque decretum a suprema Pariensi Curia editum die 26. Junii 1614, quo supremæ Apostolicæ Sedis auctoritati haud levis irrogata fuerat injuria. Quo de argumento, qui fusius agunt Victoria Siri in Monumentis reconditis tom. 3. pag. 241, & seqq., ac Michael Vassor in hist. Ludovici XIII. tom. 1. lib. 5. pag. 592, & seqq., cavendum, ne integra fides iis adhibeatur.

Alteri in Anglia Controversiæ, quæ Galliam pariter inde pervasit, occasionem præbuit Decretum circa sæcularium Confessiones a Regularibus non excipiendas, nisi ab Ordinario facultate prius, in vim decreti S. Pii V, obtenta, a Richardo Smith Episcopo Chalcedonensi in Anglia Vicario Apostolico editum, quoRegularium nonnullis ipsorum privilegia infringi videbantur. Inde pugnæ in utramque partem asperæ circa gradus, juraque Ecclesiasticæ Hierarchiæ instituta hinc a Kellisonio, Francisco Hallerio, Petro Aurelio, sive Abbate Sangirano, seu verius a Barchosio, Nicolao le Maitre; illinc ab Eduardo Knoch, Johanne Floid sub nomine Danielis a Jesu, aut Loemelii, Cellotio Soc. J. Theologis. Sed & hanc, non secus ac Controversias enatas ex occasione cum libri Antonii Arnaldi *de Frequenti Communione*, tum libri *ApologiæCasuistarum* leviter indicasse sat habeo. Neque profusiorem impendam operam in retexendis quæstionibus indoctorum vulgo perspectissimis, quas Jansenaiana, & Quesnelliana hæresis quoties peperit, toties veluti totidem hydræ renascentia capita obtruncavere Innocentius X, Alexander VII, & Clemens XI. Sed & mihi supersedendum arbitror a referendis cæteris, refricandisque quæstionibus, quæ vel privatos inter Theologos dumtaxat emerserunt, vel quæ citra periculum fidei commoveri potuerunt, exagitarique; aut circa quas Romanorum Pontificum judicium anceps manet adhuc, suspensumque, aut jam pro-

 latum

latum adeo omnibus perſpectum eſt, ut ſupervacaneum ſit opus; bonoque abuti otio, velle in re non neceſſaria verbis affluere: vereor enim, ne in his jam nimium immoratus ſim, ac ne paullo moroſioribus tædium jam prolixiori, quam fuiſſet par, oratione faſtidiumque creaverim. Quæ vero opponi diſputatis hactenus poſſent, quia æque militant adverſus ſimiles Pontificii juris ſpecies, de quibus mihi Artic. ſeqq. incidet ſermo, eo proinde loci tamquam opportuniori diluenda dimitto: ſcilicet in eo obverſantur quammaxime, quod iſtiuſmodi juris particulæ non ita Romano peculiares ſint Pontifici, eique adſtruendæ, quin etiam Epiſcoporum ſint propriæ, eiſdemque pariter adſcribendæ: cui momento diligenter pro difficultate non tam, quam pro dignitate verſando, deterendoque operam, quam valebo potiorem, conferam meam.

F I N I S



INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

 fecit

Aqui-

B

ne

ne vero haberi mererentur Concilia Romæ celebrata, quorum elenchus Chronologicus exhibetur *p.* 212, & *seqq.*; nec non Concilia indiscriminatim ubique gentium habita, quibus Pontifices vel adfuere præsentia sua, vel saltem consentione sua non defuerunt, quorum brevis retexitur Catalogus *p.* 222, & *seqq.*

Conciliis tam generalibus, quam particularibus interdictum est prorsus de caussis Roman. Pontificum cognoscere, ferreque sententiam *p.* 228, & *seqq.* Ex temere, ac nefarie decretis, & gestis adversus Rom. Pontifices argumentum trahere ad jus istud supra Pontifices adstruendum, pessimi argumenti genus est. Pontifices charitatis intuitu, non subjectionis ratione criminum sibi impactas notas coram Synodis sæpius eluerunt, ut S. Silvester, ut S. Paschalis, ut S. Damasus, ut Pelagius *p.*230, & *seqq.* Laici Principes juris dicundi partes in Pontifices aliquando sibi arrogarunt, sed temere, sed inique, sed & aliquando errore decepti, ut in caussa S. Bonifacii I. Honorius *p* 232. De S. Sixto III. accusato in Synodo historia supposita est *p.*233. S. Symmachi in Synodo constituti magis resplenduit jus summum; sed & in Synodo declaratum est nullas contra Pontifices MM. laico Principi inesse partes *p.*234. Synodi hujus hostes exagitat Ennodius; Ennodium vero injuste vellicat Launojus, ac frustra laborat, ut S. Symmachum Synodo subjuget *p.*236, & *seq.* Laicorum Principum ope aliquando indiguere Pontifices, qua ab injuriis redimerentur, veluti Caroli M. Leo III. *p.*238, & *seq.* Aliquando vicissim ab ipsis Principibus injuriam passi sunt, velut ab Othone I. Johannes XII., qua tamen ab injuria se vindicavit Synodo habita, cui perperam suppositionis notam inflixit Launojus *p.* 239. In Synodo se dignitate abdicavit, non etiam ab ea abdicatus est Gregorius VI. *p.*241. Alexander II. in Synodo ab impactis calumniis se expurgavit, non ejus judicio semet demisit *p.* 242. S. Gregorius VII. in pseudo-Synodis injuriis pluries appetitus in Synodis procul dubio legitimis se in libertatem asseruit *p.*243, & *seqq.* Paschalis II. caussam suam sponte judicio Synodi submisit, seu ipsemet in Synodo retractavit *p.*245, & *seqq.* Alexandro III. in pseudo-Synodis irrogata multiplex injuria est, sed juri nihil derogatum *p.*248, & *seq.* Ad Concilia appellari a Pontifice an licite possit, vide V. *Appellatio*.

Constantinopolitana I. Synodus aut ex consensu S. Damasi convocata fuit, aut legitima non fuit, locoque inter œcumenicas habita, donec is consensus accessit, qui tamen non accessit expressus, sed æquivalens dumtaxat; neque quoad omnes Canones, puta 3, sed tantummodo quoad fidei decreta *pag.* 149, & *seq.*, 190', & *seqq*, Quis ei præfuerit, in obscuro latet: non præfuit Nectarius principio saltem, sed verisimilius Timotheus Alexandrinus *p.*164. Quia ei defuerant Legati Apostolici, ideo defuisset illi robur, quod Patribus deinde rogantibus adjecit S. Damasus; quodve sinistre accipiens Bossuetius audiendus non est

*p.*165

S. Cy.

F

G

adstru-

Johan-

S. Opta-

O

P

Pascha-

Pon-

Syno-

Q

sionem

T

ERRA

ERRATA. *CORRIGE.*

Pag. 46	Lin.	18	Par. 2.	Tom. 4.
82	14		*emittere*	*& mittere*
87	12		*iſtituit*	*inſtituit*
97	25		exortum	extortum
99	11		*Simonis*	....
158	3		ds	de
177	12		quam	qua
184	11		adhibuerint	adhibuerit
188	15		copioſorum	copioſum
200	15		ambo	amabo
286	28		Betradam	Bertradam
288	30		*Benedičtns*	*Benedictus*
410	11		appellare	appellere
431	7		ejudem	ejuſdem
440	36		elucebratarum	elucubratarum
442	28		calumniatori	calumniatoris
ibid.	ibid.		ignomiuias	ignominia
444	3		intedixerat	interdixerat
446	8		ſubſciptus	ſubſcriptus
465	14		auderenr	auderent
483	34		le Courajer	Bruys
490	23		intejecta	interjecta
508	22		Atque	Neque
514	19		eſt	....
546	28		diſordias	diſcordias
562	30		devincerent	devincirent
570	34		iſthæ	iſthæc
571	2		Sollerius	Boſchius
576	6		Alexadrina	Alexandrina
ibid.	24		Alexadrina	Alexandrina
ibid.	36		Coſtantinopolim	Conſtantinopolim
580	15		Sollerius	Cuperus
ibid.	28		probablis	probabilis
ibid.	ibid.		cum	dele
582	26		Sollerius	Boſchius
636	11		hallucinatam	hallucinatum
664	25		ipſe	ipſa





